



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.




d 36


= 1 Text lat. R. 312/4

= T. Text Lat. C. 32

$$\frac{68}{525}$$







CAESARII

HEISTERBACENSIS MONACHI

ORDINIS CISTERCIENSIS

DIALOGUS MIRACULORUM.

TEXTUM

AD QUATUOR CODICUM MANUSCRIPTORUM
EDITIONISQUE PRINCIPIS FIDEM

ACCURATE RECOGNOVIT

JOSEPHUS STRANGE.

VOLUMEN PRIMUM.

ACCEDUNT SPECIMINA CODICUM, IN TABULA LITHOGR.

COLONIAE, BONNAE ET BRUXELLIS,

SUMPTIBUS J. M. HEBERLE (H. LEMPertz & COMP.).

MDCCCLI.

TYPIS J. S. STEVEN.

110. cl. 36.



PRAEFATIO.



Saepe deploratum est a viris de fontibus historiae Germanicae mediæ aevi edendis et illustrandis meritissimis, in quibus Boehmer et J. Grimm inprimis nominandi sunt, novam eamque criticam editionem praeclari illius Dialogi de Miraculis, a Caesario Heisterbacensi conscripti, etiam nunc desiderari. Quo libro scriptor suae aetatis praestantissimus, non solum monachicae, quae illo tempore maxime floruit, vitae conditionem ac naturam insigniter illustravit, sed etiam gentis nostrae Rhenum accolentis eius temporis vitam et publicam et privatam tam luculenter et candide adumbravit, ut cum rerum varietate et narrationum simplicitate animum cuiusque lectoris suavissime alliciat, tum viris historiae et antiquitatis curiosis traditionum, morum atque institutorum terrae nostrae fontes aperiat uberrimos. Quare cum editiones Dialogi iam raro invenirentur, textusque earum vitiis scateret, auctore redemptore honestissimo hunc librum ad fidem codicum emendatum, pristinoque nitore redditum, denuo edendi provinciam suscipere non dubitavi, sperans, operam hanc viris litteratis non ingratham esse futuram. De vita et scriptis Caesarii loqui quod supersedere possum, debetur insigni

IV

A. Kaufmanni specimini, quod prodiit hoc titulo: *Caesarius von Heisterbach. Ein Beitrag zur Kulturgeschichte des zwölften und dreizehnten Jahrhunderts.* Cöln, J. M. Heberle (H. Lempertz). 1850. Ad illud igitur lectorem, qui de auctore Dialogi Miraculorum plura cognoscere cupit, delegamus.

Jam res poscit, ut quae subsidia in edendo hoc Dialogo mihi praesto fuerint, accuratius exponam. Contuli omnino codices quatuor: in quibus duos bibliothecae Dusseldorpiensis, quos litterae A et D indicant, unum bibliothecae universitatis Bonnensis, quem littera B insignivi; quartus denique codex, littera C insignitus, asservatur in bibliotheca publica gymnasii catholicorum Coloniensis.

I. Codex A bibliothecae Dusseldorpiensis, membranaceus, saec. XIV, duabus columnis linearum 36, diversa ut videtur manu nitide exaratus, constat foliis 252. Tituli sunt miniati, litterae initiales variis coloribus, nec non interdum imaginibus distinctae. Distinctio prima et priora distinctionis secundae capita desiderantur. Distinctionis tertiae initium et ultima verba huius codicis in specimine manus codicum praemisso accurate expressa sunt, praeterquam quod color primarius initialium in codice caeruleus est.

II. Cod. D bibliothecae Dusseldorpiensis, membranaceus, saec. XV ineuntis, duabus columnis linearum 39, nitide scriptus, olim coenobii Altenbergensis fuit. Tituli et litterae initiales miniati sunt. Prologum et distinctionem primam duae exornant litterae initiales, coloribus auroque mirifice distinctae. Ex quibus altera in iam dicto specimine expressa est, ubi initium quoque distinctionis primae et finis codicis depicta deprehenduntur.

III. Cod. B bibliothecae universitatis Bonnen-

sis, chartaceus, fol. minori, olim „liber sanctimonialium regularissarum domus sancti Dyonisii in Aemstelredam“ fuit, postea ad bibliothecam Duisburgensem pertinuit. Hic liber ex praeclaro sane codice „manibus Johannis Eggairt filii Johannis anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quairto“ admodum negligenter descriptus est, cum loci non pauci passim ita sint depravati, ut sensu prorsus careant. Nihilo tamen minus dolendum est, quod plura in hoc codice capita, praesertim in fine distinctionum singularum, desiderantur.

IV. Cod. C bibliothecae gymnasii catholicorum Coloniensis, partim membranaceus, partim chartaceus, fol. minori, olim „liber fratrum s. crucis in Colonia“ fuit, atque constat foliis 278. Liber scriptus est „circa ann. Domini MCCCCXL et deinceps.“

Codicem bibliothecae gymnasii Confluentini, et alterum (qui sex tantum posteriores distinctiones continet) bibliothecae Aquisgranensis, sero, quod doleo, ad me transmissos, in ultimis tantum plagulis excutiendis adhibere mihi licuit: ubi litteris E et F eos insignivi.

Hi quidem fuerunt codices, quos contuli. Neque tamen muneri meo satisfacisse mihi visus sum, nisi editiones quoque antiquas, quae codicum fide nituntur, ad perpoliendum textum adhibuissem. Ex quibus mihi praesto fuerunt:

I. Editio princeps, charact. goth., sine custod. et pagg. num., duabus columnis, fol., typis expressa sine loco (Coloniae) et anno (circa a. 1475), et sine typographi (Udalr. Zell) nomine. Cuius quidem lectiones variantes littera P insignivi. Liber inde a saec. XVI rarissimus fuit, ita ut posterioribus Dialogi editoribus non ad manus fuerit. Hodie ta-

men tria exemplaria Coloniae reperis, unum in bibliotheca D. a Bianco, alterum inter libros D. Merlo; tertium honestissimus huius editionis redemptor acquisivit. Finis huius editionis inter specimina manus codicum expressus legitur.

II. Editio Koelhoffiana, Colon. 1481, paucis locis exceptis, ad fidem edit. princ. accurate expressa est. Littera K hunc librum insignivi.

III. Editiones recentiores littera R insignitae sunt. Ex quibus examinavi Colonienses a. 1591, 1599, Antverpiensem a. 1605. Editores Koelhoffianam quidem plerumque secuti editionem, tamen modo ex proprio ingenio, modo, ut aiunt, „ex quodam manuscripto codice, licet nec vetustissimo, nec correctissimo,“ textum saepissime mutarunt. Qua in re quin codice C, praecipue in distinctione quarta, quanquam temere satis ac sine iudicio, usi sint, et praeterea ex codice E plurimas lectiones deprompserint, dubitari non potest.

Ad loca s. scripturae, quae in Dialogo laudantur, quod attinet, respicienda sunt, quae Caesarius ipse in praefatione ad Homilias a Coppensteinio editas monuit: „Sententias et auctoritates tam veteris quam novi testamenti, cum a me expositionibus inserendae essent, ipsaque verba aliquando nescirem, et nimis esset taediosum libros revolvere, posui illas ut scivi, non ex industria, sed ex ignorantia quandoque verba ipsa, vel sensum verborum mutando.“

Vale, benevole lector, et huic quicquid Caesario impendi operae fave.



CAESARII

IN DIALOGUM MIRACULORUM

PROLOGUS.



Colligite fragmenta ne pereant¹⁾. Cum ex debito iniunctae sollicitudinis aliqua ex his quae in ordine nostro nostris temporibus miraculose gesta sunt et quotidie fiunt, recitarem noviciis, rogatus sum a quibusdam²⁾ cum instantia multa, eadem scripto perpetuare. Dicebant enim irrecoverabile fore damnum, si ea perirent per oblivionem, quae posteris esse poterant ad aedificationem. Cum ad hoc minus essem paratus, tum propter Latini sermonis inopiam, tum propter invidorum detractionem, accessit Abbatis mei imperium, nec non et Abbatis Loci sanctae Mariae³⁾ con-

1) Johan. 6, 12. Caesarius in Homil. II. p. 71: „Fragmenta sunt memoria digna virtutum exempla: de quibus maxima diligentia debet esse praelato, ut aliquibus fratribus literatis illa per scripta colligere praecipiat, ne per oblivionem pereant. Ego siquidem Abbate meo praecipiente, et fratrum caritate instigante, duodecim sportellas implevi ex fragmentis huiusmodi, dialogum ex eis conficiendo duodecim distinctionum.“ — 2) C multis. — 3) hoc est, Marienstatt, in Westerwaldia prope Hachenburg: de qua abbatia vide A. Kaufmann in libro a L. Lersch, Bonnae 1843, edito: Niederrheinisches Jahrbuch für Geschichte, etc. I. p. 115.

silium, quibus contradicere licitum non est. Memor etiam praedictae sententiae Salvatoris, aliis panes integros turbis frangentibus, id est, fortes scripturarum quaestiones exponentibus, sive excellentiora moderni temporis acta scribentibus ¹⁾, ego micās decedentes colligens, propter inopes, non gratia, sed literatura, duodecim ex eis sportellas implevi. Totidem enim distinctionibus omne ²⁾ opus divisi. Prima distinctio agit de conversione, secunda de contritione, tertia de confessione, quarta de tentatione, quinta de daemonibus, sexta de virtute simplicitatis, septima de beata virgine Maria, octava de diversis visionibus, nona de sacramento corporis et sanguinis Christi, decima de miraculis, undecima de morientibus, duodecima de poena et ³⁾ gloria mortuorum. Ut autem competentius exempla ordinarem, more dialogi duas introduxi personas, novicii videlicet interrogantis et monachi respondentis: quia dum dictantis ⁴⁾ nomen pagina supprimit, detrahentis lingua citius deficit et arescit. Attamen qui nomen eius scire desiderat, prima distinctionum elementa compingat ⁵⁾. Plurima etiam inserui ⁶⁾ quae extra ordinem contigerunt, eo quod essent aedificatoria, et a viris religiosis, sicut et reliqua ⁷⁾, mihi recitata. Testis est mihi Dominus, nec unum quidem capitulum in hoc Dialogo me finxisse. Quod si aliqua forte aliter sunt gesta, quam a me scripta, magis his videtur imputandum esse ⁸⁾, a quibus mihi sunt relata ⁹⁾. Et quia continentia huius Dialogi satis miraculosa est, nomen ei indatur ¹⁰⁾ Dialogus Miraculorum. Est et ratio quare distinctiones sic sint ¹¹⁾ ordi-

1) verba sive — scribentibus om D. — 2) C totum. — 3) BC vel, D nec non et. — 4) dictantis dictum pro scribentis, auctoris. — 5) primae literae duodecim distinctionum coniunctae repraesentant hoc CESARII MUNUS. — 6) C inserui. — 7) C cetera. — 8) B magis videtur esse imputandum, D magis videtur his imputandum. — 9) B recitata. — 10) B nomen est inditum ei. — 11) P sunt.

natae. Quia converti quis potest exterius sine contritione, prima distinctio loquitur de conversione. Item quia conversio inutilis est sine contritione in peccatore¹⁾, secundum locum tenet²⁾ distinctio contritionis. Item quia contritio in se arescit, nisi subsequatur confessio oris³⁾, recte ei subiungitur distinctio confessionis. Item quia confessio raro sufficit ad delendam⁴⁾ peccati poenam⁵⁾, bene ei continuatur satisfactionis distinctio, quam tentationem esse probavi. Item quia daemones tentationum auctores sunt sive incentores, sequens de⁶⁾ eis distinctio subiungitur. Item quia simplicitas magnum est antidotum contra tentationem, distinctioni daemonum distinctio subnectitur simplicitatis. Sex istae distinctiones pertinent ad meritum, reliquae sex ad praemium. Ut autem sic ordinentur, etiam ratio numeri requirit⁷⁾. Sicut unitas radix est omnium numerorum, ita et conversio signum est⁸⁾ omnium iustificationum. Binario congruit contritio, quae duplex est, cordis per dolorem, et corporis per afflictionem. Ternario confessio, quae triplex est, laudis, fidei, criminis⁹⁾. Quaternario tentatio, quia quatuor sunt quae nos tentant, Deus, diabolus, caro et mundus¹⁰⁾. Quinarius congruit diabolo, eo quod numerus sit apostaticus. Senarius qui perfectus est, simplicitati, quae totum corpus lucidum reddit¹¹⁾. In principiis vero distinctionum, tam de istis, quam de¹²⁾ ceteris quae sequuntur distinctionibus, ratio ordinationis plenius assignata est. Quia Christi benedictione collecta fragmenta in tantum multiplicata sunt, ut panibus integris in quantitate¹³⁾ compa-

1) in peccatore om C. — 2) C obtinet. — 3) oris om C. — 4) D delendum. — 5) B culpam; mox C continuatur ei. — 6) de om C, qui paulo post coniungitur. — 7) B numeri ratio requirit, omisso etiam, C ratio numeri etiam exquirat. — 8) C est signum. — 9) BC et criminis. — 10) D mundus, caro. — 11) Matth. 6, 22. — 12) C in istis quam in. — 13) in quantitate om C.

rentur, ad instar duodecim panum propositionis ¹⁾, in duobus codicibus illa posui, sex distinctionibus in uno et sex in altero ordinatis.

1) librariorum errorem, propositionum, emendavi ex Dialogi locis VIII, 55. IX, 65. Conf. etiam Homil. I. p. 127. IV. p. 177.



DISTINCTIO PRIMA DE CONVERSIONE.

CAPITULUM I.

De institutione ordinis Cisterciensis.

CUPIENS loqui de conversione, illius gratiam ¹⁾ invoco, qui loquitur pacem in plebem suam et super sanctos suos et in eos qui convertuntur ad cor ²⁾. Eius est scribenda inspirare, calamum gubernare, mercedem laboris recompensare ³⁾. Ab ipso enim salutaris est conversio, quia quos potenter convertit, ab his misericorditer iram suam avertit. NOVICIUS: Videtur mihi necessarium, ut priusquam tractes de virtute conversionis, summatim perstringas, quo in loco, a quibus personis, qua necessitate ordo noster sit institutus, ut sic posito fundamento superaedifices parietes spirituales ex lapidibus vivis, politis, pretiosis, qui volvuntur super terram. MONACHUS: In Episcopatu Lingonensi ⁴⁾ situm est coenobium, nomine Molisqum, fama celeberrimum, religione perspicuum, viris illustribus nobilitatum, possessionibus amplum, virtutibus clarum. Et quia divitiis virtutibusque diuturna non potest esse societas, viri nimirum sapientes et virtutum amatores, altius intelligentes, licet honeste in praefato coenobio viverent, minus tamen ipsam quam professi fuerant regulam, quia observarent considerantes, habito inter se communi ⁵⁾ consilio, viginti et unus monachi una cum patre suo, nomine ⁶⁾ Roberto, unanimi assensu, eodem spiritu, venerunt in locum horroris et vastae solitudinis, nomine Cistercium, ibi vivere cupientes de opere manuum suarum

1) B gratiam illius, C gratiam eius. — 2) Psal. 84, 9. —
3) P compensare. — 4) B Lugdunensi. — 5) communi
om BC. — 6) nomine om P.

secundum regulae praeceptum. Anno igitur ¹⁾ Dominicae incarnationis millesimo nonagesimo octavo, venerabilis Hugonis Lugdunensis ²⁾ Ecclesiae Episcopi et tunc Sedis Apostolicae legati, atque ³⁾ religiosi viri Walteri Cabilonensis Antistitis, nec non et clarissimi Principis ⁴⁾ Odonis Ducis Burgundiae, freti ⁵⁾ consilio, auctoritate roborati, in praedicto loco abbatiam construere coeperunt. Et quia coenobium, de quo exierunt ⁶⁾, constructum fuerat in honore beatae Dei genitricis Mariae, tam ipsi quam eorum successores, de eodem novo monasterio propagati, omnes suas ecclesias in honore eiusdem gloriosae Virginis ⁷⁾ censuerunt esse dedicandas. Non multo post, cum instantia monachis Molismensibus Abbatem suum requirentibus, iussu secundi Urbani, consensu Walteri Cabilonensis Episcopi reducitur, et Albericus vir sanctus ac religiosus eius loco ⁸⁾ substituitur. Cuius sollicitudine, Dei gratia cooperante, non mediocriter vallis illa ⁹⁾ claruit, et in ¹⁰⁾ rebus necessariis crevit. Quo defuncto, Stephanus vir aequae sanctus ¹¹⁾, natione Anglicus, successit. Et cum adhuc essent pauci ¹²⁾ numero, personis saecularibus venerantibus in eis vitae sanctitatem, sed abhorrentibus ¹³⁾ austeritatem, sanctus Bernardus anno quinto decimo cum triginta ferme sociis advenit, et suavi iugo Christi ibidem collum submitit. Ex tunc coepit vinea illa Domini Sabaoth ¹⁴⁾ crescere ac dilatari, atque palmites suos extendere a mari usque ad mare ¹⁵⁾, et impleta est terra possessione eius. Primae eius propagines ¹⁶⁾: Firmitas, Pontiniacum, Claravallis, Morimundus ¹⁷⁾. Istarum quatuor domorum Abbates tantae auctoritatis sunt, ut Abbatem Cisterciensem patrem suum ¹⁸⁾ visitent simul et singillatim ab eo versa vice visitentur. **NOVICIUS:** Quid est visitatio? **MONACHUS:** Disciplinae conservatio ¹⁹⁾. Duo enim primitivi patres instituerunt ad vitiorum correctionem et caritatis conservationem ²⁰⁾ videlicet generale Capitulum et singulis annis

1) igitur om C. — 2) DP Lingonensis. — 3) atque om C. — 4) Principis om C. — 5) freti om P. — 6) C exierant. — 7) D add Mariae. — 8) eius loco om C. — 9) vallis illa habet C ante Dei. — 10) in om C. — 11) C aequae sanctitatis, omisso vir. — 12) C pauci essent. — 13) C add vitae. — 14) C vinea Domini Sabaoth coepit. — 15) Psal, 79, 12; conf. Homil. II. p. 27. — 16) B ergo propagines, C propagines eius. — 17) BDP Morimundis. — 18) patrem suum om DP. — 19) D observatio. — 20) C observationem.

visitationes domorum. Anno igitur Domini millesimo centesimo quinto decimo fundata est domus Claraevallis, cuius primus Abbas erat sanctus Bernardus; Claustrensis¹⁾ vero, millesimo centesimo tricesimo quarto. Deinde anno millesimo centesimo octogesimo octavo, sexto decimo Kalendas Aprilis, conventus noster exivit de Claustro cum Abbate suo Hermanno, et undecimo Kalendas eiusdem mensis venit super montem Stromberg. Postea quarto anno descendit in vallem, quae nunc dicitur²⁾ Vallis sancti Petri. NOVICIUS: Cum ex his quae audivi, ordo Nigrorum³⁾ et noster eiusdem sint regulae, miror cur tam disparis sint disciplinae. MONACHUS: Noveris Cluniacenses et Cistercienses unius quidem esse regulae, sed dissimilis observantiae. Aiunt enim rigorem regulae a quibusdam sanctis patribus esse temperatum, ut multi in ordine possint⁴⁾ salvari. De habitu vero, in quo maxima videtur esse diversitas, audi quid dicatur: De colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua⁵⁾ habitant, aut quod vilius comparari potest⁶⁾. Haec de his dicta sufficiant. Hoc autem fixum teneas, ordinis nostri auctorem esse Spiritum sanctum, institutorem sanctum⁷⁾ Benedictum, innovatorem vero venerabilem Abbatem Robertum.

CAPITULUM II.

Quid sit conversio, unde dicatur, et de speciebus eius.

NOVICIUS: Considerans in praefatione tua ordinem propositae narrationis, miror contritioni antepositam gratiam conversionis, cum videatur prorsus superfluum, ut quis convertatur, nisi prius de peccatis suis conteratur. MONACHUS: Contritio aliquando praecedit conversionem, aliquando sequitur. NOVICIUS: Vellem mihi hoc exemplis probari; prius tamen audire delectat, quid sit conversio, unde dicatur, quot sint eius species, seu quibus occasionibus quis convertatur.

1) D Claustrenses. Intelligit auctor Hemmenrode, Himmerode, ordinis Cisterciensis monasterium, prope Kylburg in Eiflia situm. — 2) dicitur habet C post Petri. Haec vallis vocatur vulgo Heisterbach. — 3) C add monachorum. Nigri, monachi sunt ordinis S. Benedicti. — 4) BC possent. — 5) BC in qua. — 6) verba sunt Regulae S. Benedicti cap. 55. — 7) BC beatum.

MONACHUS: Conversio est cordis versio, vel de malo in bonum, vel de bono in melius, vel de meliori in optimum. De hac versione per Salomonem dicitur: *Verte impium, et non erit*¹⁾; subaudis, peccator, quod prius fuit. Prima versio est ad cor, secunda in corde, tertia de corde; prima contritionis, secunda devotionis, tertia contemplationis. Conversio ad cor, est redire de culpa ad gratiam, de peccato ad iustitiam, de vitio ad virtutem. De hac per Isaiam dicitur: *Praevanitatores, redite ad cor*²⁾. Conversio in corde, est proficere in caritate, ire de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion, id est, in contemplatione. De hac per Psalmistam dicitur: *Ascensiones in corde suo disposuit, et cetera*³⁾. Conversio de corde, est mentis excessus in contemplatione. Hac usa sunt coelestia illa⁴⁾ animalia, quae ibant et revertebantur⁵⁾; ibant de corde ad Deum, per contemplationem ascendendo, revertebantur ad actionem rursum descendendo. Contemplatio supra cor est, unde excessus mentis in scripturis dicitur. Dicitur autem conversio quasi simul versio, id est, totalis⁶⁾. Secundum hoc: Qui unum vitium deserit, et ab altero non recedit, se quidem vertit, sed non convertit. Unde Psalmista orat: *Converte nos Deus salutaris noster*⁷⁾. Est et alia species conversionis, cum quis locum et habitum⁸⁾ mutat, zelo alicuius religionis. Talis conversio saepe fit sine contritione. Neque magnum⁹⁾ est coram Deo peccatorem mutare locum, et non vitium; mutare vestem, et non mentem. Monstruosa res est¹⁰⁾, sub vestitu ovium cor gerere lupinum. NOVICIUS: Numquid et hoc contingere solet? MONACHUS: Etiam, ecce exemplum¹¹⁾.

1) Proverb. 12, 7. Mox subaudis dictum pro subaudi, subintellige. — 2) Isai. 46, 8. — 3) Psal. 83, 6. — 4) BC illa coelestia. — 5) Ezech. 1, 14. Homil. IV. p. 131: „animalia, quae vidit Ezechiel in visione Dei, ibant et revertebantur. Haec imitari debent viri religiosi, eundo ad vitam contemplativam et redeundo ad activam. Quando monachi, variis officiis deputati, psallendi, orandi meditandive causa praeparant se ad oratorium, sunt contemplativi; quando ad officia redeunt, activi.“ — 6) repete, versio. Conf. et infra II, 1. — 7) Psal. 84, 5. — 8) C habitum et locum. — 9) id est, parum. — 10) BC est res. Homil. III. p. 106: „monstruosa res est, monachus superbus.“ S. Bernard. Opp. IV. p. 27: „monstruosa res, gradus summus, et animus infimus.“ — 11) ecce exemplum om BC.

CAPITULUM III.

De Priore Claraevallis, qui conversus ut aliquid raperet, mirabiliter mutatus est.

Retulit mihi frater Godefridus monachus noster, quondam canonicus ¹⁾ sancti Andreae in Colonia, cum essemus simul in probatione, rem dignam memoria. Asserebat sibi a quodam monacho Claraevallis bene noto relatum, quendam clericum actu trutanum, quales per diversas vagari solent provincias ²⁾, venisse ad Claramvallem, non quidem zelo ordinis, sed ut aliquid monasterio ³⁾ raperet sub pallio religionis. Factus itaque novicius, cum per totum annum probationis suae insidiaretur ornamentis ecclesiae, et propter diligentem custodiam satisfacere nequivisset cordis sui malitiae, haec intra se cogitabat: Cum factus fuero monachus, et licuerit ministrare, sine nota ac labore ⁴⁾ ipsos calices subtraham, sicque recedam. Ecce tali intentione legit professionem, promisit obedientiam, induit cucullam. Sed pius Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat ⁵⁾, perversam voluntatem mirabiliter mutavit, et venenum in antidotum misericorditer convertit. Induto enim habitu monachi ⁶⁾, contritus et conversus adeo profecit in sancta ⁷⁾ religione, ut non multo post propter meritum vitae ad dignitatem Prioratus ascenderet in Claravalle. Et, ut iam dixi, ipsa ⁸⁾ eius culpa aliis facta est ⁹⁾ medicina: nam postea saepius ista recitare solitus erat ¹⁰⁾ noviciis, et plurimum in eis aedificati sunt. **NOVICIUS:** Vellem nosse, unde ei talis ac tanta fuerit mutatio ¹¹⁾. **MONACHUS:** Ut aestimo principaliter ex misericordia Dei, secundo ex virtute et benedictione sancti vestimenti ¹²⁾, ut ait quidam sanctorum patrum antiquorum: Habitus monachi virtutem habet baptismi ¹³⁾. Noverunt multi Henricum conversum de Claustro,

1) Scholasticus nuncupatur hic Godefridus infra II, 13. IV, 49. Alius est a Godefrido, cuius mentio fit VI, 5. XI, 43. 44. — 2) C quales vagari solent per diversas provincias. — 3) monasterio om C; B de monasterio. — 4) ac labore om C. — 5) Ezech. 18, 23. — 6) P monachali. — 7) sancta om C. — 8) ipsa om C. — 9) B facta est aliis, C est aliis facta. — 10) B postea solitus erat ista recitare, C postea saepius haec recitare solebat. — 11) C mutatio fuerit. — 12) sancti vestimenti BC, monachali DP. — 13) Hieronym. Epist. 25 de obitu Blesillae.

magistrum in grangia, quae vocatur Hart, qui testatus est Spiritum sanctum in specie columbae super caput cuiusdam novicii ¹⁾ descendisse, cum in monachum benediceretur ab Abbate. NOVICIUS: Audio in isto quod laetificat; sed quoddam occurrit memoriae, quod multum me terret: quosdam intellexi venisse ad ordinem bona intentione, et adolescentes magnae innocentiae, qui processu temporis respexerunt retro ²⁾ et perierunt. MONACHUS: Frequenter audivi talia. Dicere solitus erat dominus Johannes Archiepiscopus Treverensis, vir prudens et cui satis erant nota ³⁾ ordinis nostri secreta, rarum esse quod pueri vel iuvenes ad ordinem venientes, quorum conscientias ⁴⁾ pondus peccati non gravat, ferventes sint. Imo, quod miserabile ⁵⁾ est, vel in ordine tepide et ⁶⁾ minus bene vivunt, vel ab ordine prorsus recedunt: quia non est in ⁷⁾ eis timor accusatricis conscientiae; de virtutibus suis praesumunt, sicque subortis tentationibus minus resistunt. Nosti fratrem nostrum ⁸⁾, qui infra hunc mensem de grangia vicina ⁹⁾ deceptus a muliere recessit? NOVICIUS: Optime. MONACHUS: De isto mihi constabat ¹⁰⁾, quod corpore virgo fuit ¹¹⁾, iuvenis disciplinatus, ita quod neminem inter conversos nostros aestimabam ¹²⁾ eo meliorem. NOVICIUS: Vere Dominus, ut dicit Propheta, *terribilis in consiliis super filios hominum* ¹³⁾. MONACHUS: Dicam tibi et ¹⁴⁾ aliud, quod temporibus seniorum nostrorum contigit in Claustro, matre nostra, sicut illorum relatione cognovi ¹⁵⁾.

CAPITULUM IV. *)

De novicio in Hemmenrode converso, de quo sanctus David dixit: Non est omnibus datum.

Venit illuc ¹⁶⁾ quidam adolescentulus multum devote et humiliter petens ingressum; susceptus autem, sine querela conversatus est ¹⁷⁾. Hunc vero venerabilis sacerdos David,

1) C cuiusdam novicii caput. — 2) BC retro respexerunt. — 3) C nota erant. — 4) C conscientiam. — 5) B miserabilius. — 6) BC vel. — 7) in om C. — 8) nostrum om DP. — 9) de grangia vicina om C. — 10) C constat. 11) C fuerit. — 12) C add esse. — 13) Psal. 65, 5. — 14) et om C. — 15) C audivi. — *) subsequens exemplum habes etiam in Homil. II. p. 40. — 16) C illic. — 17) BC add in probatione.

de cuius sanctitate mira dicuntur, specialiter amabat, et ad propositum religionis verbis suis mellifluis frequentius animabat ¹⁾. Cui iuvenis idem sequentias et quaeque dulcia cantica ²⁾ de Domina nostra versa vice recitavit, quibus sanctam illius devotionem ³⁾ saepius excitavit. Eodem anno flante aquilone, a quo panditur omne malum ⁴⁾, coepit idem novicius fluctuare, et quia periculose tentaretur, sancto viro indicare. A quo multis sermonibus confortatus, cum tentatio non cessaret, tandem de perseverantia desperans ⁵⁾ ait: Ecce iam ⁶⁾ recedo, diutius quod patior ⁷⁾ sustinere non valeo. Et sanctus: Exspecta me, inquit ⁸⁾, donec vadam ad ecclesiam et orem. Et promisit. Festinante viro Dei ad oratorium, ille concito cursu rediit ad saeculum, timens eius sanctis orationibus ⁹⁾ retineri. Reversus venerabilis sacerdos ab oratione, cum non invenisset quem reliquerat in probatione ¹⁰⁾, gemens ait: Non est omnibus datum, scilicet ut perseverent in ordine. NOVICIUS: Stupenda sunt, quae audio. Prior, de quo supra dictum est, Claraevallis, in sua et a sua perversitate ¹¹⁾ convertitur; adolescens iste in sua conversione pervertitur. Quid tibi de his sentiendum videatur, edicito. MONACHUS: Dico, sicut dixit sanctus: Non est omnibus datum. In illo manifesta Dei misericordia praedicatur; in isto occultum Dei iudicium formidetur. *Miserebor, ait, cui miserebor; et misericordiam praestabo cui miserebor: non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* ¹²⁾. NOVICIUS: Procede ergo, quia expediri volo, quo instinctu, quibusve occasionibus homines saeculares convertantur ad ordinem.

CAPITULUM V.

Quibus occasionibus homines convertantur.

MONACHUS: Multae sunt causae conversionis: quidam converti videntur sola vocatione sive inspiratione Dei, alii solo instinctu spiritus maligni, nonnulli quadam levitate animi,

1) verba et ad propositum — animabat om CD. — 2) cantica om C. — 3) C devotionem eius. — 4) Jerem. 1, 14; vide et infra VII, 33. — 5) BCP desperatus. — 6) C add ad saeculum. — 7) quod patior om BC. — 8) me, inquit om C. — 9) C precibus. — 10) BC in probatione quem reliquerat. — 11) DP perversione. — 12) Rom. 9, 15.

plurimi etiam ¹⁾ per ministerium aliorum convertuntur ²⁾, videlicet verbo exhortationis, virtute orationis, exemplo religionis. Sunt et innumeri, quos trahit ad ordinem multiplex necessitas, id est, infirmitas, paupertas, captivitas, erubescencia alicuius culpa, periculum vitae, timor vel experimentum poenae gehennalis, desiderium patriae coelestis. Talibus congruit ³⁾ illud Evangelicum: *Compelle intrare* ⁴⁾. NOVICIUS: Licet haec videantur probabilia, minus tamen sufficient, nisi annexa fuerint exempla. MONACHUS: Quod quidam convertantur sola Dei vocatione, ex hoc quod nunc subiungam poteris exemplo dignoscere.

CAPITULUM VI.

De canonico Leodiensi ad praedicationem sancti Bernardi converso, et de angelo, quem specie monachi vidit confiteri volentis.

Temporibus Conradi Regis Romanorum cum sanctus Bernardus praedicaret crucem in Leodio, quidam canonicus maioris ecclesiae prostratus in oratione ⁵⁾ ante quoddam altare, vocem huiusmodi coelitus demissam ⁶⁾ audivit: Exi et audi, Evangelium revixit ⁷⁾. Qui mox ab oratione surgens exivit et virum sanctum crucem contra Sarracenos praedicantem invenit: alios quidem signabat, alios ad ordinem suscipiebat. Qui compunctus et Spiritus sancti unctione intus instructus crucem suscepit, non tamen transmarinae illius expeditionis, sed ordinis, salubrius iudicans longam crucem imprimere menti, quam brevem zonam ad tempus assuere ⁸⁾ vesti. Legerat ⁹⁾ Salvatorem dicentem: *Qui non tollit crucem quotidie, et sequitur me, non est me dignus* ¹⁰⁾. Non dixit, uno anno vel duobus, sed quotidie. Multi post peregrinationes deteriores fiunt et pristinis vitiis amplius se involvunt; hi similes sunt canibus revertentibus ad vomitum, et suis lotis in volutabro luti sui ¹¹⁾. Monachorum vita regulariter viventium tota crux est, eo quod in singulis membris eos obedientia crucifigat ¹²⁾.

1) C autem, et mox ministeria. — 2) P convertuntur aliorum. — 3) C convenit. — 4) Luc. 14, 23. — 5) in oratione habet C post altare. — 6) BC dimissam. — 7) revixit om C. — 8) D assumere. — 9) C add enim. — 10) Luc. 9, 23. Matth. 10, 38. — 11) Petr. II, 2, 22. — 12) conf. infra VIII, 19.

NOVICIUS: Videris mihi praeferre ordinem ¹⁾ peregrinationi. MONACHUS: Non mea, sed auctoritate Ecclesiae praefertur ²⁾; habet ordo Cisterciensis a Sede sibi Apostolica indultum, ut cruce signatus, vel voto cuiuslibet alterius peregrinationis obligatus, si transire voluerit ad ordinem, coram Deo et facie Ecclesiae sit absolutus. Quod si istae duae cruces, ordinis videlicet et peregrinationis, aequae essent salubres, indifferenter fieret commutatio alterius in alterum. Monachus ordinem deserens et crucem suscipiens, vel, quod tolerabilius est, sine praecepto et ³⁾ licentia ordinis eidem peregrinationi ⁴⁾ se mancipans, non Christi peregrinus, sed apostata iudicatur. Novit successor Petri, cui specialiter commissae sunt claves regni coelorum, multo fore salubrius intus semper ⁵⁾ dimicare contra incentiva vitiorum, quam foris ad tempus adversus ⁶⁾ acies Sarracenorum. Quibusdam tamen converti volentibus sanctus Bernardus non consensit, sed cruce signari, ut postea dicitur ⁷⁾, praecepit. NOVICIUS: Non me poenitet hanc movisse quaestionem, quia multum me ⁸⁾ delectat talem audivisse solutionem. MONACHUS: Secutus est iam fatus ⁹⁾ clericus sanctum Bernardum cum socio suo Waltero ad Claramvallem, factique sunt ibidem ambo monachi. Contigit per idem tempus, ut conventus a Claravalle mittendus esset in Alna monasterium fratrum regularium, eo quod iidem fratres reddere se ordini consensissent. Habebat autem saepedictus Leodiensis ¹⁰⁾ magnum desiderium eundi cum fratribus ad ipsum locum, sed timuit dicere patri, verens ne forte deputaret levitati; conversusque ad Dominum oravit, quatenus sibi revelaret, quid facere deberet. Et facta est vox ad eum ¹¹⁾: Pete quod vis, et fiet tibi. Tunc accedens ad Abbatem suum, audacter dixit: Pater, si esset voluntas vestra, libenter irem cum fratribus istis. Et respondit: Vade cum eis in nomine Domini. Et missus est tam ipse quam Walterus cum novo conventu in Alna. Non multo post factus est Prior ¹²⁾ in eodem loco. Die quadam cum ei unus monachorum de confessione ¹³⁾ signum faceret, ille, eo quod sextam Dominae

1) C ordinem praeferre. — 2) C praefertur Ecclesiae. — 3) C vel. — 4) eidem peregrinationi habet C ante sine. — 5) C spiritualiter. — 6) BC contra. — 7) ut postea dicitur om DP. — 8) me om C. — 9) C iam praefatus. — 10) BD Leodicensis. — 11) C ipsum. — 12) C ipse Prior. — 13) de confessione habet C post faceret.

nostrae psalleret, innuit ei ut modicum exspectaret. Interim pulsata est sexta; et intravit chorum uterque. Stante Priore in stallo suo, angelus Domini, ut postea patuit, in figura et habitu eiusdem monachi quasi facturus confessionem ad pedes Prioris se prostravit. Quem cum levare vellet, disparuit. Et reversus in se Prior, intellexit angelum fuisse monachi¹⁾ confiteri volentis, et confessionis repulsam sibi quodammodo²⁾ improperantis. NOVICIUS: Valde miror³⁾, quod angelus sanctus⁴⁾ Domini sic humiliter se pedibus hominis prosternere dignatus est. MONACHUS: Cum nobis a praelatis nostris negatur, quod saluti nostrae impendere tenentur, maxime quod ab angelis nobis deputatis utiliter suggeritur, quasi ipsis in hoc resistitur⁵⁾. Angelus vero homini, tanquam coelum terrae, tanquam aurum luto, se prostravit, ut ex ipso facto illius negligentiae⁶⁾ exprobraret, et timore percussus de cetero cautiorem efficeret. Hinc est quod Salvator in Evangelio dicit: *Vae qui scandalizat unum de pusillis istis*, et post pauca: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est*⁷⁾. Expleta hora canonica, Prior, vocato ad se⁸⁾ monacho, dixit ei: Modo fac confessionem tuam. Cui cum ille responderet: Bene exspecto⁹⁾, domine, usque in crastinum; in haec verba prorupit: Hodie non gustabo, nisi audiam¹⁰⁾ confessionem tuam. Erat enim hora prandii. Et acquievit ille. Ex illa hora Prior Deo promisit, quia nulla eum occupatio, nulla occasio, non¹¹⁾ inceptio psalmi, neque cursus¹²⁾ genitricis Dei¹³⁾ ab audiendis confessionibus abstraheret, cum signum confessionis videret. Factus vero grandaevus, cum propter corporis debilitatem ad Prioratum non sufficeret, laborem Marthae commutavit in quietem Mariae: vovit enim¹⁴⁾ Deo, ut singulis diebus psalterium ex integro decantaret; sicque virtutibus plenus migravit ad Dominum,

1) C illius monachi. — 2) C quodammodo sibi. — 3) C miror valde. — 4) sanctus om C. — 5) D resistunt. — 6) C negligentiae illius; paulo post D perculsum. — 7) Matth. 18, 6. 10. — 8) C ad se vocato. — 9) DP exspectabo. — 10) B audio, C audierim. — 11) C nulla. — 12) matutinarium cursus beatae Mariae est perantiquum officium ecclesiasticum. — 13) D add Mariae. — 14) C vovitque, et paulo post: psalterium singulis diebus decantaret ex integro.

coniunctus coetibus sanctorum ¹⁾ angelorum. Walterus ²⁾ compatriota eius, qui haec, quae dicta ³⁾ sunt, domino Henrico Abbati nostro recitavit, et ipse mihi, cum cuperet dissolvi et esse cum Christo ⁴⁾, diceretque quotidie in oratione ⁵⁾: Quando veniam et apparebo ante faciem Dei ⁶⁾? vox illi divina respondit: Regem in decore suo videbunt oculi tui ⁷⁾. Qui cum moreretur, stella lucida die clara super locum migrationis eius apparuit, ita ut in tota illa provincia videretur. NOVICIUS: Satis credibile est, quod visio stellae illius radiantis meritum designaverit animae egredientis. MONACHUS: Recte moveris. Hoc autem scias, quod rarissime contingit ⁸⁾, ut sole existente in superiori hemisphaerio stella aliqua videatur. Quod vero super morientem stella visa est, signum fuit, quod illa sancta ⁹⁾ anima in magna virtutum claritate Christo soli iustitiae ¹⁰⁾ coniuncta est. NOVICIUS: Non miror si Deus eos quos tam evidenter ad conversionem vocat, tam excellenter in morte glorificat. MONACHUS: Dicam tibi adhuc conversionem unius monachi, in qua perpendere poteris, quia sola ibi ¹¹⁾ operata sit vocatio, sive inspiratio Spiritus sancti.

CAPITULUM VII.

De Gevardo Abbate, quem dominus Everhardus plebanus sancti Jacobi in Colonia ante conversionem in cuculla vidit.

In ecclesia sanctae Mariae ad Gradus in Colonia erat quidam canonicus nomine Gevardus, aetate adhuc floridus et mundi vanitatibus satis deditus. In quadam sollemnitate cum statio esset ad eandem ecclesiam secundum consuetudinem, affuit et dominus Everhardus sancti Jacobi plebanus, vir iustus atque religiosus, et propter suam sanctitatem omni civitati reverendus. Qui cum venisset ante ostium chori et introspe-xisset, contemplatus est eundem Gevardum in tonsura et habitu monachi ¹²⁾ Cisterciensis inter concanonicos suos stantem;

1) sanctorum om C. — 2) C add vero. — 3) C scripta. —
— 4) Philipp. 1, 23. — 5) C orationibus suis. — 6) Psal. 41, 3. — 7) Isai. 33, 17. — 8) BC contingat. — 9) DP sancta illa; paulo post C virtutis. — 10) Malach. 4, 2; vide et infra VII, 20. — 11) DP ibi sola. — 12) C ordinis.

et miratus valde dicebat intra se: O quando ¹⁾ factus est Gevardus monachus? Et cum intellexisset ²⁾ visionem fuisse, hoc de illo in corde suo iudicavit, quod postea rei eventus probavit. Et quia consilium divinae dispositionis mutari non potest, omnimodis in illo impleri necesse fuit ³⁾, quod de illo ⁴⁾ Deus praeostendit. Modico elapso tempore idem iuvenis non sine multorum admiratione valedicens saeculo conversus est in Claustro, factusque ⁵⁾ novicius in eodem coenobio. Quod cum cognovisset praedictus ⁶⁾ sacerdos, Hemmenrode venit, Gevardum visitavit, et quid de illo ⁷⁾ viderit, omnibus noviciis recitavit. Haec mihi dicta sunt a nonno ⁸⁾ Frederico monacho, qui tunc praesens fuit, cum vir sanctus ista peroravit. Idem Gevardus postea in tantum profecit, ut domino Hermanno primo Vallis sancti Petri Abbati succederet, et non modicum per eum locus ipse ⁹⁾ tam in religione quam in possessionibus proficeret. Quod si minus tibi ¹⁰⁾ suffecerint haec nova exempla, referam tibi etiam de verbis sancti Bernardi testimonia satis vera. NOVICIUS: Quae nondum legi, audire delectat.

CAPITULUM VIII.

De conversione Mascelini clerici Episcopi Maguntiae.

MONACHUS: Cum ingressus fuisset aliquando regnum Germaniae sanctus Bernardus Abbas ¹¹⁾, pacem reformaturus inter Lotharium Regem Romanorum et praedecessoris eius Henrici nepotes, Maguntinorum ¹²⁾ Episcopus, Albertus nomine, clericum suum Mascelinum, sic ei nomen erat, obviam ei ¹³⁾ misit. Qui cum se missum diceret a domino suo ad serviendum ei, paulisper eum intuitus vir Dei dixit: Alius dominus te misit ad serviendum sibi. Et cum ille ad verba sancti expavesceret, asserens se ab Episcopo missum, respondit beatus Bernardus: Falleris, maior dominus misit te Christus. Tunc primum intelligens ¹⁴⁾, quorsum sermonem vibraret, ait: Putas me monachum velle fieri? absit a me, nec cogitavi, nec ascendit ¹⁵⁾ in cor meum. Nihilominus tamen illo renuente

1) quando om P. — 2) DP add postea. — 3) C est. — 4) DP eo. — 5) C add est; mox D monachus. — 6) C idem. — 7) D eo. — 8) BC domino. — 9) B ipsum locus ipse, C eum locus ille. — 10) DP tibi minus. — 11) Abbas om BC. — 12) D Moguntinorum. — 13) C ei obviam. — 14) intelligens habet C post vibraret. — 15) C intravit.

famulus Dei affirmabat omnimodo ¹⁾ fieri debere, non quod ipse de se cogitaverat, sed quod Deus de illo disposuerat ²⁾. Qui in eodem conversus itinere ³⁾, valedicens saeculo, factus est monachus in Claravalle ⁴⁾. Ecce, ubi in isto voluntas convertendi, in quo sola operata est voluntas Spiritus sancti? NOVICIUS: Placet quod dicis; sed dic quaeso exemplum de hoc, quod quidam econverso convertantur solo instinctu spiritus maligni MONACHUS: Exemplum praesto est ⁵⁾.

CAPITULUM IX.

De conversione magistri Stephani de Vitreio.

Legitur in Vita ⁶⁾ iam dicti patris, tempore quodam venisse ad Claramvallem magistrum Stephanum de Vitreio, virum magnae scientiae, ut putabatur gratia conversionis. De cuius adventu cum tota vallis exsultaret, personam tanti viri considerans, beatus Bernardus in haec verba prorupit: Diabolus eum adduxit; solus venit, solus revertetur. Ad hoc enim venerat, ut quosdam novicios, quos in literatura ipse informaverat, ad saeculum reduceret. Ne sanctus pater scandalizaret pusillanimes, hominem recepit, quem non perseveraturum sciebat; ut novicius fieret, consensit ⁷⁾. At spiritus malignus, cum toto illo anno ⁸⁾ per os sui mancipii in aure noviciorum sibilaret, nec proficeret, quem ad illorum ruinam adduxerat, solum, secundum prophetiam viri Dei, cum multa confusione reduxit. Audi et aliud exemplum de vicino.

CAPITULUM X.

De conversione Goswini sacerdotis, qui de probatione cum furto fugit.

Venerunt ad nos duo sacerdotes gyrovagi, ingressum petentes. De quorum perseverantia cum pene nulla esset

1) DP omnino. — 2) BDP cogitaverit — disposuerit. — 3) B Et in eodem conversus itinere, C Et in eodem itinere conversus. — 4) conf. Vit. S. Bernard. IV, 3. p. 901. — 5) exemplum praesto est om BC. — 6) Vit. S. Bernard. I. 13. p. 795. — 7) BC et ut novicius fieret, quem non perseveraturum (C perseverare) sciebat, consensit. — 8) C per totum annum illum.

spes ¹⁾, negatum est eis quod postulabant. Uno discedente ²⁾, alter, cui nomen erat Goswinus, importunitate sua ut reciperetur obtinuit. Qui vix per sex hebdomadas in probatione stetit, et nocte quadam infra matutinas, eius mandato ³⁾ qui eum adduxerat obediens, cum furto recessit. NOVICIUS: Forte simplici intentione venit ⁴⁾. MONACHUS: Nequaquam. Cum adhuc cum socio suo esset in hospicio, et paterentur ⁵⁾ difficultatem in recipiendo, dicebat alter ad alterum: Sine, licet modo nobis sint graves, tamen eos decipiemus. Hoc quidam conversorum nostrorum illis ignorantibus audivit. Nonnullos converti ex quadam levitate animi, saepius sumus experti ⁶⁾.

CAPITULUM XI.

De canonico quodam Coloniensi, qui antequam indueret habitum, resilivit.

Venit ad nos adolescens quidam canonicus in Colonia ⁷⁾, magis, ut postea rei exitus probavit, ex quadam levitate mentis ⁸⁾, quam devotione conversionis. Qui suum nobis aperiens propositum, iuvenibus nostris maxime, non parvum fecit gaudium. Dominus Gevardus Abbas noster intelligens solam in causa esse levitatem ⁹⁾, eo quod delusisset ¹⁰⁾ vestimenta sua, sola quippe tunica indutus ¹¹⁾ venit, cum tamen satis rogaretur suscipere iuvenem, non consensit. Qui mox eadem via, qua venit ¹²⁾, rediit, nec aliquando postea alicuius conversionis mentionem fecit.

CAPITULUM XII.*)

Item de alio iuvene, qui de probatione gratia solvendorum debitorum extractus, non est reversus.

Alius quidam adolescens bene natus et divitum filius ad nos parentibus ignorantibus venit, et ut reciperetur facile

1) B nobis spes esset, P esset nobis spes. — 2) B recedente. — 3) DP mandatis. — 4) C venerat. — 5) paterentur R, pateretur ceteri libri; conf. X, 35. — 6) D sum expertus, P expertus sum. — 7) C quidam adolescens in Colonia canonicus. — 8) C levitate quadam animi. — 9) BC solam levitatem fuisse in causa. — 10) hoc est, lusu perdidisset; conf. IV, 44. — 11) C vestitus tunica. — 12) DP venerat. — *) conf. Homil. I. p. 90.

obtinuit; nolo enim nomina tam huius quam supradicti exprimere, sperans adhuc eos¹⁾ reversuros, ne forte ex hoc patiantur²⁾ confusionem. Factus itaque novicius, vix tribus vel quinque diebus elapsis, venerunt amici eius dolentes, et ut reverteretur ad saeculum, plurimis³⁾ verbis exhortantes. Noverant eum quandam summam pecuniae perdidisse, nescio quo ludo, et magis ex dolore quam devotione conversum. Et cum non proficerent, suaserunt ut debita persolveret⁴⁾, et statim rediret. Sicque non vi, sed dolo ab amicis extractus, non est reversus. Et cum sollemne votum fecisset inter manus domini Abbatis, et propter hoc coram Clero ab eo⁵⁾ tractus fuisset in causam, per literas legati et aliis⁶⁾ modis, quibus potuit, se defendit, asserens se conversum ex quadam levitate et turbatione animi. Quod si verum non esset⁷⁾, exemplum domini Henrici Abbatis nostri⁸⁾ imitatus fuisset. **NOVICIUS:** Hoc quid sit, audire delectat.

CAPITULUM XIII. *)

De conversione Henrici Abbatis.

MONACHUS: In ecclesia Bonnensi idem Henricus⁹⁾ canonicus fuit, plures habens redditus. Inspirante Domino¹⁰⁾, fallax saeculum occulte¹¹⁾ deseruit, et desiderio ordinis Cisterciensis accensus ad domum nostram conversionis gratia venit. Cum adhuc esset in hospicio, duo milites fratres eius, fugam eius intelligentes, et sicut homines saeculares, carnalia spiritualibus et temporalia aeternis praeponentes, unde gaudere debuerant¹²⁾, turbati sunt. Et concito cursu¹³⁾ venientes, praemiserunt puerum, qui ei quasi ex parte matris loqueretur, ut tali occasione a conventu abstraheretur. Quem cum in¹⁴⁾ locum insidiarum idem puer duxisset, accurrentes milites, vi equo¹⁵⁾ iniectum, nolentem et reluctantem, cum dolore totius conventus, reduxerunt: nondum enim habitum induerat. Per

1) C eos adhuc. — 2) C patiantur ex hoc. — 3) P plurimum; mox D exhortantes verbis. — 4) DP debita sua solveret; mox C iam pro statim. — 5) ab eo om C. — 6) DP aliisque. — 7) C fuisset. — 8) nostri om BC. — *) Homil. I. p. 90. — 9) idem Henricus om BC. — 10) BDP Deo. — 11) occulte om C. — 12) D debuerunt. — 13) DP gradu. — 14) C ad. — 15) pro vi equo habent CD in equo, B in equum; conf. IV, 92. XII, 20.

aliquod tempus cum eis commoratus, cum iam securi essent de eo, iterum fugit, indutoque habitu spem totius reversionis eius exclusit ¹⁾. Non iste fecit sicut duo superiores, quia non levitatis vitium, sed virtus constantiae in conversione ²⁾ fuit. Hoc exemplum et alia quaedam ³⁾, quae hic aedificationis causa scripturus sum, in Homeliis Moralibus de Infantia Salvatoris posuisse me memini. NOVICIUS: Puto grave esse peccatum, novicium redire ad saeculum. MONACHUS: Quanta sit culpa, facile perpenditur ex poena.

CAPITULUM XIV. *)

De miserabili morte Leonii novicii apostatantis.

Priusquam venirem ad ordinem, in ecclesia sanctae Mariae ad Gradus in Colonia canonicus quidam fuit, qui valedicens saeculo, religionis habitum in Hemmenrode suscepit. Nomen iuveni Leonius, et erat mihi bene notus. Habebat hic fratres milites in saeculo ⁴⁾ satis potentes. Qui cognita eius conversione turbati sunt, et venientes ⁵⁾ ad Claustum, multis verbis suaserunt ut rediret ad saeculum, ordinis austeritatem ei proponentes. Et quia obligatus erat debitis, aiebant hoc esse ⁶⁾ rationabile ut rediret, debita persolveret ⁷⁾, sicque sine querela revertens ⁸⁾ Domino serviret. Et promiserunt quia ⁹⁾ eum reducerent. Quorum verbis miser seductus, exire consensit, inimici laqueos non observans. Quod videns dominus ¹⁰⁾ Hermannus Abbas ingemuit, et cum multo cordis dolore militibus dixit: Hodie fratrem vestrum eiicientes de paradiso, deponitis in inferno. Reversus ad praebendam suam, deterior factus est quam prius, magis operam dans explendis vitiis, quam solvendis debitis. Post annos aliquot ¹¹⁾ graviter infirmatus, iusto Dei iudicio ex nimietate infirmitatis in furorem versus est. Quem cum sui monerent de confessione et de sacra communione, verba salutis non attendit ¹²⁾; sed quasdam mulierculas, cum quibus sanus peccaverat, propriis nominibus

1) C eius excludit, P eis exclusit, D exclusit eis. — 2) C causa. — 3) quaedam om C. — *) Homil. I. p. 89. — 4) C hic habebat fratres in saeculo milites. — 5) DP venientesque. — 6) esse om P. — 7) BDP solveret. — 8) P revertens sine querela. — 9) C ut. — 10) dominus om P. — 11) C aliquos. — 12) P intendit.

crebrius vocitavit ¹⁾. Scissis etiam catulis carnes illorum calidas, quasi pro remedio, capiti eius nudo imposuerunt, sed nihil ei profuerunt. Non enim poterant carnes rabiem ²⁾ sanare, poenam apostasiae. Audi et aliud exemplum de alio novicio.

CAPITULUM XV.

De horrenda morte Benneconis novicii, et quod non liceat noviciis redire ad saeculum post votum.

Miles quidam Benneco nomine, de villa Palmirsdorp oriundus, mecum in probatione novicius ³⁾ fuit, vir quidem aetate ⁴⁾ grandaevus, sed circa propositum religionis minus devotus. Multis modis tentatus et in tentatione victus, cum non acquiesceret consilio ⁵⁾ fratrum, sicut canis ad vomitum, sic miser ⁶⁾ reversus est ad saeculum. Secunda vice id actitans, praeventus infirmitate, in domo propria in habitu saeculari diem clausit extremum, nullum poenitentiae demonstrans indicium. Qui cum moreretur, tantus fuit circa domum flatus ventorum, tanta super tectum multitudo corvorum, ut excepta una vetula omnes de domo territi ⁷⁾ fugerent et morientem desererent. Ecce quali morte moriuntur, qui a Deo recedunt. NOVICIUS: Puto quia flatus ille ventorum et turba crocitantium corvorum evidens fuerit ⁸⁾ signum praesentiae daemoniorum. MONACHUS: Plane ita est; ait enim Salvator: *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno coelorum* ⁹⁾. Miles iste, quia per apostasiam retro respexit, de culpa non poenitendo, ministris gehennae de se ¹⁰⁾ gaudium fecit. NOVICIUS: Si tanta est culpa novicio ¹¹⁾ redire ad saeculum, quid est quod sanctus Benedictus praecepit, ut perlecta regula novicio in haec verba dicatur: *Ecce lex sub qua militare vis: si potes observare, ingredi; si non potes, liber discede?* MONACHUS: *Mavult sanctus pater inter duo mala* ¹²⁾ novicium discedere tem-

1) C saepius vocabat, B celebrius nominavit. — 2) sic legendum, non rabidae, ut exhibent libri. Mox BP sedare poenam, C vitium sedare. — 3) C novicius in probatione. — 4) aetate om D. — 5) C consiliis. — 6) C add ille. — 7) territi om B et pr C. — 8) BC fuit. — 9) Luc. 9, 62. — 10) de se om DP. — 11) C noviciorum. — 12) mala om D.

pore probationis, quam iam monachum post diem professionis. Unde eum liberum vocat¹⁾ a loco, non a voto. Ut enim taceam de his, qui iam habitum religionis induerunt²⁾, qui semel ac secundo in facie³⁾ Capituli stabilitatem suam promiserunt: saecularibus personis, qui solo verbo votum fecerunt inter manus Abbatis, nequaquam licitum est vitam saecularem⁴⁾ sectari vel matrimonio ligari. Circa novicium in necessitate dominus Papa⁵⁾ dispensat, ut ad ordinem transeat mitiorem⁶⁾; sed non permittit, ut ad vitam redeat saecularem. Ecce ex his⁷⁾ quae dicta sunt dignoscere poteris, quosdam converti sola vocatione Dei, alios solo instinctu spiritus maligni, nonnullos quadam levitate animi. Quod autem quidam⁸⁾ convertantur per ministerium aliorum, certum est; quia sicut olim in tabernaculo Dei cortina traxit cortinam, ita hodie in Ecclesia Dei frater trahit fratrem, et hoc tribus modis, sermone videlicet, oratione, exemplo religionis⁹⁾. Ecce funiculus triplex, qui difficile rumpitur¹⁰⁾. NOVICIUS: De his exempla requiro.

CAPITULUM XVI.

De conversione Henrici contracti de Claravalle.

MONACHUS: In Claravalle ante hos undecim annos monachus quidam Henricus nomine defunctus est, vir grandaeus et sanctus, corpore quidem contractus et confractus, sed corde multum diffusus¹¹⁾ ac dilatatus. Multas hic habebat a Deo consolationes¹²⁾, plurimas revelationes, spiritu pollens prophetiae, nulliusque¹³⁾ expers spiritualis gratiae. Venerabilem hunc virum tempore generalis Capituli Abbates¹⁴⁾ frequentabant, quos plurimum suis sermonibus aedificabat. Huic familiaris erat¹⁵⁾ dominus Gevardus Abbas noster, cui inter cetera narravit totum ordinem conversionis suae. Cum

1) BD iudicat. — 2) C taceam qui habitum iam induerunt. — 3) C faciem. — 4) C saecularem vitam. — 5) dominus Papa om C. — 6) C mitiorem transeat. — 7) C Ecce in his, P Ex his. — 8) C aliqui. — 9) C et exemplo conversionis. — 10) Eccles. 4, 12. — 11) B distensus, C distentus. — 12) B habebat consolationes a Deo, C a Deo habebat consolationes. — 13) que om DP. — 14) Abbates habet C ante tempore. — 15) C fuit.

sanctus Bernardus praedicaret. crucem in Dioecesi ¹⁾ Constantiensi, contigit eundem Henricum interesse sermoni. Qui cum esset homo dives et potens, multa habens castra, et cum divitiis infinita crimina, sermone viri Dei compunctus, ait ad ipsum ²⁾: Domine, si non terreret me illa consuetudo, quam intellexi esse in ordine vestro ³⁾, scilicet quod venientes ad vos indifferenter ad diversas emittitis regiones, ego me vobis redderem in continenti. Cui vir sanctus respondit: Ego sub conditione te non recipiam; sed hoc tibi promitto, quia si in Claravalle monachus fueris, ibi morieris. Audito hoc verbo, mox se reddidit, factusque est interpres Abbatis, eo quod in utraque lingua, Gallica videlicet et Teutonica, multum foret expeditus. Videns hoc quidam ballistarius servus eius, homo crudelis et pronus ad fundendum sanguinem, nimis de conversione domini ⁴⁾ turbatus, telum ballistae imposuit, ut sanctum Abbatem feriret. Statimque ab angelo Domini percussus, retrorsum cecidit, et exspiravit. De cuius tam repentina morte Henricus territus, et maxime de perditione animae contristatus, sciens Abbatis sanctitatem et in signis potentiam, cecidit ad pedes eius, humiliter et cum multa instantia supplicans, quatenus miserum de faucibus inferni suscitando liberaret. Compassus vir beatus tam unius dolori quam alterius perditioni, flexis genibus Deum cum lacrimis exoravit, et mortuum celerius suscitavit. Qui suscitatus, ad suscitantis pedes corruit ⁵⁾, et ut se in conversum susciperet, cum multis suspiriis petivit. Cui vir sanctus respondit: Scio quod naturaliter protervus sis ac distortus, nec expedit ut sis inter religiosos; sed volo ut crucem suscipias, mare transeas, et ⁶⁾ cum Sarracenis configendo citius finiaris. Et fecit sic, crucem accepit, mare transivit, cum inimicis crucis dimicavit, et in conflictu necatus ad Deum ⁷⁾ migravit. — Eodem tempore mulier quaedam paralytica clamavit post hominem Dei, sanitatem ab eo ⁸⁾ postulans; et cum sequi non valeret, iam enim praecesserat, misertus illius Henricus levavit eam

1) C Episcopatu. — 2) B ad eum, C ei; mox DP si me non terreret. — 3) C quam in ordine vestro intellexi. — 4) CP domini conversione; mox C dolens pro turbatus. — 5) B ad suscitantis corruit pedes, C ad pedes suscitantis corruit. — 6) DP ut. — 7) BC Dominum. — 8) ab eo om C.

in equum suum, quam sancto praesentans ¹⁾ benedictione percepta deposuit ²⁾. Quae sana facta stetit, et propriis pedibus gaudens ad propria remeavit. Hoc ab ore domini Gevardi Abbatis ³⁾ audiui. Iste est Henricus, qui tempore quodam ab eodem sancto patre in partes remotiores missus, glacie sub pedibus eius fracta, longius sub unda tractus, mirabiliter est illius benedictione reductus ⁴⁾. Ecce iste sermone conversus est. Sed quid quaero exempla de remoto, cum hoc quod de aliis recito, impletum gaudeam in me ipso?

CAPITULUM XVII.

De conversione auctoris huius opusculi.

· Eo tempore quo Rex Philippus primo vastavit Dioecesim Coloniensem, contigit me cum domino Gevardo Abbate de Monte sanctae Walburgis ire Coloniā. Et cum me in via cum multa instantia hortaretur ad conversionem, nec proficeret, retulit mihi visionem illam gloriosam Claraevallis, in qua legitur, quod quodam tempore messis, cum conventus in valle meteret, beata Dei genitrix virgo Maria et sancta Anna mater eius ac sancta Maria Magdalena de monte venientes, quodam viro ⁵⁾ sancto, qui stabat ex adverso, aspiciente, in vallem eandem in magna claritate descenderunt, monachorum sudores terserunt, flabello ⁶⁾ manicarum suarum ventum admoverunt, et reliqua quae ibidem posita sunt. Sermone huius visionis in tantum motus fui, ut Abbati promitterem, me non venturum nisi ad eius domum gratia conversionis, si tamen Deus mihi inspiraret voluntatem. Astrictus tunc fueram voto peregrinationis ad sanctam Mariam Rupis Amatoris ⁷⁾, quae maxime me retinuit. Qua post menses tres expleta, nullo amicorum meorum sciente, sola Dei misericordia me praeveniente et promovente, ad Vallem sancti Petri

1) BC et praesentans eam sancto. — 2) C percepta benedictione deposuit, B deposuit percepta benedictione. — 3) Abbatis om DP. — 4) de hoc Henrico vide etiam Vit. S. Bernard. VII, 19. V, 1. — 5) viro om BC. — 6) DP flabellis. 7) CP Salvatoris, B antodoris. Rupes Amatoris, Rocamadour in regione Cadurcorum, fuit ordinis S. Benedicti coenobium, Nostrae Dominiae dedicatum. Conf. infra VII, 24. Vit. S. Engelb. I, 9. p. 304.

veni, et quod sermone concepi¹⁾, novicius factus opere ostendi. Simile pene contigit fratri Gerlaco de Dinge, monacho nostro²⁾. NOVICIUS: Non erit inutile his qui adhuc in saeculo sunt, exempli gratia talia audire.

CAPITULUM XVIII.

De Gerlaco de Dinge, occasione cuiusdam sermonis converso.

MONACHUS: Ante hos tres annos³⁾ dominus Henricus, qui nunc est Abbas noster, dum⁴⁾ vice Abbatis de Clara-valle visitaret in Frisia, contigit eum hospitari in castro cuiusdam militis nomine Suederi. A quo cum multum devote susceptus esset, ut ei consuetudinis est, recitavit ibi⁵⁾ quaedam mirifica, quae in ordine⁶⁾ contigerunt; et cum adesset praedictus Gerlacus, filius fratris eiusdem⁷⁾ militis, canonicus maioris ecclesiae in Traiecto, sicut terra bona, semen verbi in agro cordis sui suscepit, et non multo post fructum ex eo centuplum fecit. Qui, sicut mihi postea in probatione retulit, ex illa hora propter conversionem coepit fluctuare, et qualiter conceptum ardorem exstingeret, diligentius cogitare. Nacta igitur occasione, ne notaretur, quasi ad studium Parisios perrexit; ubi cum modicum fecisset tempus⁸⁾, ad nos divertit, factusque novicius ad spirituale studium se convertit. Ex his duobus exemplis patet quosdam sermone converti, ut impleatur illud Apocalypsis: *Qui audit, dicat: Veni*⁹⁾. Qui audit vocem Domini se vocantis per internam aspirationem¹⁰⁾, iustum est, ut et alios vocare studeat per sermonis exhortationem. NOVICIUS: Fateor mihi ista sufficere de sermone; nunc procedas obsecro de oratione. MONACHUS: Sicut multos convertit exhortatio sermonis, ita plurimos ad ordinem trahit¹¹⁾ virtus orationis. Unde Apostolus Jacobus dicit: *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet oratio iusti assidua*¹²⁾. Cuius efficaciam per exempla subiecta¹³⁾ plenius agnosces.

1) DP conceperam; mox C effectus. — 2) verba Simile — nostro om C. — 3) BC add cum. — 4) dum om BC; conf. V, 29. — 5) ibi om C. — 6) DP ordine nostro. — 7) P eius, B praedicti. — 8) D modicum tempus stetisset. — 9) Apoc. 22, 17. — 10) CP inspirationem. — 11) C trahit ad ordinem. — 12) Jac. 5, 16. — 13) subiecta om C.

CAPITULUM XIX. *)

De conversione Henrici germani Regis Franciae.

Accidit tempore quodam, ut Henricus germanus Regis Franciae veniret in Claramvallem, locuturus beato Bernardo super quodam saeculari negotio; totum etiam conventum visitans, illius se orationibus commendavit. Cui venerabilis Abbas inter cetera vitae salutaris monita respondit: Confido in Domino, te non moriturum in eo in quo nunc es statu, sed velociter experimento probabis, quantum tibi istorum prosit oratio, quos expetisti. Quod eodem die probatum est, non sine multorum admiratione, de tanti iuvenis exultantes conversione. Sui eum lugebant, et tanquam mortuum cernebant, ita inconsolabiliter ¹⁾ eiulabant. NOVICIUS: Non miror, si cito potuit converti, qui se habilem exhibuerat conversioni. MONACHUS: Quod si illius conversionem magis ascribis eius meritis, quam orationibus iustorum, audi quid post haec actum sit. Cum socii ac tota familia Henricum, ut iam dixi, deplangerent, Andreas quidam Parisiensis, ex nimia impatientia doloris ²⁾ quasi in furorem versus, dominum suum ebrium, insanum mentisque impotem vociferabatur ³⁾, nec conviciis neque blasphemis parcens. Et cum Henricus virum sanctum deprecaretur, ut pro illius conversione operam daret, respondit: Ne sis pro illo sollicitus, anima eius modo in amaritudine est ⁴⁾, tuus est ille. Et cum repeteret audiente Andrea hoc verbum, ille sanctam religionem plurimum abhorrens, talia in corde suo tacitusolvebat ⁵⁾, sicut postea confessus est: In hoc te nuncio falsum esse ⁶⁾ prophetam; de hoc enim certus sum, quod locutus es verbum, et ⁷⁾ non fiet. Hoc tibi coram Rege et Principibus in celebri conventu improperabo, ut falsitas tua omnibus innotescat. Et cum altera die recederet, mala omnia monasterio imprecans, et vallem funditus subruere desiderans, in ipsa nocte victus et quasi vinctus, trahente se gratia et vim faciente spiritu Dei, vix diem exspectare potuit, et ad monasterium revertens, cunctis mirantibus, alterum se Saulum exhibendo, beato viro se reddidit. Ubi quaeso in

*) Homil. II. p. 8. — 1) C intolerabiliter. — 2) doloris om C. — 3) BDP vociferabat; conf. VI, 24. — 4) Reg. IV, 4, 27. — 5) Colvebat in corde suo tacitus; conf. Gen. 24, 45. — 6) C esse falsum; paulo post BC om de. — 7) C quod.

isto fuit convertendi voluntas, sive conversionis habilitas? Ecce Andreas iste, quantum in ipso fuit, a gratia se avertit; sed virtus orationis sanctorum aversum potenter convertit. NOVICIUS: Mira sunt haec et stupenda, et ut considero, iustorum oratio praecipue peccatoribus est ¹⁾ appetenda.

CAPITULUM XX.

De conversione cuiusdam, qui alteri ante ostium portae nocte apparuit in specie infantis.

MONACHUS: In domo nostra quidam monachus est, qui ad ordinem veniens, germanum suum quem unicum habuit, adhuc conversioni propter aetatem minus habilem, in saeculo reliquit. Timens eum saeculi impedimentis irretiri, eiusque per hoc conversionem impediri, quotidie Dominum oravit ²⁾, maxime tamen beatam eius genitricem, ut illius suis precibus accelerare dignaretur conversionem, cuius in saeculo periculosam esse ³⁾ consideravit habitationem: noverat pueros a suo proposito facile posse averti. Attendens pius Dominus pium monachi circa germanum studium, cordi Abbatis immisit, ut puerum susciperet, quem infra annos sine officii sui periculo suscipere non potuit. Ea nocte qua habitum induit, quidam ex sacerdotibus huiusmodi visionem de illo ⁴⁾ vidit. Videbatur ei quod matrona pulcherrima ante ostium monasterii staret, et puerum pulchrum in brachiis teneret. A quo interrogata, cuius esset ⁵⁾ puer ille, respondit: Filius illius monachi est, fratrem eius nomine designans, simul et ⁶⁾ nomen novicii intrantis exprimens. Et sicut ipse intellexit, qui hanc visionem vidit, ipsa matrona pulcherrima beata Dei genitrix fuit. Secundum Apostolum: Qui alium verbo vel exemplo ad bene vivendum informat, hunc profecto tanquam proprium filium Christo generat ⁷⁾. Quod autem eundem novicium venerabilis virgo Maria ad ostium monasterii, quasi mater filium, dignata est ⁸⁾ praesentare, dedit patenter intelligere, eius conversionem praedictum monachum suis orationibus per eius magna merita obtinuisse. NOVICIUS: Satis ex his cognosco virtutem

1) C est peccatoribus. — 2) C Dominum nostrum rogavit. — 3) esse om C. — 4) de illo om C. — 5) C add filius. — 6) DP simulque. — 7) Cor. I, 4, 15. Philem. 10. — 8) C dignata est quasi mater filium.

orationis; superest ut cognoscam et virtutem, quae est in exemplo religionis. MONACHUS: Hoc scias, quia multi quotidie sine exhortatione sermonis, nullis specialibus adiuti orationibus, per sola exempla religionis ad ordinem trahuntur, et per quaedam signa ¹⁾ devotionis, disciplinae vel sanctitatis, quae vident, convertuntur.

CAPITULUM XXI.

De Theoderico et Bernardo monachis, qui ob visionem unius veniae in sepultura mortui conceperunt conversionem.

Frater Theodericus monachus noster, cum adhuc adolescens esset in saeculo, sacerdotem quendam cognatum suum iam novicium visitare venit; sed non ut converteretur venit. Contigit interim fratrem mortuum sepeliri, quo sepulto, cum conventus dicta antiphona, Clementissime Domine, circa sepulchrum hinc inde cum multa humilitate veniam peteret, diceretque: Domine, miserere super peccatore; ita est compunctus, ita ad conversionem accensus ²⁾, ut qui prius a domino Gevardo Abbate admonitus, converti noluerat, ab illa hora ut susciperetur, vix multis precibus ³⁾ obtineret. Talem modum suae conversionis saepius mihi recitavit tempore suae ⁴⁾ probationis. Recitavit mihi et ⁵⁾ frater Bernardus monachus noster, in Vilario ⁶⁾ monasterio ad visionem similis veniae primum voluntatem convertendi se concepisse. NOVICIUS: Miror quod res tam modica tam magnam salutem operatur in anima. MONACHUS: Quid de hoc miraris? Quantum ad massam, multum modica est pillula, sed quantum ad efficaciam, virtus illius ⁷⁾ maxima; omnes corporis venas percurrit, humores solvit et eiicit, infirmum ad sanitatem convertit ⁸⁾. Si tanta virtus consistit in perceptione unius corporalis pillulae, quare mirari debes, maiorem esse, et ideo maiorem, quia spiritualem, in visione unius veniae ⁹⁾? Audi et aliud.

1) signa om C. — 2) DP est accensus. — 3) multis precibus om C. — 4) suae om C. — 5) et om C. — 6) C add ordinis nostri. — 7) C eius. — 8) B convertens. — 9) B in unius veniae visione.

CAPITULUM XXII.

De conversione domini Adolphi Episcopi Osinburgensis.

Nobilis adolescens dominus Adolphus, nunc Episcopus Osinburgensis ¹⁾, canonicus fuerat maioris ecclesiae in Colonia. Hic cum tempore quodam ad Campum, domum ordinis nostri, venisset, et post missas ²⁾ ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo monachi, tam senes quam iuvenes, ad diversa discurrentes ³⁾ altaria, ad disciplinas suscipiendas nudabant dorsa sua, confitentes humiliter ⁴⁾ peccata sua. Quae visio, sicut mihi quidam eius familiaris narravit, tantum boni operata est in corde adolescentis, ut abire non posset, sed saeculi pompam contemnens, et totum se ad Dominum ⁵⁾ convertens, ibidem manens sacrum religionis habitum susciperet. In quo tantum profecit, ut non multo ⁶⁾ post, tum propter nobilitatem, tum propter religiositatem, in praedicta Ecclesia apicem conscenderet episcopalem.

CAPITULUM XXIII.

De conversione Henrici camerarii.

Nosti fratrem ⁷⁾ Henricum camerarium nostrum. Huius conversio talis fuit. Cum esset clericus, et maioris ecclesiae in Treveri canonicus, atque multis aliis ecclesiasticis stipendiis honoratus ⁸⁾, tempore quodam infirmatus est. Spe igitur recuperandae sanitatis, accepta secum pecunia, Coloniam navigio descendere disposuit ⁹⁾, ut et physicos, quorum illic copia est, de infirmitate sua ¹⁰⁾ consuleret, et ex ipsa aeris mutatione aliquod remedium perciperet. Veniensque contra monasterium nostrum, loci nomen requisivit, et agnovit. Dicensque se velle hospitari in monasterio, pueros suos ad Abbatem pro equis, quibus ascenderet, praemisit, et accepit. Eadem nocte, nescio quid viderit, vel quo instinctu con-

1) C Osenburgensis, B Osnaburgensis; mox C fuit. — 2) BP missam. — 3) D diversa currentes, P universa currentes. — 4) BP humiliter confitentes. — 5) DP Deum. — 6) P multo tempore. — 7) fratrem om DP. — 8) D stipendiis oneratus, P stipendiis honoratus vel oneratus. — 9) DP descendere navigio proposuit; conf. VI, 34. VIII, 68. — 10) de infirmitate sua om DP.

versus fuerit, mane familiam suam flentem cum nave ¹⁾ remisit, et habitum regulariter induens nobiscum permansit.

CAPITULUM XXIV.

De conversione Gerlaci sacerdotis.

Frater Gerlacus sacerdos et ²⁾ monachus noster propter signa unius devotionis, quam in quodam monacho nostro vidit, sicut mihi confessus est, primum conversionis amorem concepit ³⁾. Die quadam cum monachus ille, quem bene nosti, missam in eius parochia celebraret, tantam secundum consuetudinem gratiam habebat ⁴⁾ lacrimarum, ut Gerlacus, qui propter ministerium ex latere stabat, eandem considerans gratiam, admirans Dominum magnificaret ⁵⁾. Ex illa hora ita coepit ordinem diligere, ut non quiesceret, donec unus ex ordinis personis fieret. Multa tibi adhuc dicere possem ⁶⁾ de his, qui exemplo aliorum conversi sunt; sed brevitati studendum est. NOVICIUS: Ex his quae iam audivi, certum est, alios converti per sermonem exhortationis, alios per virtutem orationis, nonnullos solo exemplo religionis. MONACHUS: Dictum est superius, adhuc alias esse causas multiplices, quae multis occasiones sunt conversionis, scilicet infirmitatem, paupertatem, captivitatem, notam alicuius infamiae, periculum praesentis vitae, timorem sive visionem gehennalis poenae, solum desiderium coelestis vitae ⁷⁾. NOVICIUS: De his precor ut exempla subiungas. MONACHUS: Quod quosdam compellat infirmitas converti, quotidie videmus.

CAPITULUM XXV.

De Lodewico milite propter votum conversionis sanato.

Ante hoc triennium miles quidam Lodewicus nomine, de castro Are, in acutis laborabat, et vocatus est dominus Abbas, ut infirmum visitaret. Invalescente ⁸⁾ infirmitate, cum iam miles idem omnino esset desperatus, monitus est ab Abbate, ut se ordini redderet, et votum conversionis, ut mos est,

1) B navi. — 2) et om BC. — 3) D amorem conversionis accepit. — 4) B gratiam habuit, P habebat gratiam. — 5) DP glorificaret. — 6) P possem dicere. — 7) DP patriae. — 8) BDP inardescente.

verbis exprimeret. Qui consilio acquiescens, mox ut ex consensu uxoris se inter manus Abbatis reddidit, facies eius coepit immutari et quodammodo alterari, ita ut pallor vertetur in candorem, et color lividus proficeret in ruborem, cunctis qui aderant stupentibus et Dei donum in moribundo mirantibus. Et ut pius Dominus adhuc manifestius ostenderet, quia propter votum ordinis infirmum distulisset, coepit idem miles sine sudore, sine sanguine, sine sternutatione, contra infirmitatis naturam, celerius ¹⁾ convalescere. Qui non ²⁾ ingratus beneficiis divinis, deportari se fecit ad monasterium nostrum, in quo factus novicius et monachus, non multo post migravit ad Dominum. NOVICIUS: Sicut ex verbis tuis colligo, opinio tua est, infirmum per poenitentiam et orationes dies suos posse prolongare.

CAPITULUM XXVI.

De eo quod Deus aliquando differat peccatorem propter poenitentiam, et exemplum de Ezechia.

MONACHUS: Non hoc dico; quia non credo quempiam posse terminum sibi a Deo constitutum extendere, sed mortem quandoque imminentem evadere. Quod si verum non esset, Ecclesia superflue ³⁾ pro infirmantibus oraret. Cum oratio sancta mortuos suscitet ad vitam, cur non, quod minus est, morituris obtineat sanitatem? Ezechiae poenitenti et flenti per Isaiam a Domino dicitur: *Audivi orationem tuam, et vidi lacrimas tuas; ecce ego adiciam super dies tuos quindecim annos* ⁴⁾, Super quem locum Haymo sic dicit: Sciendum vero, quod sicut protoplasto quasi sub conditione datum est, ut immortalis esset, si divinae iussioni obediret, ita in praedestinatione Dei hi quoque anni dati sunt illi, si innocenter vivens minime superbiret. Qui vero propter superbiam subtracti sunt, propter humilitatem ⁵⁾ restituti sunt. NOVICIUS: Vellem mihi ista, quia profunda sunt, ex scripturarum testimoniis apertius probari, quia nodus divinae praedestinationis multis via fuit erroris. MONACHUS: Nodus divinae praedestinationis mihi prorsus insolubilis est. Quis

1) celerius add BC. — 2) BC Neque. — 3) C frustra. — 4) Isai. 38, 5. — 5) P add iterum.

enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit ¹⁾? Attamen quae superius posita ²⁾ sunt, scripturarum auctoritate roborantur ³⁾. Sanctus Job de hominis mutabilitate loquens, dicit Deo: *Constituisti terminos eius, qui praeteriri non poterunt* ⁴⁾. Ecce in hoc loco habes, homini ⁵⁾ terminum vivendi a Deo constitutum, et quod idem terminus intransgressibilis sit. Quod vero eundem terminum quandoque ⁶⁾ quis male vivendo poterit praeanticipare, testis est Psalmista, qui dicit: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* ⁷⁾. Si non conceditur eis dies, quibus vivere poterant, si non peccarent ⁸⁾, dimidiare, certum est, illos longe infra terminum ⁹⁾ constitutum deficere. Similiter boni bene vivendo quandoque merentur terminum suum praevenire, sicut de uno bono in omnium bonorum persona dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius, et ne fictio deciperet animam illius* ¹⁰⁾. Desinant ergo homines stulti stulta dicere, stulta ¹¹⁾ credere, quia hodie pauci sunt Principes, pauci ¹²⁾ nobiles, qui dies ¹³⁾ impleant et ad aetatem senilem perveniant. Quare hoc? Nimirum quia pauperes depraedantur, et pauperum lacrimis ante tempus suffocantur. Visne audire exemplum de quodam tyranno, qui quia dies suos ¹⁴⁾ curtare peccando non credit, liberius peccavit? NOVICIUS: Volo et desidero.

CAPITULUM XXVII.

De errore Lodewici Lantgravii, et de praedestinatione.

MONACHUS: Ex relatione cuiusdam viri religiosi cognovi, Lodewicum Lantgravium, patrem Hermannii Lantgravii, qui ante hos duos annos defunctus est, in errorem periculosum non solum propriae animae, sed et subditorum substantiae decidisse. Qui cum esset praedo ac tyrannus maximus, duras et plurimas in sibi commissum populum faciens exactiones, plurimas ¹⁵⁾ ecclesiarum sibi usurpans possessiones, cum ¹⁶⁾ propter haec et multa alia mala ¹⁷⁾ a viris religiosis corriperetur,

1) Rom. 11, 34. — 2) P dicta. — 3) BDP reserantur. — 4) Job 14, 5. — 5) homini om C. — 6) quandoque om C. — 7) Psal. 54, 24. — 8) si non peccarent add BC. — 9) D longe ante terminum, C longe ante tempus. — 10) Sap. 4, 11. — 11) P stulta dicere stulte, B stulte dicere stulte. — 12) DP paucique. — 13) DP add suos. — 14) suos om P. — 15) DP multas. — 16) BDP et. — 17) B et alia mala multa, DP aliaque plurima mala.

qui ei proponebant in confessione poenam malorum gloriamque ¹⁾ electorum, verbum miserabile respondit: Si praedestinatus sum, inquit ²⁾, nulla peccata poterunt mihi regnum coelorum auferre; si praescitus, nulla bona mihi illud valebunt ³⁾ conferre. Et, sicut mihi dicere solitus est ⁴⁾ nonnus Conradus senex monachus noster, de Thuringiae partibus oriundus, versiculum illum Psalmistae: *Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum* ⁵⁾, loco proverbii ad suam excusationem ⁶⁾ arguentibus se proponebat: erat siquidem literatus, et ob hoc amplius induratus. Et cum ei dicerent viri timorati: Domine, parcite animae vestrae, desinite ⁷⁾ peccare, ne Dominus peccatis vestris ⁸⁾ provocatus peccatorem in peccatis occidat; iterum respondit: Cum venerit dies mortis meae, moriar, non illum potero bene vivendo extendere, neque male vivendo praevenire. Volens illum ⁹⁾ pius Dominus a tanto errore misericorditer revocare et reducere ad mentem, infirmitate periculosa coepit eum ¹⁰⁾ flagellare. Vocatus est medicus eius, vir bonus et discretus, et non solum in physica, sed etiam in theologia non mediocriter literatus. Cui Princeps dixit: Ut vides, infirmus sum valde; adhibe curam, ut possim convalescere. Memor medicus erroris illius, respondit ¹¹⁾: Domine, si venit dies mortis vestrae, non vos poterit cura mea morti ¹²⁾ subtrahere; si vero moriturus non estis de infirmitate ista, superflua erit medicina mea. Et ille: Quomodo sic respondes? Si mihi non fuerit adhibita curae diligentia et diaeta proposita, potero tam a me ipso quam ab aliis imperitis negligi, et ante tempus mori. Audito hoc verbo physicus multum hilaris effectus, data occasione respondit: Domine, si creditis vitam vestram posse protelari virtute medicinae, quare hoc credere ¹³⁾ renuitis de poenitentia et operibus iustitiae, quae sunt antidota animae? Sine his anima moritur, sine his ad sanitatem, quae est in futura vita, nemo pervenit ¹⁴⁾. Considerans Lantgravius pondus verborum, et quia rationabiliter perorasset, dixit ei: De cetero medicus esto animae meae,

1) DP et gloriam. — 2) inquit om BC. — 3) B bona poterunt mihi illud, C mihi bona poterunt illud. — 4) P erat. — 5) Psal. 113, 16. — 6) C opinionem. — 7) P desistite. — 8) peccatis vestris om P. — 9) C eum. — 10) BC illum. — 11) C dixit. — 12) B mea cura morti, C morti cura mea. — 13) credere om C. — 14) C non pervenitur.

quia per tuam medicinalem linguam ¹⁾ Deus liberavit me a maximo errore. NOVICIUS: Numquid non ²⁾ bene vixit postea Princeps iste? MONACHUS: Minime. Promisit verbis, quod non implevit factis. Qualis eius finis fuerit, cum quanta sarcina peccatorum obierit, poena tormentorum illius in sequentibus te ³⁾ docebit. Revertamur igitur ad praecedentia, quia longam hanc evagationem fecit interrogatio tua.

CAPITULUM XXVIII.

Quod quidam convertantur propter paupertatem.

Sicut multos trahit ad ordinem medicina infirmitatis, ita plurimos ⁴⁾ intrare compellit caminus paupertatis. Saepe vidimus et quotidie videmus, personas aliquando in saeculo ⁵⁾ divites et honestas, ut sunt milites et cives, cogente inopia, venire ad ordinem, magis ex necessitate volentes diviti Deo servire ⁶⁾, quam inter cognatos et notos egestatis confusionem sustinere. Cum quidam vir honestus exponeret mihi conversionis suae ordinem, adiecit: Certe si in rebus meis habuissem prosperitatem, nunquam venissem ad ordinem ⁷⁾. Novi quosdam, qui, patribus ⁸⁾ sive fratribus ⁹⁾ convertentibus, converti renuerunt, et cum consumsissent omnia ¹⁰⁾ dimissa, tunc primum venerunt, necessitatem pallio devotionis palliantes, vel potius de ipsa necessitate virtutem facientes. NOVICIUS: Non est necesse de talibus exempla quaerere, cum videamus tali occasione plures, maxime conversos ¹¹⁾, ad ordinem venire; sed beati sunt illi, qui divitias habuerunt, et pro Christo illas contemserunt. MONACHUS: Non ideo beati, quia divitiarum possessores, sed ideo beati, quia divitiarum contemtores ¹²⁾. Plus placuerunt Deo ¹³⁾ duo minuta viduae ¹⁴⁾, quam multae divitum eleemosynae. Scias etiam quosdam converti propter erubescitiam alicuius culpa, sive notam qualiscunque infamiae.

1) DP linguam medicinalem. — 2) non om P; mox BP postea vixit. — 3) te om C. — 4) B multos. — 5) in saeculo habet C post honestas. — 6) B diviti Deo servire volentes. — 7) C ad ordinem venissem. — 8) C add suis. — 9) C add se. — 10) CD add sibi; conf. XII, 14. — 11) C conversos maxime. — 12) C divitiarum fuerunt pro Christo contemtores. — 13) Deo om BC. — 14) Marc. 12, 42.

CAPITULUM XXIX.

De canonico ob erubescenciam cuiusdam furci converso.

Juvenis quidam in domo nostra novicius fuit, quem occasio huiusmodi ad ordinem traxit. Fuerat siquidem canonicus cuiusdam ecclesiae in Colonia. Qui cum fecisset domino suo, clerico honesto, cuius tunc temporis commensalis fuit ¹⁾, furtum, licet parvum ²⁾, et a servis illius deprehensus fuisset, in tantum erubuit, ut de saeculo ³⁾ fugiens monasterium nostrum peteret atque novicius fieret. Maluit Deo servire, quam tantam confusionem inter suos confratres ⁴⁾ sustinere. Ego eodem tempore in eadem ecclesia ⁵⁾ positus, causam conversionis eius, ut iam dictum est, intellexi, et quia stabilis non esset talis conversio, satis timui.

CAPITULUM XXX.

De adolescente, cui sanctimonialis, ab ipso impraegnata, causa fuit conversionis.

Alius quidam adolescens sanctimonialem quandam impraegnavit ⁶⁾, et confusione urgente simulque timore, eo quod femina nobilis foret, conversus est in ordine nostro ⁷⁾. Et quam diabolus ei praeparaverat in ruinam, per occasionem facta ⁸⁾ est illi in salutem. Juvene supradicto, iusto Dei iudicio, ordinem deserente, iste adhuc perseverat, se misericordia Dei ⁹⁾ conservante. NOVICIUS: Ut video, non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei ¹⁰⁾. MONACHUS: Ita est. Quod quidam etiam ¹¹⁾ convertantur ob periculum vitae temporalis, hoc exemplo doceberis.

1) DP erat. — 2) furtum fuit unius tantum pomi; vide infra IV, 74. — 3) C ut saeculum. — 4) C confratres suos. — 5) C ecclesia eadem. — 6) DP impraegnaverat. — 7) nostro om C. — 8) pro quam — facta auctorem suspicor scripsisse quod — factum. VIII, 59: sed militi cessit ad gloriam, quod diabolus praeparaverat ad ruinam. IX, 9: quod oleribus in remedium, mihi teste diabolo factum est in tormentum. — 9) BD Dei misericordia se, P Dei se misericordia. — 10) Rom. 9, 16. — 11) etiam om C.

CAPITULUM XXXI.

De nobili viro, qui gratia conversionis capitali sententiae subtractus est.

Eo tempore quo Rex Otto profectus est Romam coronari in Imperatorem, imperium super ¹⁾ Mosellam fratri suo Henrico Palatino regendum commisit. Hic nobilem quendam virum praedonem per iudicium capitali sententia damnavit. Advenit ²⁾ Daniel Abbas Sconaviae, suisque precibus apud Palatinum obtinuit, ut ei liceret vivere, et Deo pro peccatis suis in ordine Cisterciensi satisfacere. Sic homo pro suis sceleribus ³⁾ morti addictus ⁴⁾, per gratiam conversionis evasit sententiam ⁵⁾ damnationis. Frequenter huic similia audivi, scilicet ut homines flagitiosi pro suis criminibus variis suppliciis deputati, beneficio ordinis sint liberati. NOVICIUS: Licet haec videantur ⁶⁾ minima, non tamen sunt parvipendenda, eo quod sint aedificatoria. MONACHUS: Quibus haec videbuntur minima, audiant de his, quos timor poenae gehennalis convertit, magna atque terribilia.

CAPITULUM XXXII.

De conversione Abbatis Morimundi¹⁾, qui mortuus fuit, et revixit.

Ante hos annos viginti quatuor Abbas quidam in Morimundo ⁸⁾ fuit, quem talis necessitas ad ordinem traxit. Quae de illo dicturus sum, ex relatione domini Hermanni Abbatis Loci sanctae Mariae cognovi, qui eundem Abbatem vidit, loquentem audivit, atque gestus illius diligentius, utpote qui mortuus fuerat, et revixit, consideravit. Cum esset iuvenis, cum ceteris scholaribus studebat Parisiis. Qui cum esset duri ingenii, labilisque memoriae, ita ut pene nil posset capere vel ⁹⁾ retinere, ab omnibus irridebatur, ab omnibus idiota iudicabatur; unde coepit turbari, multisque doloribus cor eius affligi. Contigit ut die quadam infirmaretur, et ecce Satan affuit, qui

1) BP supra. — 2) BC add dominus; paulo post C om Abbas.
3) B sceleribus suis, C peccatis suis. — 4) C adiudicatus. — 5) C sententiam evasit. — 6) D sint. — 7) BP Morimundis. — 8) B in Morimundus, CP Morimundis. — 9) C nil.

diceret ei: Vis mihi facere hominum ¹⁾, et ego tibi dabo scientiam omnium literarum ²⁾? Audiens haec iuvenis, expavit, et diabolo talia suggerenti respondit: Redi post me, Satanas, quia nunquam eris dominus meus, neque ego homo tuus. Et cum ei non acquiesceret, manum illius quasi violenter aperuit, lapidemque imponens dixit: Quamdiu conclusum ³⁾ tenueris lapidem istum in manu tua, scies omnia. Recedente inimico, iuvenis surrexit, scholas intravit, quaestiones proposuit, omnesque disputando superavit. Mirati sunt omnes, unde idiotae tanta scientia ⁴⁾, tanta facundia, novitas tam inusitata. Ille vero negotium celatum habuit, nec alicui hominum causam tantae scientiae exponere voluit. Non multo ⁵⁾ post infirmari coepit usque ad mortem; vocatus est sacerdos, qui eius audiret confessionem. Qui inter cetera etiam ⁶⁾ confessus est, quomodo a diabolo recepisset lapidem, et cum lapide scientiam. Respondit sacerdos: Proiice, miser ⁷⁾, artem diaboli, ne expers fias scientiae Dei. Territus ille, lapidem, quem adhuc manu tenebat ⁸⁾, proiecit, et cum lapide fallacem scientiam deposuit. Quid plura? Defunctus est clericus, et corpus eius positum in ecclesia, ordinatis circa feretrum scholaribus ⁹⁾, qui more Christiano psalmos decantarent. Daemones animam tollentes et ad vallem profundam, terribilem, fumumque sulphureum ¹⁰⁾ evaporantem, illam portantes, ordinabant se ex utraque parte vallis; et qui stabant ex una parte ¹¹⁾, animam miseram ad similitudinem ludi pilae proiciebant; alii ex parte altera ¹²⁾ per aera volentem manibus suscipiebant. Quorum unguis ita erant acutissimi, ut acus exacuas ¹³⁾ omneque acumen ferri incomparabiliter superarent. A quibus ita torquebatur, sicut postea dicebat, cum eum iactarent vel exciperent, ut illi tormento nullum genus tormentorum ¹⁴⁾ posset aequiparari. Misertus illius Dominus, misit nescio quam coelestem personam, virum magnae reverentiae, qui daemonibus tale nuncium deferebat ¹⁵⁾:

1) B homicidium, hic et infra. — 2) C scripturarum. — 3) C inclusum, — 4) tanta scientia om P. — 5) C multum. — 6) DK qui etiam inter cetera. — 7) miser om BC. — 8) B in manu tenebat, C manu gerebat. — 9) C ordinati sunt circa feretrum scholares. — 10) C sulphureumque fumum. — 11) C add vallis. — 12) C ex alia parte; mox idem aerem. — 13) sic omnes libri magno consensu. — 14) DP tormenti. — 15) B referebat.

Audite, praecipit vobis Altissimus ¹⁾, ut animam a vobis deceptam dimittatis. Mox omnes simul inclinantes ²⁾ animam dimiserunt, nec eam amplius ³⁾ tangere praesumserunt. Quae reversa ad corpus, membra exanimata vivificavit, vivificata erexit, scholares circumsedentes in fugam convertit ⁴⁾. Descendensque de feretro, dicebat se vivere, et quid viderit, quidve audierit, magis opere quam sermone manifestavit. Nam statim conversus in ordine Cisterciensi, tam rigidus fuit sibi, tam durus castigator corporis sui, ut omnibus qui eum videre poterant ⁵⁾, patenter daretur intelligi, quia poenas senserit purgatorii, vel potius inferni. NOVICIUS: Expediri vellem, utrum locus ille ⁶⁾, in quo tormentabatur, infra metas fuerit inferni, sive purgatorii. MONACHUS: Si vallis illa pertinebat ad gehennam, constat eius confessionem fuisse sine contritione. Quod satis ex hoc probatur, quod ⁷⁾ maxime poenam illam, teste coelesti ⁸⁾ nuncio, sustinuerit propter consensum retenti ⁹⁾ lapidis. NOVICIUS: Numquid dicendus est daemioni consensisse? MONACHUS: Non ut ei faceret hominium, consensit, sed in tantum consensit, quod non statim lapidem de manu iactavit, sed ad usum scientiae diligentissime reservavit. Circa quem etiam tanto afficiebatur amore, ut nec quidem in infirmitate deponeret, sed cum dolore ad imperium sacerdotis proiiceret. Si eum dixero fuisse in purgatorio, suspecta est mihi absentia sanctorum angelorum, et praesentia daemoniorum, qui animam egressam suscipiebant, susceptam deducebant, deductam tam crudeliter torquebant ¹⁰⁾. Dicebat magister Rudolphus Scholasticus Coloniensis, in cuius scholis et ego frequentius eram, quod daemones animam electam de corporis ergastulo egredientem nunquam tangerent, sed beati angeli ad loca purgatorii, si tamen purgatorio digna esset ¹¹⁾, deportarent. Tali enim exemplo utebatur: Non decet, ait ¹²⁾, ut carbonarius purget aurum, sed aurifex. Postea ¹³⁾ propter meritum vitae, suscitatus ¹⁴⁾ factus est Abbas in Morimundo ¹⁵⁾, in una de quatuor primis domibus, vir sanctus et iustus. De

1) P Dominus altissimus. — 2) DP inclinantes simul. — 3) C amplius eam. — 4) DP vertit. — 5) C potuerant. — 6) ille om P. — 7) DP eo quod. — 8) coelesti om C; paulo post BP sustinuit; conf. infra XII, 23 iuxta finem. — 9) retenti om B. — 10) DP extorquebant. — 11) P digna esset purgatorio. — 12) C inquit. — 13) DP add vero. — 14) suscitatus om BC. — 15) P Morimunde.

quo cum interrogassem praedictum Hermannum Abbatem, si viderit illum aliquando ridentem, quia de resurgentibus dicitur, quod ridere non soleant; respondit: Scias me hoc ipsum in illo ¹⁾ considerasse, nec potui deprehendere in gestibus eius nutum quidem levitatis, tantae erat gravitatis, tantae longanimitatis; nunquam illum vidi ²⁾ nec quidem subridentem, neque verba levitatis proferentem. NOVICIUS: Miror si aliquid ³⁾ dixerit de forma et virtute animae. MONACHUS: Etiam; asserebat enim ⁴⁾ animam suam fuisse tanquam ⁵⁾ vas vitreum et sphaericum, oculatam retro et ante ⁶⁾, plurimum habuisse scientiae, vidisse universa. Nam scholaribus circa feretrum sedentibus, quaecunque actitaverant, manifestavit. Vos, inquit, tesseribus ⁷⁾ lusistis; vos invicem capillis vos traxistis; vos diligenter psallebatis. NOVICIUS: Valde me laetificat, quod vir iste, qui corpore exutus tanta ⁸⁾ in poenis vidit, tanta audivit, ceteris religiosis ordinibus Ecclesiae ⁹⁾ omisis, ordinem nostrum intrare voluit. MONACHUS: Merito laetificare te debet ¹⁰⁾; sed aliud tibi dicam, quod eandem tuam laetitiam ¹¹⁾ geminet.

CAPITULUM XXXIII. *)

De clerico nigromantico mortuo, qui viventi socio apparens suasit ordinem intrare.

Duo iuvenes, sicut didici lectione, non relatione, apud Toletum studebant in ¹²⁾ nigromantia. Accidit ut unus illorum usque ad mortem infirmaretur. Qui cum moriturus esset, rogavit eum ¹³⁾ alter, ut infra viginti dies ¹⁴⁾ sibi appareret. Et promisit, si ei ¹⁵⁾ concederetur. Sedente eo die quadam in ecclesia coram imagine beatae Virginis, et psalmos pro anima illius ¹⁶⁾ legente, affuit miser ille, miserimis gemitibus sua indicans tormenta. Quem cum interrogasset, ubi

1) B ipsum in ipso, C idem in ipso. — 2) C vidi illum. — 3) C aliqua. — 4) enim add BC. — 5) B sicut. — 6) BD ante et retro. — 7) R tesseris. Homil. III. p. 27: ego ludam vobiscum tesseribus. Vide et infra IV, 6. — 8) C tantum, hic et paulo post. — 9) Ecclesiae om DP. — 10) B potest. — 11) B add magnam valde. — *) Homil. II. p. 34. — 12) BC de. — 13) eum om P. — 14) Hom. infra tricenarium, hoc est, infra triginta dies. Mox C ei. — 15) DP si tamen sibi. — 16) BC illius anima.

esset vel quomodo haberet, respondit: Vae mihi, quia aeternaliter damnatus sum propter artem quam didici diabolicam, quia revera mors animae est, sicut titulus eius ¹⁾ ostendit. Consulo autem tibi sicut ²⁾ socio meo unico, ut ab hac execrabili scientia recedas, et vitam religiosam sectando Deo pro peccatis tuis satisfacias. Quem cum vivus rogasset ³⁾, ut tutiorem sibi viam vivendi ostenderet, iterum respondit: Non est via securior ⁴⁾, quam ordo Cisterciensis, neque inter omne genus hominum pauciores descendunt ad inferos, quam personae religionis illius ⁵⁾. Retulit ei et alia plurima ⁶⁾, quae causa brevitatis omitto, eo quod in libro Visionum Claraevallis scripta sunt ⁷⁾. Juvenis vero mox renunciando nigromantiae, factus est novicius ac deinde monachus in ordine Cisterciensi. NOVICIUS: Fateor in hoc facto laetitiam cordis mei ⁸⁾ geminatam. MONACHUS: Quia in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum ⁹⁾; vis audire de tertio clerico pene simili modo converso? NOVICIUS: Volo ac plurimum desidero.

CAPITULUM XXXIV.

Item de clerico, qui propter poenas Lodewici Lantgravii, quas vidit, ad ordinem venit.

MONACHUS: Narrante mihi saepius sene monacho nostro Conrado ¹⁰⁾, qui pene centenarius est, cuius supra feci mentionem, didici quod refero. Ipse quidem de Thuringia oriundus ¹¹⁾, et in armis ante conversionem exercitatus, multa novit de actibus Lodewici Lantgravii, de quo supra capitulo vicesimo septimo longam texui narrationem. Hic cum moreretur, duos filios reliquit heredes, Lodewicum scilicet, qui in prima expeditione Jerosolymitana, quae facta est temporibus ¹²⁾ Frederici Imperatoris, defunctus est, et Hermannum, qui eidem in Principatu successit, qui nuper obiit. Lodewicus vero, qui satis erat tractabilis et humanus, et ut verius dicam, ceteris tyrannis

1) C illius. — 2) P tanquam. — 3) C nimis rogasset, P vivus interrogasset. — 4) C securior via. — 5) C illius religionis. — 6) C multa. — 7) C sint. — 8) cordis mei om C. — 9) Deut. 19, 15; conf. infra VIII, 32. — 10) Conrado habet C ante sene. — 11) D fuit natus. — 12) C tempore; verba quae — Imperatoris om D.

minus malus, tale edictum proposuit: Si modo aliquis esset, inquit ¹⁾, qui veris iudiciis vera mihi de anima patris mei ²⁾ dicere posset, bonam curiam ³⁾ a me reciperet. Audiebat haec miles quidam pauper, qui fratrem habebat clericum in nigromantia quandoque satis expeditum. Cui cum verba Principis indicasset ⁴⁾, respondit ille: Bone frater, diabolum aliquando per carmina vocare consuevi; sciscitabar ab illo quae volui; diu ⁵⁾ est quod eius colloquiis artibusque renunciaui. Instante milite oportune importune, ad memoriam ei reducens propriam paupertatem promissumque honorem, precibus eius tandem clericus victus, daemonem vocavit. Vocatus quid vellet inquisivit. Respondit clericus: Poenitet me tanto tempore recessisse a te. Indica mihi obsecro, ubi sit anima domini mei Lantgravii. Ait daemon: Si vis mecum pergere, ego tibi illum ⁶⁾ ostendam. Et ille: Libenter illum ⁷⁾ viderem, si sine periculo vitae meae illum videre possem. Cui diabolus: Juro tibi per Altissimum, et per tremendum eius iudicium, quia si fidei meae te commiseris, incolumem te illum ducam hucque reducam. Ponens clericus propter fratrem ⁸⁾ animam suam in manibus suis, collum daemonis ascendit, quem infra breve tempus ante portam inferi deposuit. Introspectans clericus, contemplatus est loca nimis horrenda, poenarumque diversa genera, et daemonem quendam aspectu terribilem ⁹⁾, super opertum puteum residentem ¹⁰⁾. Clericus ut haec vidit, totus contremuit. Et clamavit daemon ille ad daemonem baiulum: Quis est ille, quem tenes in collo? Adduc eum huc. Cui ¹¹⁾ respondit: Amicus noster est, et iuravi ei per virtutes tuas magnas, quia eum non laederem, sed animam Lantgravii domini sui ¹²⁾ ostenderem, sanumque reducerem, ut omnibus tuam immensam ¹³⁾ praedicet virtutem. Ille vero statim ¹⁴⁾ operculum igneum, cui insedit, amovit, et tuba aenea puteo immissa, tam valide buccinavit, ut videretur clerico totus tinnire ¹⁵⁾ mundus. Post horam, ut ei videbatur,

1) inquit om BC. — 2) C patris mei anima. — 3) B curtem, R cortem. — 4) C recitasset. — 5) C sed diu. — 6) C eum tibi, P illum tibi. — 7) C Ego eum libenter. — 8) propter fratrem habet C post suis. — 9) aspectu terribilem om C. — 10) C sedentem. — 11) P qui. — 12) C domini sui Lantgravii. — 13) C immensam tuam. — 14) statim om C, qui paulo post: cui insedit igneum. — 15) P tremere, ut infra XII, 58.

nimis longam, puteo eructuante ¹⁾ flammam sulphuream, Lantgravius inter scintillas ascendentes simul ascendens ²⁾, videndum se clerico collo tenus praebuit. Ad quem ait: Ecce ³⁾ praesto sum miser ille Lantgravius, quondam dominus tuus, et utinam nunquam natus. Cui clericus: Missus sum a filio vestro, ut ei renunciare possim de statu vestro; et si in aliquo potestis iuvare, mihi dicere debetis. Respondit ille: Statum meum bene vides. Hoc tamen scias, quia si filii mei restituere vellent tales possessiones talium ecclesiarum, propriis nominibus eas exprimens, quas mihi iniuste usurpavi, et sub titulo hereditario ipsis reliqui, magnum animae meae ⁴⁾ conferrent remedium. Cui cum clericus ⁵⁾ diceret: Domine, non credent mihi; respondit: Ego dicam tibi signum, quod nemo novit praeter me et filios meos. Accepto signo, et Lantgravio, eo vidente, mox ⁶⁾ puteo immerso, per daemonem reductus est. Qui licet vitam non perdidit, ita tamen pallidus et languidus rediit, ut vix agnosceretur. Verba patris filiis retulit, signa ostendit, sed modicum illi profuit. Non ⁷⁾ in hoc consentire voluerunt, ut possessiones restituerent. Respondit tamen Lodewicus Lantgravius clerico: Signa cognosco, patrem meum te vidisse non dubito, propositum ⁸⁾ tibi praemium dare non renuo. Ad quem ille: Domine, curtis vestra vobis maneat ⁹⁾; ego cogitabo quid animae meae expediat. Relictisque omnibus, factus est monachus in ordine Cisterciensi, contemnens ¹⁰⁾ omnem laborem ¹¹⁾ sustinere temporalem, dummodo poenam evaderet aeternam. Ecce habes tria exempla, quod quidam convertantur timore vel visione poenae gehennalis. Possem tibi de his adhuc plura dicere, sed in aliis distinctionibus propono tibi illa ¹²⁾ disserere. NOVICIUS: Si talia homines videre possent, puto quia tam ¹³⁾ libere non peccarent. MONACHUS: Ita est ut dicis. Audi adhuc ¹⁴⁾ quod superest

1) R eructante. Homil. II. p. 85: liquorem de gutture suo eructuans. Conf. infra IV, 22. XI, 7. — 2) BD. ascendit et. — 3) ecce om C. — 4) meae om BD. — 5) clericus om C. — 6) mox add BC. — 7) C add enim. — 8) C promissum. — 9) C remaneat. — 10) B non contemptus, C contemnens. Infra II, 32: vermibus morituris contemptis, immortales effugere cupiens, tum timore gehennae, tum amore coelestis patriae, nudus se super vermes iactavit. — 11) C poenitentiam. — 12) DP illa tibi propono. — 13) C quod ita. — 14) adhuc om C.

exemplum, videlicet quod quosdam converti cogat non morsus conscientiae, sed amor conservandae innocentiae, et desiderium coelestis patriae.

CAPITULUM XXXV.

De conversione Godefridi monachi Vilariensis, et de revelationibus eius.

In monasterio sancti Pantaleonis in Colonia, quod est nigri ordinis monachorum, iuvenis quidam fuit nomine Godefridus ¹⁾, puritatis eximiae, inter fratres suos sine querela conversatus, secundum disciplinam ordinis illius. Et quia scriptum est: *Justus iustificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* ²⁾, desiderio supernae vitae ³⁾ accensus idem Godefridus, et quia secundum regulae mandatum vivere non posset considerans, venit ad nos, humiliter et instanter supplicans, ut fratrum collegio iungi mereretur. Timens Abbas noster ⁴⁾ magis in causa esse levitatem, quam devotionem, eum heu suscipere non acquievit. Passus a nobis repulsam, Vilarium venit, et quod petivit, citius obtinuit. Qui quantae fuerit religiositatis, quantae sanctitatis, quam fervens in ordine, per sacras eius reliquias usque hodie Dominus ⁵⁾ non cessat ostendere. Tempore quodam dominus Karolus Abbas Vilariensis, qui fuerat Prior noster, veniens ad nos, duxit secum eundem virum venerabilem ⁶⁾; et, sicut mihi dixerunt qui viderunt, tantam gratiam devotionis ei Dominus in missa contulit, ut stillicidia lacrimarum ex eius oculis super altare vel pectus eius stillarent. Quem cum interrogaret nonnus ⁷⁾ Theodericus de Lurke, tunc novicius, quondam canonicus Bonnensis, quomodo orare deberet, respondit: Nihil debetis dicere in oratione ⁸⁾, sed tantum cogitare de Salvatoris ⁹⁾ nativitate, passione, resurrectione ¹⁰⁾ et aliis quae vobis nota sunt. Quod ipse frequenter in usu habuit, hoc et alios docere studuit. Habebat et spiritum prophetiae, ita ut quandoque monachis tentationes futuras praediceret, et ut corda sua per patientiam praepara-

1) BD Godefridus nomine. — 2) Apoc. 22, 11. — 3) C vitae supernae. — 4) BC dominus Abbas. — 5) C Dominus usque hodie. — 6) C venerabilem virum. — 7) B dominus. — 8) DP in oratione dicere. — 9) DP add nostri. — 10) C et resurrectione; paulo post BP nobis.

rent ¹⁾ admoneret. Quantas habuerit consolationes, quam mirificas visiones, solus ille plene ²⁾ novit, qui auctor illarum fuit. Dicam tibi quod mihi retulit monachus quidam religiosus ³⁾ Vilariensis de illo. Cum esset tempore quodam hebdomadarius coquinae, et sabbato secundum consuetudinem lavaret pedes monachorum, dicto completorio, cum clausisset oratorium, erat enim sacrista, apparuit ei Salvator linteo praecinctus, et pelvim in manu tenens, et ⁴⁾ ait ad Godefridum: Sede, ut lavem pedes tuos, eo quod dudum laveris pedes meos. Qui ⁵⁾ cum territus renueret, coegit eum, flexisque genibus pedes eius lavit, sicque disparuit. Secunda feria post Palmas, stans in choro, cum psalmus, Eructavit cor meum, devote a conventu decantaretur ⁶⁾, ecce virgo ⁷⁾ gloriosa Dei genitrix Maria de presbyterio descendens, et chorum ⁸⁾ more Abbatis circuiens, monachis benedixit, sicque inter Abbatis et Prioris stallum exiens, quasi ad conversorum chorum properavit. Exivit ille post eam, ut videret quo iret, sed eam videre non potuit. Statim, nescio utrum proxima vel tertia die, infirmari coepit. Et cum laboraret in acutis ⁹⁾, usque in Pascha in conventu perseverans ¹⁰⁾, dorsumque castigationibus lacerans, atque sacros pannos cum ceteris lavans, tandem infirmitate depressus, in infirmatorio ¹¹⁾ depositus est. Qui cum iam agonizaret, et esset tempus comedendi, dixit ei minister suus: Invitus vado comedere, timens ne interim moriamini. Vade, inquit, securus, ante videbo te. Qui cum in mensa sederet, Godefridus ostium refectorii aperuit, monachum respexit et benedixit, sicque versus oratorium tetendit. Territus ille, putabat eum miraculose convalescere. Statimque percussa est ad exitum eius tabula ¹²⁾, et recordatus est infirmarius, quia ¹³⁾ hoc ei promiserat. Nudato eius corpore ad lavandum, ita invenerunt dorsum eius plagis virgarum lividum, ut omnes mirarentur. Nuper per revelationem levata sunt ossa eius ¹⁴⁾ et in sacrario posita, reservanturque pro reliquiis. Ipsi gloria qui sic ad se conversos magnificat, cui ¹⁵⁾ cum Patre et Spiritu

1) C praepararent per patientiam. — 2) plene om BD. — 3) religiosus om P. — 4) et om C. — 5) DP quod. — 6) C decantaretur a conventu. — 7) virgo add BC. — 8) C add monachorum. — 9) C in acutis laboraret. — 10) C perseveravit. — 11) BP infirmatorio; mox iidem positus. — 12) B tabula ad exitum eius, D tabula ad eius exitum. — 13) C quod. — 14) C eius ossa. — 15) cui om C.

sancto honor ¹⁾ et imperium per omnia saecula saeculorum. Amen. Multa alia de eo referuntur ²⁾, quae studio brevitatis supprimo. NOVICIUS: Satisfactum mihi fateor de causis sive occasionibus conversionis; nunc de modo vel forma ³⁾ eiusdem aliquid audire delectat.

CAPITULUM XXXVI.

De modo et forma conversionis.

MONACHUS: Quosdam enim ad conversionem venire videmus cum quadam gloriola et ostensione saeculari ⁴⁾, alios cum exhibitione multae humilitatis. NOVICIUS: Quod ⁵⁾ horum est melius? MONACHUS: Humilem conversionem Deo placere nemo dubitat; ostensio autem alicuius gloriae saecularis secundum intentionem se convertentis iudicatur. Quidam converti desiderantes ⁶⁾, de novo se vestiunt, cum cognatis et amicis ad monasterium veniunt, ne quasi vagi et pauperes ⁷⁾ repulsam patiantur; alii vero, cum divites sint, paupertatis habitum assumunt, ut ex humilitate conversionis amplius mereantur. De quibus tibi et ⁸⁾ exempla subiungam.

CAPITULUM XXXVII.

De conversione Walewani militis, qui armatus ad ordinem venit.

Miles quidam Walewanus nomine ⁹⁾ converti desiderans, cum dextrario et armis suis militaribus Hemmenrode ¹⁰⁾ venit, armatus claustrum intravit, et sicut mihi retulerunt seniores nostri, qui tunc praesentes erant ¹¹⁾, portario illum ducente, per medium chorum vadens, conventu inspiciente, et novam conversionis formam ¹²⁾ mirante, super altare beatae Virginis ¹³⁾ se obtulit, armisque depositis, in eadem domo religionis habitum ¹⁴⁾ suscepit. Visum est ei congruum, ibi militiam depo-

1) B sit honor. — 2) P referunt; verba Multa — supprimo om B. — 3) C de modo et forma, B de forma vel modo. — 4) saeculari om C. — 5) BD quid. — 6) C volentes. — 7) C pauperes et vagi. — 8) et om BD. — 9) P nomine Walewanus. — 10) D in Hemmenrode. — 11) D fuerunt. — 12) DP formam conversionis; mox C mirantes. — 13) D add Mariae. — 14) C habitum religionis.

nere saecularem, ubi assumere ¹⁾ proponebat militiam spiritua-
lem. Adhuc vivit, vir bonus ac religiosus, prius inter mona-
chos novicius, postea ob humilitatem factus est conversus.

CAPITULUM XXXVIII.

De humili conversione Philippi Abbatis.

Abbas Philippus de Ottirburg contrarium fecit, sicut mihi retulit canonicus quidam Traiectensis, qui tunc temporis prae-
sens fuit. Hic cum esset de honesta parentela natus, et maioris ecclesiae in Colonia canonicus, Rudolphum eiusdem ecclesiae Scholasticum Parisiis legentem audivit. Divina in-
spirante gratia, magistro suo ignorante, scholas deseruit, et cum esset adolescens ²⁾ delicatus bonisque vestibus indutus, pauperi scholari sibi occurrenti illas dedit, et vilia illius vesti-
menta ³⁾ reinduens, ad domum quandam ordinis nostri, quae Bonavallis dicitur, veniens, se in novicium suscipi humiliter petivit. Videntes illum fratres cappa trita atque vetusta indutum, aestimantes eum scholarem pauperem et vagum, suscipere renuerunt. Considerans moram repulsae esse peri-
culosam, ingressumque sibi negari, novissime dixit: Si non susceperitis me, forte vos poenitebit, et cum facere volueritis, esse non poterit. Tunc demum susceptus est. Cognita eius conversione, magister Rudolphus dolens, cum sociis quibusdam ad monasterium venit, sed fundamentum supra petram posi-
tum movere non potuit ⁴⁾. Et quia idem Philippus se in con-
versione ⁵⁾ humiliavit, in tantum illum Dominus exaltavit, ut non multo post eidem domui Abbas ⁶⁾ praeficeretur.

CAPITULUM XXXIX.

De eo quod quidam in conversione ordines sacros celantes propter humilitatem conversi fiant.

Tanta est virtus humilitatis, ut eius amore saepe ad or-
dinem venientes clerici, laicos se simulaverint, malentes pecora pascere, quam libros legere, satius ⁷⁾ ducentes Deo in humi-

1) C sumere. — 2) C iuvenis. — 3) B illius indumenta, DP vestimenta illius. — 4) Luc. 6, 48. — 5) C in con-
versione se. — 6) C Abbas eidem domui. — 7) C sa-
nius, D sanctius.

litate servire, quam propter sacros ordines vel literaturam ceteris praeesse. Hoc quia saepius in ordine contigit, ita ut de conversis fierent monachi, ante hos quatuor annos, ne de cetero fieret ¹⁾, diffinitum est in Capitulo generali, ut tali modo conversi manerent inter conversos. Eodem anno quidam veniens, ut puto Diaconus, laicum se simulans, in conversum susceptus est. Cuius Abbas cum postea ²⁾, nescio quo prodeunte, ordines intellexisset, in sequenti Capitulo casum eundem ³⁾ proposuit. Et quia viris discretis videbatur omnino absurdum, ut quis in tam sublimi ordine positus, foret sine caractere coronae et sine sacrorum ordinum executione, sententiam mutaverunt. NOVICIUS: Non miror, si aliqui celant ⁴⁾ suos ordines in conversione, cum legamus priscis temporibus feminas ⁵⁾, ut fuit beata Eugenia et sancta ⁶⁾ Euphrosyna atque beata Marina, zelo conversionis ⁷⁾ sexum virilem simulasse. MONACHUS: Quid hoc miraris factum temporibus priscis, cum recentiori tempore ⁸⁾ in ordine nostro contigisse sciamus? NOVICIUS: Hoc omnibus modis scire desidero, videlicet a qua persona, ubi, vel quomodo tam mirabilis facta sit conversio. MONACHUS: Femina, de qua dicturus sum, quae fuerit, vel quomodo ad ordinem venerit, seu quomodo in ordine fuerit, vel ⁹⁾ consummaverit, sicut nobis retulit monachus quidam, qui cum ea novicius fuerat in probatione, fida tibi pandam relatione.

CAPITULUM XL.

De mirabili conversione beatae Hildegundis virginis, quae se virum simulaverat.

In civitate Nussia, quae quinque miliaribus ¹⁰⁾ distat a Colonia civitate magna, civis quidam habitavit, filiam habens formosam ac dilectam, nomine Hildegundem ¹¹⁾. Quam uxore defuncta, cum adhuc esset in aetate tenera, orationis gratia secum Jerosolymam duxit. In reditu vero infirmatus pater ¹²⁾,

1) ne de cetero fieret om DP. — 2) postea om C. — 3) C ostendere. — 4) C celent. — 5) feminas om C. — 6) CD beata; paulo post D et sancta. — 7) zelo conversionis add BC. — 8) DP add simile. — 9) B add vitam; verba seu quomodo — consummaverit om D. — 10) BD miliaribus, hic et infra p. 50. — 11) CD Hildegundam. — 12) pater om BD.

apud Tyrum diem clausit extremum. Moriens autem filiam et omnia quae habuit ministri sui fidei commendavit. Sed fidem non servans servus domino, neque misericordiam exhibens defuncto, cum esset impius et avarus, puella nocte in domo relicta, clam navigavit, multis illam miseriis exponens. Quae mane surgens cum ¹⁾ intellexisset, tutorem ²⁾ infidum cum patris sui substantia navigasse, vehementer doluit, et quid ageret vel quo se verteret, penitus ignoravit. Non intelligens idioma terrae, fame coepit tabescere; mendicando tamen scholas in eadem civitate anno uno ³⁾ frequentavit. Post haec peregrinis de Alemannia adventantibus calamitatem suam exposuit, et ut sui misererentur, lacrimabiliter exoravit. Ex quibus unus ceteris ditior, vir bonus et nobilis, consolans desolatam, assumensque in navim suam ⁴⁾ derelictam, datis necessariis, ad patriam reduxit peregrinam. Eodem tempore cum orta fuisset controversia in Ecclesia Treverensi inter duos electos, Wolmarum scilicet eiusdem Ecclesiae Archidiaconum, et Rudolphum maiorem Praepositum, dominus Papa Lucius priori favebat; partem alterius Fredericus Imperator defendebat. Et quia nulli erat tutum, apices ad Apostolicum, qui tunc temporis apud Veronam morabatur, deferre, propter insidias Imperatoris, Ecclesia Coloniensis cum uni partium faveret, et ob hoc literas ad iam dictum Papam destinaret, baiulus earundem vitae suae timens, praefatam puellam propter tonsuram et habitum adolescentem aestimans, prece simul et pretio, eo quod minor suspicionis nota foret ⁵⁾ in pedite quam in equite, clausas in baculo literas, ut portaret obtinuit. Quae cum iuxta Augustam devenisset ⁶⁾, furem offendit. Rogata ab eo, ut socius eius esset itineris, nihil mali suspicans, libens annuit. Cumque paululum processissent, et fur quasi sonum persequentium excepisset, onus cum furto penes puellam reposuit, ipse vero ad secessum se ire simulans, inter frutecta se abscondit. Quid morer? Illa a persequentibus comprehenditur, cum sacco ad iudicium trahitur, et per sententiam laqueo adiudicatur. Quae cum ob furti praesentiam nullam sibi prodesse cerneret allegationem, nullam excusationem, sacerdotem petivit, et obtinuit. Cui excessus suos confitens,

1) C cum mane surgens. — 2) C add suum. — 3) BC uno anno. — 4) C in navi sua. — 5) foret om C. — 6) BC venisset; mox PC furem obviam habuit.

satis simpliciter exposuit per ordinem viae suae causam, furis etiam ¹⁾ nequitiam. Et ut sacerdoti verborum ²⁾ fidem astrueret, arundinem, literas pontificales continentem, ostendit; et adiecit: Si fuerit fur quaesitus, ocius invenietur. Mox ad consilium sacerdotis nemus retibus et canibus ambitur, fur quaesitus comprehenditur, ad iudicium uterque trahitur. Cumque ³⁾ miser ille ad criminis confessionem cruciatibus compelleretur ⁴⁾, ait: Iniuste compellor confiteri quod non feci; iste cum furto deprehensus secundum ius civile damnandus est. Econtra cum puella diceret, sibi onus dolose fuisse commissum, et restituere vellet depositum; respondit ille: Onus istud meum esse nego; vox unius testimonium est nullius. Ad haec virgo obmutuit. Tunc accedens sacerdos ⁵⁾ pro ipsa allegavit, et quod esset innocens doloque hominis circumventa, satis affirmavit. Et si minus, inquit, verbis meis creditur, examine ferri candentis, quis reus sit, quis innocens, facile comprobabitur. Quod cum omnibus placuisset, manus furis adusta ⁶⁾ est, puellae vero manus illaesa apparuit. Tunc fure celerius suspenso, confessor et liberator virginis gaudens illam in domum suam recepit. Et ecce, diabolo instigante, qui salutem virginis invidit, cognatio furis, de tam turpi morte eius furens, innocuam et Dei iudicio liberatam de domo sacerdotis extraxit, reoque deposito, loco illius ⁷⁾ illam suspendit. Mox angelus Domini affuit, qui et virginem, ne laquei sentiret angustias, sustentavit; et mirifico vultus sui odore refecit. Et cum nihil sentiret doloris, imo maximis se putaret interesse deliciis, in ipsa nocte tam suavem audivit melodiam, symphoniam tam diversam, tam ⁸⁾ iocundam, ut nullus chorus, sive corporalis, sive instrumentalis, tantae dulcedini posset comparari. Sciscitante ea, quid hoc esset; respondit angelus: Anima sororis tuae Agnetis cum hoc concentu angelico in coelum defertur, et tu post biennium feliciter sequeris. Sic beata illa per biduum pendente ⁹⁾, pastores in vicino pascentes, misericordia moti condixerunt, ut corpus deponerent, atque sepulturae commendarent. Inciso vero laqueo, non, ut consuetudo est cadaverum, cum pondere cecidit, sed paulatim, angelo

1) DP et furis. — 2) verborum om C. — 3) que add BC. —
 4) C compelleretur cruciatibus. — 5) C sacerdos accedens. — 6) DP exusta. — 7) DP eius. — 8) C tamque.
 9) C pendens.

sustentante, ad terram demissa ¹⁾ stetit. Quo viso territi pastores fugerunt. Dixitque ei angelus Domini: Ecce libera es, vade quo libet. Respondit illa: Domine mi ²⁾, Veronam ire proposui. Statimque in momento translata est iuxta Veronam ³⁾. Et ait angelus: Verona hinc distat tribus milliaribus. Inter Augustam vero ⁴⁾ et Veronam septem dietae numerantur. NOVICIUS: Videntur mihi in hac puella antiqua iustorum miracula renovata, videlicet sancti Benedicti Abbatis et Abacuc Prophetae: ex quibus prior cum absens esset, vidit germanae suae Scholasticae animam in specie columbae coeli secreta penetrare ⁵⁾; alter vero, Propheta scilicet, de Judaea in momento in Babylonem ⁶⁾ translatus est. MONACHUS: Verum dicis, nec minus miror, quod audire meruit animam sororis ⁷⁾ cum concentu angelico tanto locorum spatio interposito deferri in coelum, quam quod beatus Severinus Coloniae positus, animam sancti Martini cum consimili ⁸⁾ concentu ascendere cognovit ad Dominum ⁹⁾. Adhuc alia duo magnae gloriae beneficia sunt ei exhibita, scilicet quod angelo sustentante, eculei dolores non sensit, et quod finem suum tam longe ¹⁰⁾ ante praescivit. Prospere vero apud Veronam negotio ¹¹⁾ peracto, cum rediens Dioecesim intrasset ¹²⁾ Wormaciensem, non ingrata divinae misericordiae, prece et ope cuiusdam venerabilis inclusae obtinuit, ut a domino Theobaldo Abbate Sconaviae in novicium susciperetur. Est autem Sconavia locus amoenissimus, nomen trahens a re. Putans eam idem Abbas ¹³⁾ esse adolescentulum, post tergum suum in eodem equo sedere iussit. Quae cum loqueretur voce feminea et gracili, dixit ei Abbas: Frater Joseph, nondum mutasti vocem tuam? Respondit illa: Domine, nunquam illam mutabo ¹⁴⁾. Adolescentem se simulans, nomen sancti Joseph sibi imposuerat, ut eum quem validas tentationes vicisse noverat, contra duplicem hostem pugnatura, carnem scilicet et diabolum, memoriae suae arctius imprimeret, et per auxilium plenius sen-

1) CD dimissa. — 2) Domine mi om C. — 3) P translata est in Veronam, D translata est Veronam, C posita est iuxta Veronam. Forsitan scripsit auctor: transposita est, ut infra VI, 10: transpositus est iuxta castrum. — 4) vero om C. — 5) Gregor. Dialog. II, 34. — 6) BD Babyloniam. Dan. 14, 35. — 7) C add suae. — 8) CDP simili. — 9) Sever. Epist. ad Bassulam de transitu S. Martini. — 10) C diu, omisso ante. — 11) BC add suo. — 12) P intrasset Dioecesim. — 13) C Abbas idem. — 14) C mutabo illam.

tiret. Et videtur in ea illud Salomonis impletum: *Mulierem fortem quis inveniet*¹⁾? Non est inventum simile in ordine nostro, et ideo sine exemplo. *Mulierem*, inquit, *ex omnibus non inveni*²⁾. Ingressa probationem³⁾, manum suam misit ad fortia⁴⁾. Inter viros dormivit, cum viris comedit et bibit, viris⁵⁾ ad disciplinas dorsum suum nudavit. Et cum esset iuvenula multae gravitatis, tamen ne sexus eius notaretur, quandoque suis sociis in probatione signa aliqua ostendit levitatis; nam absente magistro, monachum, qui haec nobis retulit, Hermannum nomine, tunc puerum quatuordecim annorum, ad scyphum suum ducens, ait: Consideremus in hoc vitro⁶⁾, quis nostrum sit formosior. Et cum relucentes in eo facies attenderet, iterum aiebat: Hermanne, quomodo placet tibi facies mea? Respondit ille: Videtur mihi mentum tuum dispositum sicut mentum mulieris. Tunc illa quasi indignando recessit. Postea pro neglecto⁷⁾ silentio ambo vapulabant. NOVICIUS: Miror, si aliquas in ordine habuerit tentationes⁸⁾. MONACHUS: De eius tentationibus nihil audivi; sed quod aliis fuerit causa tentationis, satis intellexi. Cum appropinquaret tempus resolutionis eius⁹⁾, coepit infirmari. Et cum prae nimia debilitate ad lectum suum portaretur¹⁰⁾, monachus quidam eam intuens, iuxta¹¹⁾ se stantibus clara voce dicebat: Homo iste vel femina est vel diabolus, quia¹²⁾ nunquam illum respicere potui sine tentatione. Et satis probatur ex hoc ioco¹³⁾, quod fortis sit vis naturae. Vocansque Priorem, cum ei peccata quaedam levia confiteretur, et ille interrogaret, si unquam¹⁴⁾ aliquam cognovisset mulierem, respondit illa: Nunquam, domine, reus¹⁵⁾ fui alicuius mulieris, sive viri¹⁶⁾; hoc adiiciens propter sexum. Deinde recitavit ei¹⁷⁾ per ordinem eo modo quo praedictum est, universa quae circa se acta sunt, tacito sexu. Priore stupente, ac dicente: Frater, quae loqueris fidem excedere videntur, et quo argumento probare potero illa esse vera? respondit puella: Hodie biennium ef-

1) Proverb. 31, 10. — 2) Eccles. 7, 29. — 3) B ad probationem, C in probationem. — 4) Proverb. 31, 19. — 5) C cum viris, et mox disciplinam. — 6) BDP vino; conf. IX, 3; paulo post C formosior sit. — 7) C postea autem profecto. — 8) conf. III, 33. VII, 37. — 9) C eius resolutionis tempus. — 10) C deportaretur. — 11) C coram. — 12) quia add C. — 13) libri loco. — 14) BC nunquam. — 15) BCD rea. — 16) C viri sive mulieris. — 17) C ei recitavit.

fluxit, ex quo angelus Domini pendenti mihi diem resolutionis meae praedixit; scio cui credidi, fidem servavi, cursum consummavi; de reliquo reposita est mihi corona iustitiae ¹⁾. Si ea feria, qua praedixi, ante obitum meum non deposuero officium linguae, vix spatio unius missae legendae, non mihi credatis. Et adiecit: Cum defunctus ²⁾ fuero, apparebit in me unde stupeatis, et divinae virtuti gratias merito referatis. His dictis, quarta feria hebdomadae paschalis, duodecimo Kalendas Maii, anno Domini millesimo centesimo octogesimo octavo, sole tendente ad occasum, sancta illa anima de corpore virgineo egressa, migravit ad Dominum. Percussa tabula, cum tam Abbas quam ceteri fratres ³⁾ ad eius exsequias convolassent, et corpore exportato ⁴⁾ ad lavandum detectum fuisset, sexus femineus apparuit. Tunc omnibus in stuporem versis miraculi novitate, nunciatum est sacerdoti commendationes legenti. Qui cognito sexu, textum mutavit, et pro monacho monacham et pro fratre sororem nominavit. Postea cum brevia pro ea scribenda essent, et nomen eius ignorarent, sub tali forma scripta sunt: Duodecimo Kalendas Maii obiit ancilla Christi in Sconavia. Elapsis aliquot diebus, cum fratres nomen illius beatæ scire disederent, miserunt in vicinam ⁵⁾ Coloniae, unde se oriundam dixerat, et cum studiose circumquaque de eius cognatione investigarent, nutu divino inventa est quaedam anus, quae se eius ⁶⁾ cognatam fuisse ⁷⁾ diceret, asserens eam Hildegundem ⁸⁾ vocatam. Cum ante hos annos consecraretur novum ⁹⁾ oratorium in Sconavia, ex diversis provinciis ad dedicationem, populi confluentes, et praedictas beatæ Hildegundis virtutes audientes, tumulum eius frequentaverunt, matronae maxime, sanctis eius orationibus se commendantes, Deunque super tantis mirabilibus glorificantes. Et nos fratres cum illis gratias referamus Salvatori nostro, qui haec ¹⁰⁾ fieri voluit nostris temporibus in ordine nostro, ad gloriam suam et aedificationem nostram, qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

*Omnis homo miretur, homo quid fecerit iste ¹¹⁾,
Haec, cuius fossa cineres inclusit et ossa.*

1) Tim. II, 4, 7. 8. — 2) BCD defuncta. — 3) fratres om C. — 4) C portato. — 5) P viciniam. Conf. VII, 58. VIII, 47. — 6) C illius. — 7) fuisse om C. — 8) CD Hildegundam. — 9) novum om C. — 10) C hoc. — 11) C ista.

*Vivens mas paret, moriens sed femina claret.
Vita fefellit, morsque refellit rem simulatam.
Hildegunt dicta, vitae est in codice scripta.
Maii bis senis est haec defuncta Kalendis.*

NOVICIUS: De hac puella videtur intelligendum illud Salomonis: *Mulierem fortem quis inveniet*¹⁾? MONACHUS: Tanta est fortitudo mentis in quibusdam feminis, ut merito laudetur²⁾.

CAPITULUM XLI.

De vidua Coloniensi, quae in cappa conversi egressa est de civitate.

Honesta quaedam matrona de Colonia, divitiis pollens et aetate florens, cum post mariti mortem Christo nubere vellet, timore amicorum, a quibus eius desiderium impediabatur, habito consilio domini Karoli Abbatis Vilarientis, cappam conversi induit, sicque per illum de civitate educta, in Monte sanctae Walburgis monialis est effecta. NOVICIUS: De conversione viduarum seu maritatarum³⁾, quae de faece saeculi⁴⁾ gustaverunt, non multum miror; virginum vero contra parentum voluntatem se convertentium constantiam satis admiror⁵⁾. MONACHUS: Quasdam ex his pro exemplo tibi ponam⁶⁾.

CAPITULUM XLII.

De conversione Methildis magistrae in Fusinnich.

Domina Methildis magistra hodie in Fusinnich, cum haberet parentes ditissimos, et ad saeculi nuptias nutrire, adhuc in aetate tenera constituta, se solo Christo velle desponsari, monialisque⁷⁾ fieri quotidie protestata est. Cumque blanditiis sive minis non posset averti, die quadam vestibis purpureis contra voluntatem⁸⁾ induta, matri respondit: Etiamsi feceritis me auream, non poteritis mutare propositum meum. Tandem

1) Proverb. 31, 10. Verba De hac — inveniet? Monachus absunt a codice D. — 2) P laudentur. — 3) DP maritarum. — 4) C saeculi faece. — 5) C satis admiror constantiam. — 6) C quasdam tibi de his per exempla ponam, D quasdam pro his in exemplum tibi proponam. — 7) R monialemque. — 8) C add suam.

taedio affecti parentes eius, cum eam locare vellent in praedicto monasterio sanctae Walburgis, nec esse posset, eo quod completus fuisset statutus numerus sororum, in Fusinnich conversa est, ubi adeo profecit, ut non multo post, licet adhuc adolescentula, magistra efficeretur. Quam post annos paucos Aleidis soror eius carnalis, marito viduata, et ipsa adhuc adolescentula, secuta, in eodem coenobio ¹⁾ facta est Priorissa. Quarum exemplo quaedam earum cognata timore parentum de Dioecesi Traiectensi, in habitu virili egressa, apud sanctum Thomam, quae est domus ordinis nostri, et ²⁾ in Episcopatu Treverensi posita, se convertit. Hanc cum soror imitari vellet, a parentibus capta est et viro tradita. Spero autem quod Deus tam ferventem conversionis voluntatem non relinquat irremuneratam.

CAPITULUM XLIII.

De conversione Helswindis Abbatissae de Porceto.

Laudabilem, imo satis mirabilem, dominae Helswindis Abbatissae de Porceto conversionem tibi replicabo. Haec cum esset et adhuc sit Arnoldi sculteti ³⁾ Aquensis, viri potentis divitisque, filia, sic ab ineunte aetate fervebat zelo conversionis, ut matri frequenter diceret: Mater, fac me monialem. Solita enim erat cum matre ascendere Montem sancti Salvatoris, in quo tunc manebat conventus sororum ⁴⁾ de Porceto. Die quadam per fenestram coquinae latenter intrans, dormitorium ascendit, et puellae cuiusdam cucullam induens, cum ceteris chorum intravit. Quod cum matri abire volenti per Abbatissam innotuisset, illa putans iocum esse, respondit: Vocate puerum, oportet nos ire. Venit illa intrinsecus ad fenestram, dicens: Monialis sum, non ibo tecum. Mater vero timens maritum, respondit: Modo tantum venias mecum, et ego patrem tuum rogabo, ut te faciat monialem. Sicque exivit. Matre vero tacente, contigit ut iterum montem ascenderet, filia dormiente. Quae cum surrexisset, matre in ecclesia quaesita, et non inventa, in monte eam esse suspicans, secuta est sola, et per ⁵⁾ praedictam fenestram ingressa, rur-

1) P loco. — 2) et om P. — 3) sculteti om C; mox D filia, Aquensis viri potentis divitisque civis, sic. — 4) sororum om C. — 5) per om C.

sum habitum induit, matrique roganti ut exiret, respondit: Amodo me non decipies; verba sibi promissa replicans. Matre vero ¹⁾ cum multo timore recedente, pater cum fratribus furibundus ascendit, fores effregit, filiam vociferantem eduxit, cognatis, qui eam averterent, commisit. Quibus illa, nondum, ut puto ²⁾, novem annorum, tam sapienter respondit, ut mirarentur. Quid plura? Episcopo Leodiensi patrem et eos a quibus educta fuerat excommunicante, loco restituta est, et post annos paucos ibidem in Abbatissam electa. Haec de conversione dicta sint ³⁾. Multa huiusmodi Christus in suis operatur electis, ad gloriam sui nominis ⁴⁾, cui cum Patre et Spiritu sancto honor sit et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.



DISTINCTIO SECUNDA DE CONTRITIONE.



CAPITULUM I.

De contritione, quid sit, unde dicatur, quot sint eius species, quis fructus.

EX superiori distinctione declaratum est, conversionem aliquando praecedere contritionem, aliquando sequi, et exemplis probatum ⁵⁾. Nunc vero de ipsa contritione, prout Dominus donare dignabitur, dicere propono, atque eadem quae dicturus sum exemplis confirmabo. Et hoc scire debes, quod contritio sit magnum bonum, et perfectum, quoniam ⁶⁾ Dei donum, desursum descendens a Patre luminum, in quo non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio ⁷⁾. Quandoque addit ⁸⁾ perfectioni, quia minima contritio maximam delet culpam, perfecta vero culpam simul tollit et poenam.

1) vero om C. — 2) ut puto om C. — 3) C sufficiant pro sint. — 4) nominis om C. — 5) C est probatum. — 6) quoniam om B; DP autem habent quandoque. — 7) Jac. 1, 17. — 8) B addi, D addidit, P additum.

NOVICIUS: Ut plenius intelligere valeam contritionis virtutem, primum mihi debes exponere, quid sit contritio, unde dicatur, utrum gratis infundatur, seu ab homine mereatur, quot sint eius species, vel quid operetur in peccatore. MONACHUS: Contritio est cordis poenitudo, scilicet¹⁾ dolor de peccatis, partim surgens ex timore gehennae, partim ex amore coelestis patriae. NOVICIUS: Estne aliqua differentia inter poenitudinem et poenitentiam? MONACHUS: Etiam; poenitudo dolor est²⁾ interior, tollens culpam³⁾; poenitentia satisfactio exterior, peccati delens poenam. NOVICIUS: Quae est differentia inter culpam et poenam? MONACHUS: Culpam est ipsum peccatum; poena⁴⁾ praemium peccati. Si culpa est mortalis, debetur ei pro praemio poena aeterna⁵⁾. Hanc Deus per cordis poenitudinem in poenam convertit temporalem. Hanc, si insufficiens fuerit contritio, delet exterior satisfactio. Haec est poenitentia, quasi poenam tenens dicta. NOVICIUS: Unde dicitur contritio? MONACHUS: Contritio dicta est quasi simul tritio; componitur autem a con, quod est simul, et tritio, eo quod de omnibus peccatis⁶⁾ cor simul teri debeat per dolorem. Qui⁷⁾ de peccato uno dolet, et non de altero, nequaquam⁸⁾ conceditur, quod in corde huius sit contritio. Non debet peccator dividere culpam, quia Deus non dividit indulgentiam; simul enim totum debitum dimittit⁹⁾. NOVICIUS: Si simul conterendum est de omnibus, quid est quod Psalmista dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum*¹⁰⁾? Lectum, sicut nobis exponere soles¹¹⁾, appellat conscientiam, singulas noctes singula peccata. Si per singula deflet, ut sic interpellatim¹²⁾ abluantur, quomodo pro omnibus simul conteritur? MONACHUS: Una debet esse generalis contritio, quae deleat culpam; deinde singulis, si fieri posset, diebus lacrimandum esset cum Thaide ad abluendam poenam. Unde Ezechias dicit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*¹³⁾. NOVICIUS: Unde oritur contritio? Infunditurne gratis, vel meretur ab homine? MONACHUS: Dicam tibi quid maiores de hoc sen-

1) C add cordis. — 2) C est dolor. — 3) C peccati minuens culpam. — 4) C add est. — 5) C aeternalis. — 6) peccatis om C. — 7) C add autem. — 8) C add ei. — 9) D dimittit debitum. — 10) Psal. 6, 7. — 11) conf. Homil. II. p. 46. 121. Mox C appellas, P appellant. — 12) BD interpolatim; mox C sciantur pro abluantur. — 13) Isai. 38, 15.

tiant ¹⁾. In iustificatione peccatoris dicunt quatuor concurrere, gratiae infusionem, motum surgentem ex gratia et libero arbitrio, contritionem ²⁾, peccatorum remissionem. Quatuor ista appellant quatuor iustificationes. Primam non meremur, quia gratis infunditur, nec ea ³⁾ meremur, quia mox ex gratia et libero arbitrio motus quidam excitatur. Motum istum licet non mereamur, tamen eo meremur tertiam iustificationem, id est, contritionem. Hanc iustificationem meremur, et ea meremur quartam iustificationem, scilicet remissionem peccatorum. Ob hoc dictum est Mariae: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* ⁴⁾. Contritio enim esse non potest sine dilectione. Ecce habes ⁵⁾ quid contritio meretur. Et hoc scire debes, quod una iustificatio alteram non praecedat ⁶⁾ tempore, sed natura. NOVICIUS: Vellem mihi ista plenius exponi sub aliqua similitudine. MONACHUS: Adverte quae dico: Pluvia terrae infunditur, et ⁷⁾ ex utroque herba gignitur; deinde ex herba fructus producitur. Quid pluvia, nisi gratia? quid terra, nisi liberum arbitrium? Ex pluvia et terra gramen gignitur, et ⁸⁾ ex gratia liberoque arbitrio, ut dictum est, motus oritur. Herba fructificat, cum idem motus liberum arbitrium ad satisfactionem movet. Sterilis est terra sine pluvia, et absque fructu liberum arbitrium sine gratia; nihil etiam operatur pluvia sine terra, quia sicut auctoritas dicit: Deus potest hominem creare sine se, sed non iustificare sine se. Unde Apostolus: *Non ego, sed gratia Dei mecum* ⁹⁾. NOVICIUS: Quot sunt species contritionis? MONACHUS: Duae, interior scilicet et exterior. Interior est in amaritudine cordis; exterior in afflictione corporis. De illa per Psalmistam dicitur: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicias* ¹⁰⁾. De ista vero Jeremias ¹¹⁾: *Maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine* ¹²⁾, id est, a poena peccati, per quam corpus affligitur. NOVICIUS: Jam per-

1) C maiores nostri inde sentiant. — 2) D contritionem et. — 3) C eam, P secundam. Homil. III. p. 135: „notum est, quatuor esse iustificationes animae, quae simul insunt tempore, licet una alteram naturaliter praecedat. Prima est gratiae infusio. Hanc non meremur, nec ea meremur.“ — 4) Luc. 7, 47. — 5) C ecce hic habes; mox BD quia, R quod. — 6) C praecedat. — 7) et om C. — 8) et om C. — 9) Cor, I, 15, 10. — 10) Psal. 50, 19. — 11) B Jeremias dicit, C dicit Jeremias. — 12) Jer. 48, 10.

pendo, quod maxima sit virtus contritionis. MONACHUS: Tanta est eius ¹⁾ virtus, ut sine illa in adultis, qui actuale addiderunt originali, infructuosus sit baptismus, sterilis ²⁾ confessio, inutilis satisfactio. Ecce hic habes, quod contritio in non baptizatis baptismus sit primus; in baptizatis post lapsum secundus ³⁾. Baptismo igitur contritionis baptizatus est latro in cruce, Maria Magdalena ad pedes Salvatoris. Quod culpam, quantumlibet sit magna ⁴⁾, deleat contritio, subiecto doceberis exemplo.

CAPITULUM II.

De monacho apostata, qui in bello confossus, et in confessione contritus, elegit duo millia annorum in purgatorio.

Juvenis quidam nobilis conversus est in quadam domo ordinis nostri. Habebat autem Episcopum quendam cognatum, a quo unice amabatur. Qui cognita eius conversione, ad monasterium venit, et ut rediret ad saeculum, verbis quibus poterat suasit, sed persuadere non potuit. Anno probationis expleto, factus est monachus, et non multo post gradatim ascendens, in sacerdotem est ⁵⁾ ordinatus. Qui suadente diabolo, a quo primus homo eiectus est de paradiso, oblitus voti, oblitus sacerdotii, et quod pessimum est, Creatoris sui, ordinem deseruit; et quia ad parentes redire erubuit, praedonibus, quorum multitudo rutta ⁶⁾ vocatur, se coniunxit. Qui ita datus est in reprobum sensum ⁷⁾, ut qui prius bonis erat melior, postea etiam malis fieret deterior. Accidit ut in obsidione cuiusdam castris telo percussus ⁸⁾ et perfossus, ad extrema deveniret. Deportatus est a sociis in quandam villam, adhibitis quibusdam qui ei ministrarent. Et cum nulla spes esset evadendi mortem temporalem, hortabantur eum ad confessionem, ut saltem illius beneficio mortem evaderet aeternam. Quibus respondit: Quid mihi prodesse posset confessio, qui tanta et tam innumera feci mala, qui tam enormia ⁹⁾ commisi scelera? Ad haec illi: Maior est Dei misericordia, quam sit iniquitas tua. Vix tandem, importunitate

1) eius om C. — 2) C add sit. — 3) Ecce — secundus om D. — 4) DP magna sit. — 5) est om BC. — 6) B rota. — 7) Rom. 1, 28. — 8) C add esset; paulo post B perveniret. — 9) verba feci — enormia om D.

illorum victus, ait: Vocate ¹⁾ sacerdotem. Qui cum vocatus adesset, et coram infirmo sederet, pius Dominus, qui potens est auferre cor lapideum, et dare cor carneum ²⁾, tantam cordi eius contulit contritionem, ut saepe ³⁾ confessionem inciperet, et propter singultus et lacrimas totiens in voce deficeret. Tandem collecto spiritu in huiusmodi verba prorupit: Domine, peccavi super arenam maris, monachus fui Cisterciensis ⁴⁾, et in ordine sacerdos factus. Ordinem, peccatis meis exigentibus, deserui; et non mihi suffecit quod apostatavi, sed et praedonibus me coniunxi, quos omnes in crudelitate superavi. Quibus illi tollebant substantiam, ego abstuli vitam. Nemini parcebat oculus meus. Si illi parcebant quandoque humana ducti miseratione, ego cordis mei impellente malitia ⁵⁾, nemini, quantum in me fuit, parcere potui. Multorum uxores et filias violavi, incendiis etiam ⁶⁾ plurima vastavi. Enumeravit et alia quam plurima, quodammodo naturam humanam excedentia. Talibus sacerdos auditis, peccatorum eius ⁷⁾ enormitate territus, sicut stultus fuit, ita et stulte respondit: Maior est, inquit ⁸⁾, iniquitas vestra, quam ut veniam mereamini. Respondit ille: Domine, literatus sum. Saepius audivi et legi, quia nulla sit comparatio humanae malitiae ad divinam bonitatem. Ait enim per Prophetam Ezechielem: *In quacunq[ue] hora peccator ingemuerit, salvus erit. Item: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* ⁹⁾. Rogo vos igitur ¹⁰⁾ intuitu divinae misericordiae, ut aliquam mihi dignemini poenitentiam iniungere. Et sacerdos: Nescio quid tibi iniungere ¹¹⁾, quia homo perditus es. Respondit monachus: Domine, ex quo non sum dignus a vobis recipere poenitentiam ¹²⁾, ego mihi ipsi poenitentiam iniungam; eligo enim duo millia annorum ¹³⁾ in purgatorio, ut post illos misericordiam inveniam coram Deo. Positus siquidem fuerat inter duas molas, timorem videlicet gehennae, et spem gloriae. NOVICIUS: Ut quid tam prolixum terminum elegit? MONACHUS: Quia et magnitudinem peccatorum suorum consideravit, et poenam temporalem re-

1) C add mihi. — 2) Ezech. 11, 19. — 3) C saepius. — 4) BC fui Cisterciensis ordinis, P sum ordinis Cisterciensis. — 5) C nequitia. — 6) B quam. — 7) C illius. — 8) inquit om BC. — 9) Ezech. 33, 11. — 10) C igitur vos, P vos ergo. — 11) C iniungam, R iniungere debeam. — 12) B poenitentiam recipere; paulo post C iniungam poenitentiam. — 13) CP add esse.

spectu aeternae poenae quasi momentum reputavit. Dicebat iterum sacerdoti: Ex quo negastis mihi ¹⁾ medicinam satisfactionis, peto ut non fraudetis me a viatico sacrae communionis. Respondit ²⁾ stolidus sacerdos: Si tibi ausus non fui iniungere poenitentiam, quomodo praesumam tibi ³⁾ dare Christi corpus et sanguinem? Et cum ad neutrum acquiesceret, unicam tandem rogavit petitionem, dicens: Statum meum in schedula scribere volo ⁴⁾, et vos deferre eam debetis tali Episcopo cognato meo, ex nomine eum designans, spero ⁵⁾ quia orabit pro me. Et promisit ⁶⁾ sacerdos. Mortuus est monachus, et ad purgatorium deportatus. Et venit sacerdos ad Episcopum, defuncti literas ei ⁷⁾ deferens. Quas cum legisset, amarissime flevit ⁸⁾, dixitque sacerdoti: Nunquam tantum dilexi hominem; dolui de eius conversione, dolui de apostasia, doleo de morte. Dilexi vivum, diligam et mortuum. Quia iuvari potest, et contritus obiit, orationibus Ecclesiae meae non carebit. Et convocans praelatos Episcopatus sui, Abbatem scilicet, Decanos ⁹⁾, Priores, Pastores ecclesiarum ¹⁰⁾, vel quibus commissa fuerat ¹¹⁾ cura animarum, et hoc ipsum demandans monasteriis sanctimonialium ¹²⁾, rogans cum multa humilitate et instantia, viva voce praesentes, literis absentes ¹³⁾, ut omnes speciales orationes quas ipse iniunxit, illo anno animae iam dicti defuncti impenderent, tam in missis quam in psalmis. Ipse vero praeter eleemosynas et ¹⁴⁾ orationes peculiare, quas pro eo fecit, singulis diebus hostiam salutarem pro absoluteione animae eius immolavit. Quod si forte in maxima necessitate, vel infirmitate, hoc per se ipsum ¹⁵⁾ facere non potuit, alter defectum illum supplevit. Anno completo, in fine missae post altare stans defunctus apparuit Episcopo, pallidus, exilis, macilentus, in ¹⁶⁾ veste pulla; vultu habituque statum suum bene declarans. Quem cum interrogas-

- 1) C mihi negastis. — 2) DP add ei. — 3) D tibi praesumam. — 4) C scribam; mox B et vos deferre debetis, C et vos eam deferre debetis, D et deferre vos eam debetis. — 5) C add enim. — 6) BC add ei. — 7) D ei literas. — 8) C flere coepit. — 9) C et Decanos. — 10) B ecclesiarum Pastores, CR et Pastores ecclesiarum. — 11) B commissa est, C fuerat commissa. — 12) D monialium. — 13) C literis absentes, praesentes viva voce. — 14) DP praeter missas et eleemosynas ac. — 15) B semetipsum, et paulo post: illius pro illum. — 16) in om C.

set, quomodo haberet, vel ¹⁾ unde veniret, respondit: In poenis sum, et ²⁾ de poenis venio; sed gratias ago caritati tuae, quia annus iste propter eleemosynas tuas ³⁾ et orationes atque beneficia Ecclesiae tuae mihi exhibita abstulit mihi mille annorum poenas, quas sustinere habebam in purgatorio. Quod si adhuc uno anno similem mihi impenderis opem, omnino liberabor. Audiens haec ⁴⁾ Episcopus, laetus effectus, Deo gratias egit, missisque literis ad ecclesias sive monasteria, visionem omnibus exposuit, et ut adhuc uno anno iniunctas servarent orationes obtinuit. Episcopus vero annum sequentem praecedenti continuavit, tanto in exhibitione ferventior, quanto iam de liberatione securior. Expleto anno cum Episcopus missam pro eo celebraret, iterum affuit ille in cuculla nivea, et facie serenata, dicens sibi omnia optata succedere. Et ait Episcopo: Remuneret omnipotens Deus ⁵⁾ caritatem tuam, sanctissime pater, quia propter tuam sollicitudinem ereptus de poenis, iam ingredior gaudium Domini mei. Et ecce isti duo anni reputati sunt mihi pro duobus millibus annorum. Et non vidit eum amplius. NOVICIUS: Valde laetificant ⁶⁾ ista; sed duo mihi occurrunt admiratione digna. Primum est virtus contritionis, per quam merito damnandus, dignus effectus est vita aeterna. Secundum est virtus orationum, per quas ⁷⁾ tam celeriter liberatus est a poena purgatoria ⁸⁾. MONACHUS: Licet magna virtus sit in utroque, amplior tamen invenitur in contritione. Orationes enim Ecclesiae, sive eleemosynae, non sunt de substantia meriti. Valent quidem defuncto ⁹⁾ minuere poenam, sed non possunt augere gloriam. NOVICIUS: Miror etiam, quod homo apostata in habitu saeculari mortuus et sepultus, in cuculla apparuit. MONACHUS: Contritio de apostata monachum fecit, et vestem saecularem in cucullam convertit. NOVICIUS: Vellem mihi hoc evidentiori exemplo probari. MONACHUS: Exemplum ad manum est.



1) vel om C. — 2) et om C. — 3) tuas habent CP post orationes. — 4) BP hoc. — 5) ADP Deus omnipotens. — 6) B me laetificant, D laetificant me. — 7) ADP quam. — 8) BCR purgatorii. — 9) P defuncti.

CAPITULUM III.

Item de monacho apostata, qui in miraculo sancti Bernardi contritus, extra ordinem mortuus, et in clericali habitu sepultus, effossus in tonsura et habitu monachi apparuit.

Beatus Bernardus, sicut mihi quidam sacerdos retulit religiosus ¹⁾, monachum quendam habuit, in quo hoc quod quaeris, per virtutem contritionis Deus manifestius ostendit. Multa adhuc a veteranis, qui eum viderunt, quorum adhuc quidam ²⁾ in domo nostra supersunt, narrari solent, quae non sunt scripto mandata. Monachus idem, de quo sermo coepit ³⁾, suadente inimico, habitum deposuit, et parochiam quandam, eodem cooperante ⁴⁾, regendam suscepit. Erat quippe sacerdos. Et quia saepe peccatum peccato punitur, desertor ordinis in vitium labitur libidinis. Concubinam, sicut multis consuetudinis est, ad sibi cohabitandum ⁵⁾ accepit, de qua et ⁶⁾ liberos genuit. Accidit ut post annos plurimos ⁷⁾, miserante Deo, qui neminem vult perire, sanctus Abbas per villam, in qua monachus habitavit, transiret, et ad domum illius hospitandi gratia diverteret. Quem ille ⁸⁾ bene cognoscens, et quasi proprium patrem cum multa reverentia excipiens ⁹⁾, devote ministravit, et tam ipsi quam sociis ac ¹⁰⁾ iumentis necessaria copiose procuravit. Non tamen recognitus est ab Abbate. Mane cum vir sanctus dictis matutinis paratus esset ad eundem, nec posset loqui sacerdoti, eo quod maturius surgens isset ad ecclesiam, ait filio ipsius sacerdotis ¹¹⁾: Vade defer nuncium istud domino tuo. Erat autem puer ¹²⁾ mutus a nativitate. Qui praecepto obediens, et praecipientis virtutem in se sentiens, ad patrem cucurrit, et sancti patris verba, verbis valde absolute ¹³⁾ expressit, dicens: Haec et haec mandat tibi Abbas. Pater primam vocem filii ¹⁴⁾ audiens, et prae gaudio lacrimans, ut secundo ac tertio eadem verba repeteret admonuit, et quid sibi Abbas fecerit, diligenter inquisivit.

- 1) BC religiosus retulit. — 2) quidam om D. — 3) C sermo coepit esse, P coepit sermo. — 4) C eo suadente. — 5) B cohabitandam; mox C suscepit. — 6) et om C. — 7) C multos. — 8) C sacerdos. — 9) C suscipiens. — 10) sociis ac om C. — 11) C sacerdotis ipsius. — 12) B puer ille, C puer idem. — 13) B absolutis. — 14) BC filii vocem.

Cui ille: Nihil aliud mihi fecit, sed solummodo dixit mihi ¹⁾: Vade dic domino tuo verba haec. Ad tam evidens miraculum sacerdos compunctus, festinanter ad sanctum virum venit, seque cum lacrimis ad pedes illius prostravit. Domine pater, inquit, monachus vester talis ac talis fui, et tali tempore a monasterio recessi. Rogo igitur paternitatem vestram, ut liceat mihi redire vobiscum ad monasterium, quia Deus in adventu vestro visitavit cor meum. Cui sanctus: Exspecta me hic, et ego peracto negotio ocius revertens ducam te mecum. Timens ille mortem, quam prius non timebat, respondit: Domine, timeo interim mori. Ad haec ille: Hoc, inquit, pro certo scias, quia si in tali contritione ac proposito mortuus fueris, coram Deo monachus invenieris. Recessit, rediit, illumque recenter mortuum ac sepultum audiens, sepulchrum aperiri ²⁾ praecepit. Dicentibus qui aderant, quid facere vellet? respondit: Volo videre utrum in sepulchro iaceat monachus, an clericus. Clericum, inquiunt, in habitu saeculari ³⁾ sepelivimus. Reiecta terra, non in veste qua sepultus fuit, sed in tonsura et habitu monachi cunctis apparuit. Et magnificatus est ab omnibus Deus, qui voluntatem pro facto reputat ⁴⁾. Ecce in isto manifeste habes, quod vera contritio coram Deo restituat quicquid tollit vitium apostasiae. Hoc tamen scias, quod tempus apostasiae totum infructuosum sit ⁵⁾. NOVICIUS: Bene ex his quae iam dicta sunt recognosco virtutem contritionis; sed amplius admiror ineffabilem misericordiam nostri Salvatoris. Homo iste apostata fuit, fornicator fuit, et quod amplius pondero, quotidie sacrosancta Christi mysteria tractare pollutis manibus non pertimuit. MONACHUS: Juste moveris. Ubi contemptus est maior, ibi et culpa gravior. Ait enim Apostolus: *Quicumque manducat panem et bibit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* ⁶⁾. Super quem locum dicit glossa: Mortis Christi poenas dabit; ac si Christum occiderit, punietur. Si Christi crucifixoribus in poena similis erit, qui indigne, hoc est, in mortali quolibet existens, accesserit, quid de illo sentiendum est, qui in multis et assiduis morta-

1) C mihi dixit. — 2) DP aperire. — 3) libri clericali. At vide supra p. 61. — 4) Caesarius noster hanc historiam didicit, non relatione, sed lectione; vide Vit. S. Bernard. VII, 21. — 5) D fuit. — 6) Cor. I, 11, 27.

libus ¹⁾ manens, non solum non manducans manducat ²⁾, sed etiam scelestis manibus conficit et tractat? Audi quid mihi dixerit nonnus Caesarius monachus noster; quondam Abbas Prumiae.

CAPITULUM IV. *)

De sacerdote qui dixit: Si peccata sunt peccata, nunquam salvabitur anima mea.

Loquente me, ait, tempore quodam cum quodam sacerdote de peccatis, ille non confitendo, sed peccata parvipendendo, respondit: Si peccata, sicut homines dicunt, sunt peccata, et tam gravia, nunquam salvari poterit anima mea. Quare? inquit ³⁾. Quia in hac nocte dormivi cum legitima cuiusdam, et hodie celebravi tres missas. Erat autem in eadem nocte duplex festivitas, scilicet Dominicae diei et sancti Laurentii Martyris. NOVICIUS: Stupenda sunt quae audio; sed miror ⁴⁾ valde, quod Deus tantum in se contentum potest sustinere. MONACHUS: Si Deus in peccatis statim occideret peccatores, non hodie tam innumeros haberet professores. Vis ergo audire rem horrendam de sacerdote huiusmodi, in quo et mirari poteris ineffabilem patientiam Dei? NOVICIUS: Volo et disidero, quia divina patientia permaxime nobis ⁵⁾ est necessaria.

CAPITULUM V. **)

De luxurioso sacerdote, cui columba in die Natalis Domini tribus vicibus sacramentum altaris tulit, et post contritionem restituit.

MONACHUS: Dominus Conradus, quondam Episcopus Halberstadensis, anno praeterito retulit nobis historiam satis mirabilem, quam contigisse dicebat ante paucos annos in regno Franciae. Erat ibi sacerdos quidam, qui in ipsa nocte Natalis Domini transire debebat per brevem campum de una villa ad aliam, ut ibidem secundum consuetudinem matutinas

1) C mortalibus et assiduis. — 2) sic emendavi. ABD non solum non manducat, C non solummodo manducat, PKR non solum manducat. Conf. IX, 1. — *) Homil. II. p. 72. — 3) scilicet, Abbas Prumiae. — 4) ABD mirum. — 5) BC nobis permaxime. — **) Homil. II. p. 84 sq.

diceret, missasque celebraret. Opere diaboli, ut creditur ¹⁾, iuxta villam soli sola mulier occurrit, et quia sine teste fuit, solus cum sola peccavit. Perpetrata culpa tam nefaria, non eum retraxit a maiori contemptu accusatrix conscientia; sed magis timens humanam verecundiam, quam divinam vindictam, ecclesiam intravit, dictisque matutinis, missam de nocte in primo galli cantu, secundum morem, sollemniter inchoavit. Transsubstantiatione vero ²⁾ facta, panis videlicet in corpus, et vini in sanguinem Christi, columba nivea ipso sacerdote aspiciente, super altare descendit, totumque ebibens quod erat in calice, rostro suo hostiam tulit, et avolavit. Videns ista sacerdos, satis, etsi non salubriter, est territus, et quid faceret, non parum perplexus, canonem propter populum circumstantem ³⁾, quantum ad verba et signa complevit, sed fructu canonis caruit. Post missam, decantatis laudibus, cum missam de mane diceret, eo quod non haberet qui vicem suam suppleret, eadem columba hora qua prius iterum venit, sacramentum abstulit, et recessit. NOVICIUS: Quare exemplo Abrahæ Patriarchæ non abegit eam ⁴⁾? MONACHUS: Talis columba non fuit, quæ repelli aut teneri posset ⁵⁾. Puto eam similem fuisse illi columbæ, quæ in Jordane, vidente Johanne, super verticem Jesu ⁶⁾ resedit. NOVICIUS: Quid sentiendum est de illa columba? Eratne Spiritus sanctus? MONACHUS: Nequaquam, sed indicium præsentiae Spiritus sancti ⁷⁾. Peracto enim ministerio, ad quod a Spiritu sancto fuerat creata, in præiacentem materiam est redacta. Natura divinitatis non potest oculis corporalibus videri, non ⁸⁾ auribus audiri, non manibus tangi. In subiecta creatura, ut est ignis et columba, sæpe visus est. NOVICIUS: Quid postea egit sacerdos? MONACHUS: Non cessavit a præsumptione sua, sed tertio accedens ad altare celebraturus missam de die, per eandem columbam, eo modo quo primo et secundo, ei puer natus sacramentum corporis et sanguinis sui subtraxit. Tandem in se miser ⁹⁾ reversus, et de culpa, licet indignus, Dei tamen gratia compunctus, venit ad quendam Abbatem ordinis nostri, confessionem ei faciens tanti peccati. Exposuit ei et ¹⁰⁾

1) ut creditur om C. — 2) vero om DP. — 3) propter — circumstantem om C. — 4) Gen. 15, 11. — 5) C possit.
6) BP Domini; vide Matth. 3, 16. — 7) C sancti Spiritus.
— 8) C nec, hic et paulo post. — 9) B miser ille in se,
C miser in se; paulo post C culpa sua. — 10) et add BC.

omnem ordinem rei cum multis lacrimis, videlicet quam indigne tertio repulsus sit a divinis sacramentis. Abbas vero, sicut vir prudens et discretus, contritum eum ex toto corde considerans, virtutemque contritionis probare volens, dandam poenitentiam suspendit, et ut ocius iret celebrare missam praecepit. Ille vero quasi Deo obediens confessori suo, cum multo timore et ¹⁾ lacrimis ad altare missam celebraturus accessit, quem pius Dominus, qui nihil horum odit, quae fecit, sed dissimulat peccata hominum propter poenitentiam ²⁾, mirabiliter laetificavit. Ante horam sumtionis columba rediens, tres hostias, quas singillatim ³⁾ tulerat, simul rostro deferens ⁴⁾, corporali imposuit, et trium missarum liquorem de gutture suo calici immisit, ac recessit. Videns haec presbyter, gaudio repletus est maximo, gratias agens Deo, qui facit mirabilia magna solus ⁵⁾. Reversusque ad Abbatem, divinam ei consolationem recitavit, et ⁶⁾ ut ab eo in monachum reciperetur, humiliter supplicavit. Cui respondit Abbas: Non te hoc tempore suscipiam, sed volo ut mare transeas, et pro peccato tuo tribus annis in hospitali infirmantibus servias. Si tunc reversus fueris, nullam a me repulsam patieris. Volebat enim, ut per laborem tanti itineris et pericula maris, poenam peccati ⁷⁾ deleret, et pauperes infirmosque propter opera misericordiae sibi intercessores faceret. Fecit ille quod Abbas praecepit, et post tres annos revertens, habitum religionis in eius domo suscepit. NOVICIUS: Felix peccatum, cuius occasione tantus peccator ad tantum pervenit bonum. MONACHUS: Licet mortalis noxa in se valde sit mala, aliquando tamen per occasionem quibusdam efficitur bona, id est, utilis. Timore unius peccati quandoque homo a multis, imo ab ⁸⁾ omnibus peccatis liberatur. Dum enim poenam imminentem timet, confitetur et dolet, et per poenitentiam totum delet. NOVICIUS: Bene hoc quod dicis concedo, quia si unam deformem maculam in veste mea videro, occasione illius totam vestem lavo. MONACHUS: Hoc tamen scire debes, quod quandoque Deus peccata dimittit mortalia, et non quaedam venialia: sed non dimittit aliquod veniale, nisi simul

1) C ac. — 2) Sapient. 11, 24. 25. — 3) C singulariter. — 4) CD in rostro deferens, Hom. rostro referens. — 5) Psal. 135, 4. — 6) et om C. — 7) C peccati poenam. — 8) ab om D.

dimittat quodlibet mortale. NOVICIUS: Quomodo hoc sit non intelligo. MONACHUS: Quaedam sunt venialia, ut est nimius affectus parentum circa liberos, de quibus non possunt ¹⁾ dolere, nec ea possunt dimittere, et idcirco eis in praesenti non remittuntur. Sed quicquid de venialibus fiat, homo prudens de mortalibus caveat ²⁾, quia cum per se possit cadere, non tamen per se valet resurgere. Quis scit, si Deus lapsus dignetur ³⁾ porrigere manum sublevantem, hoc est, gratiam illuminantem? Quidam cadunt, ut Judas, et non resurgunt; alii, ut Petrus, cadunt, et fortius resurgunt. Dicam tibi de his testimonia verissima, et tanto tibi esse debent gratiora, quanto sunt recentiora.

CAPITULUM VI.

De Hildebrando latrone impenitente, et poena eius post mortem.

Recitavit mihi frater Bernardus monachus noster de quodam homine, divitis cuiusdam villico, qui graviter satis cecidit, et post lapsum surgere non voluit. Et ideo forte non voluit, quia non potuit. Revera non potuit, quia donum contritionis in corde non fuit. Nomen homini Hildebrandus, habitans in villa quadam Dioecesis Traiectensis, quae dicitur Holchoim ⁴⁾. Die quadam silvam cum alio quodam concive suo intravit, quem, suadente diabolo, cum soli essent, occidit. Fuerant ⁵⁾ aliquando inter eos inimicitiae; sed tunc temporis penitus erant sopitae. Reverso Hildebrando in villam, interrogabant eum amici occisi, ubi esset. Qui respondit: Nescio. Expectantibus illis die illo et altero, cum non rediret qui ⁶⁾ iam redire non potuit, suspectum habentes iam dictum Hildebrandum propter antiquas inimicitias, coram iudice in causam traxerunt, crimenque homicidii imposuerunt. Quo timide negante, coepit ipsa facies eum ⁷⁾ prodere, et cum instantibus illis iam negare non posset, confessus est quia hominem occidisset. Statim data super eum sententia, poenae ⁸⁾ rotali adiudicatus

1) B non possunt non. — 2) C add vel doleat. — 3) C dignetur lapsus. — 4) D Holchom. — 5) C add enim. — 6) D quia; mox C iam non redire. — 7) C ipsum. — 8) poenae om D.

est. Cumque duceretur ad mortem, sacerdos eiusdem villae, nomine ¹⁾ Bertolphus, cum alio sacerdote, qui vocabatur Johannes, germano fratris ²⁾ supradicti Bernardi, et advocato villae, utpote aliquando ³⁾ virum honestum, traxerunt in partem, satis diligenter eum monentes de confessione atque contritione cordis ⁴⁾. Et quia miser homo per se surgere non potuit, nec manum in ⁵⁾ se sublevantem sensit, miserabiliter respondit: Quid mihi possent ista ⁶⁾ prodesse? Homo enim damnatus sum. Revera respondit sicut homo induratus et desperatus, similis illi qui dicebat: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear ⁷⁾. Et ait illi sacerdos: Adiuro te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, ut infra hos dies triginta ⁸⁾ mihi appareas, et sine omni periculo vitae meae de statu tuo me certifies. Respondit: Si mihi licuerit ⁹⁾, libenter hoc faciam. Sicque rotali poena plexus, de tormento corporis transivit ad tormentum aeternae damnationis. Nocte quadam infra statutum tempus, Bertolpho dormiente in stratu suo, tantus esse coepit ¹⁰⁾ circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, ut ipsa animalia stuperent, et vix suis loris infra claustra stabuli retineri possent. Expergefactus Bertolphus, respexit ad ostium domus, et ecce ianuae quasi vi ventorum impulsae aperiebantur, viditque Hildebrandum in camino ardente residentem, sibi que celerius propinquantem ¹¹⁾. Territus autem supra modum, se signavit, et ut staret sub invocatione divini nominis praecepit. Ecce hic sum sicut promisi, inquit. Sciscitante illo de statu suo, respondit: Aeternaliter damnatus sum, aeternisque incendiis propter desperationem maxime deputatus. Si secundum tuum consilium egissem poenitentiam, per ¹²⁾ poenam temporalem evasissem aeternam. Non enim punit Deus bis in idipsum. Hoc autem scito, quia si non fuisset vivus a te adiuratus, ne tibi mortuus nocerem, malo tuo huc advenissem. Consulo tibi, ut vitam tuam emendes, ne post hanc vitam similem poenam recipias. Erat autem idem Bertolphus sacerdos nomine, non re. Nam usque ad illud tempus sine ordine presbyterii celebraverat. Qui

1) nomine om C. — 2) fratris om BC. — 3) aliquando add BC; mox C honestum virum. — 4) B de contritione cordis et confessione. — 5) in om D. — 6) BP illa. — 7) Gen. 4, 13. — 8) BC triginta dies. — 9) C liceat. — 10) CD coepit esse. — 11) C appropinquantem. — 12) C propter.

cum adhuc miserum amplius interrogare vellet, respondit: Non licet mihi hic diutius morari, quia multi daemones foris ante ostium praestolantur reditum meum. Hoc dicto, statim impulsus et expulsus cum stridore et ululatu ¹⁾ maximo, ab eo discessit, transiensque secus stabulum, animalia, sicut prius, in stuporem et commotionem convertit. Bertolphus vero timore tam horrendae visionis saeculum deseruit, et in domo quadam ordinis nostri, quae vocatur Hersethusin ²⁾, religionis habitum suscepit. Abbas loci illius, eo quod intellexisset eum virum esse literatum et eloquentem, ut ei ad ordines liceret accedere, satis apud dominum Papam Innocentium laboravit, sed obtinere non potuit. Ante hoc biennium, sicut mihi retulit Prior de Campo ³⁾, in manu, quam extenderat temere ad arcam Dei, morbo, qui anthrax dicitur, punitus est. Quae cum ei, quasi pro remedio, eo quod morbus serpens sit, abscideretur, nihil illi profuit, imo dolori dolor additus, mortem eius ⁴⁾ potius acceleravit. Voluit eum Deus ⁵⁾, ut spero, punire in praesenti, ne puniret in futuro. Ecce iste villicus cecidit, et non surrexit. Si non cecidisset, nequaquam damnatus fuisset. **NOVICIUS:** Ex huius poena perpendo, quam periculosum sit in mortali manere peccato. **MONACHUS:** Scias non solum esse periculosum, sed et damnosum. Periculosum est, quia sicut febris acuta se habet ad mortem, ita mortale peccatum ad gehennam; damnosum autem, quia quicquid interim peccator boni facit, totum perdit. Nihil inde aeternae mercedis consequitur. **NOVICIUS:** Quaero etiam, utrum casus sit ex culpa hominis peccantis, vel ex occasione gratiae recedentis? **MONACHUS:** Nequaquam homini subtrahitur gratia, nisi prius praecedat culpa; alioquin merito refunderetur peccatum in auctorem gratiae Deum. **NOVICIUS:** Placet quod dicis. **MONACHUS:** Delectat te audire adhuc de alio quodam misero, qui propter suam culpam poenam sibi in gehenna praeparatam vidit, atque ab inferis rediens, poenitere contempsit? **NOVICIUS:** Etiam.

1) BC eiulatu. — 2) Hersethusen, Harthausen, monasterium in Episcopatu Paderbornensi prope Warburg situm. — 3) intelligit Veteris Campi coenobium ordinis Cisterciensis in Dioecesi Coloniensi prope Rhenobergam situm. — 4) CP ei. — 5) CP Dominus.

CAPITULUM VII.

*De Godescalco usurario, qui sedem igneam sibi in poenis
praeparatam vidit.*

MONACHUS: Eo tempore quo magister Johannes Xantensis Scholasticus et magister Oliverus Scholasticus Coloniensis crucem contra Sarracenos praedicaverunt in Dioecesi Traiectensi, sicut mihi retulit supradictus Bernardus, qui tunc temporis collega fuit eiusdem Oliveri et cooperator in praedicatione, erat ibi quidam rusticus, si bene memini, nomine Godescalco, opere usurarius. Iste cum ceteris, non ex devotione, ut postea patuit, sed ex circumstantium importuna admonitione, crucem suscepit. Cum dispensatores ex mandato Innocentii Papae pecuniam redemptionis colligerent a senibus, pauperibus et infirmis, idem usurarius se pauperem mentiens, cuidam dispensatori circa summam quinque talentorum dedit, talique dolo sacerdotem circumvenit. Testati sunt postea vicini eius, quod dedisse potuisset quadraginta marcas, nec tamen exheredasset liberos suos, quod ipse praetendebat. Deus autem, qui falli non potuit, eius fallaciae¹⁾ postea terribiliter conclusit. Sedebat miser in tabernis Deum provocans, eiusque peregrinis exprobrans in hunc modum: Vos stolidi mare transibitis, substantiam vestram expendetis, vitamque vestram multis periculis exponetis. Ego vero cum uxore et liberis meis domi residens, propter quinque marcas, quibus redemi crucem meam, similem vobis habebo mercedem. Sed iustus Dominus, ut palam ostenderet quantum ei placeret labor et expensae peregrinantium, et quantum eius oculis displiceret dolus ac blasphemia detrahentis, hominem miserrimum tradidit Satanae, ut disceret non blasphemare. Nocte quadam dormiente eo cum uxore sua, in proprio molendino domui suae contiguo motum quasi rotae molentis audivit. Clamansque²⁾ puerum, dixit ei: Quis admisit molendinum? Vade vide quis ibi sit. Ivit puer, et rediit; nimio enim horrore percussus³⁾ procedere non potuit. Cui dominus: Dic, quid⁴⁾ est ibi? Respondit: Tantus horror ad ostium molendini invasit me, ut compellerer redire.

1) BR fallaciam. X, 31: ac si ei oratione fidelis viduae conclusum fuisset. Homil. III. p. 112: non bene sciebant argumentari, quibus tam cito poterat concludi. — 2) R vocansque; conf. V, 35. — 3) BCP percussus. — 4) DP et corr A quis.

Et ille: Etiamsi diabolus ibi sit, ego vadam et videbò. Iniectaque toga scapulis, eo quod nudus esset, ad molendinum venit, ostium aperuit, introspexit ¹⁾, in quo horrendam visionem vidit. Stabant ibi duo equi nigerrimi, et vir quidam deformis eiusdem coloris iuxta equos. Qui dicebat ad rusticum: Festina ²⁾, ascende equum istum, quia ³⁾ propter te adductus est. Expalluit ille et contremuit, quia iubentis vocem minus libenter audivit. Cumque ad talem obedientiam imparatus esset, iterato clamat diabolus: Quid tardas? Proiice vestem et veni. Erat autem crux, quam susceperat, eidem vesti assuta. Quid plura? Virtutem diabolicae vocis per desperationem in corde suo sentiens, et iam resistere non valens, vestem reiecit, et ⁴⁾ molendinum intravit; equum, imo diabolum, ascendit. Ascendit et diabolus equum alterum, et sub multa celeritate simul deducti sunt ad diversa loca poenarum. In quibus homo miser patrem et matrem miserabiliter vidit, aliosque plurimos, quos defunctos ignoravit. Vidit ibi etiam quendam honestum militem nuper mortuum, Heliam nomine de Rininge, burgravium in castro Huorst, vaccae furenti insidentem averso ⁵⁾ corpore, ita ut dorsum haberet ad cornua vaccae. Quae huc illucque discurrebat, et crebris ictibus dorsum militis cruentabat. Cui cum usurarius diceret: Domine, quare sustinetis tantam poenam? respondit: Vaccam istam rapui sine misericordia cuidam viduae, et ideo sine misericordia oportet me ab illa poenam hanc sustinere. Ostensa est ei in eisdem locis ignea sedes, in qua nulla poterat esse quies, sed sessio poenalis, et poena interminabilis. Dictumque est ei: Modo reverteris in domum tuam, post tres autem dies exuto corpore reverteris in ⁶⁾ locum tuum, et mercedem tuam accipies in sede ista. Mox a daemone reductus, et in molendino depositus, pene exanimis relictus est. Inventus ibi ab uxore et familia, atque in lectum deportatus, cum requireretur, ubi esset, vel unde veniret, respondit: Ad loca infernalium ductus fui, et haec atque haec ibidem vidi. Ostendit mihi in eisdem locis ductor meus sedem unam, et dixit, quia mihi foret praeparata, et quia post tres dies recepturus essem mercedem meam in ea. Vocatus est sub celeritate sacerdos,

1) BC et introspexit. — 2) C festine; conf. V, 16. — 3) BC qui. — 4) et om BC. — 5) ADP averso. — 6) BC ad, et paulo post recipies.

rogatus ab uxore, ut pusillanimum confortaret, desperatum erigeret, et ad ea quae sunt salutis, hortaretur. Quem cum sacerdos moneret, ut contritionem haberet de peccatis suis, et ut puram faceret confessionem, dicens, neminem debere de Dei misericordia desperare; respondit: Quid prosunt verba ista? Non possum conteri, superfluum iudico confiteri. Quod de me dispositum est, necesse est impleri. Sedes mea parata est, post tertium diem illuc veniam, et secundum quod gessi, in ea recipiam. Sicque ¹⁾ sine contritione, sine confessione, sine viatico et sacra unctione tertio die defunctus, in inferno sepultus est. Sacerdos vero cum ecclesiasticam ei negaret sepulturam, ab uxore eius corruptus, in cimiterio positus ²⁾ est. Propter quod postea in Synodo Traiectensi accusatus, poena nescio qua mulctatus est. Vix sunt tres anni elapsi, ex quo ista contigerunt. Ecce iste sicut superior cecidit, et minime surrexit. NOVICIUS: Videtur mihi aliquid habere significationis, quod in vacca inquieta poenam suam miles recepit, usurarius vero in sede quae signum est quietis et stabilitatis. MONACHUS: Deus secundum qualitatem et modum peccati ipsum punit peccatum. Miles iste quia vaccam rapuit, in vacca peccatum luit. Haec de qualitate. Vacca propter pascua per diversa prata discurrit, et assidua praecisione recrescentia gramina depascit. Vacca, ipsa sua inquietudine et depastione, nobiles et advocatos temporis nostri designat, qui domos et agros subditorum hospitando depascunt, et per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia recrescere non sinunt. Isti praedonibus in poenis similibuntur, et sicut modo alios agitant, ita ipsi cum praedicto milite exagitabuntur. Haec de modo dicta sint. Usurarius vero, quia domi quiete residens pecuniam suam ad usuram dedit, in inferno sedem igneam recepit. Bene autem eadem sedes ignea fuit, quia sicut ignis stipulam, ita usura pauperum devorat ³⁾ substantiam.



1) B sicque miser, C sicque miser ille. — 2) BP sepultus. — 3) D consumit; mox C facultatem.

CAPITULUM VIII.

Quam grave peccatum sit usura.

NOVICIUS: Videtur mihi usuram peccatum esse multum grave, et ad emendandum difficile. MONACHUS: Juste moveris. Non est aliquod peccatum, quin quandoque ¹⁾ quiescat; usura vero nunquam a peccato cessat. Dormiente domino suo ipsa non dormit, sed semper crescit et ascendit. Difficilis est ad emendandum, quia Deus non dimittit reatum ²⁾, nisi restituatur ablatum. Fornicator, adulter, homicida, periurus, blasphemus, mox ut de peccatis suis conteruntur, indulgentiam a Deo consequuntur; usurarius vero, licet de peccato suo ³⁾ doleat, tamen quamdiu usuram tenet, cum possit restituere, nil consequitur indulgentiae. NOVICIUS: Quid si iam usuram consumsit, vel liberis suis distribuit, nil habens praeter possessiones iustas? MONACHUS: Illas tenetur vendere, et rapinam reddere. NOVICIUS: Quia Episcopi, qui sunt Ecclesiarum praelati et speculatores, usurariis communicant, et ad sepulturam Christianam recipiunt, idcirco multi sunt hodie. MONACHUS: Si solummodo vitia sibi commissorum dissimulant, et non eis similia facerent, tolerabile esset. Quidam Episcoporum tam graves in plebem sibi subiectam hodie faciunt exactiones, sicut personae saeculares. Isti sunt ficus malae, malae valde ⁴⁾. Valde timendum est talibus, ne sibi cathedras praeparent iuxta sedem usurarii in inferno, quia usura et exactiones violentae nil aliud sunt nisi praedationes et rapinae ⁵⁾. NOVICIUS: Quomodo valere possent ⁶⁾ membra, ubi tam infirma sunt capita? MONACHUS: Occasione huius sedis recordor cuiusdam parabola a quodam Episcopo dictae.

CAPITULUM IX.

De parabola Lupoldi Wormaciensis Episcopi.

In Wormacia ante paucos annos quidam Episcopus fuit, nomine Lupoldus, solo quidem nomine Episcopus, opere autem

1) sic emendavi. C quod quandoque non, R quod non quandoque, ABDPK nisi quandoque. Conf. II, 17. IV, 15. — 2) BD peccatum. — 3) ADP peccatis suis. — 4) Jerem. 24, 3. — 5) ABDP sunt quam rapinae. — 6) C robusta possent esse.

tyrannus. Hic cum esset vanissimus, nil in se habens pietatis, nil religiositatis ¹⁾, dicebat ei quodam tempore germanus suus, vir nobilis: Domine Episcope, multum scandalizatis nos laicos vestro exemplo. Antequam essetis Episcopus, aliquid Deum timebatis, modo nil prorsus de illo curatis. Cui ille respondit: Frater, duo vicini erant, ex quibus unus exemplo alterius peccavit. Mortui sunt ambo, et deducti in infernum. Cum essent in tormentis, unus alteri dicebat: Vae tibi, quia tuo exemplo provocatus ad peccatum merui hunc locum. Cui alter: Bone vicine, si placet tibi amplius sedes mea, trade mihi illam, et ego dabo tibi meam. Sic dico vobis, frater, quando venerimus ad inferos, si videbitur vobis sedes mea honorabilior, ascendite eam, et ego recipiam vestram. Respondit ille: Mala consolatio haec. Iste Lupoldus ita diabolicus erat, ut tempore schismatis, quod erat inter duos Reges, Ottonem scilicet et Philippum, cum sibi usurpasset Episcopatum Maguntinensem eiusdem Philippi auctoritate, et multis interesset bellis, non parceret ecclesiis, non cimiteriis. Et cum ei milites sui dicerent: Domine, non licet nobis spoliare cimiteria; respondit: Si ossa mortuorum tollitis, tunc primum cimiteria spoliatis. Qui cum esset privatus ab officio et beneficio ab Innocentio Papa propter invasionem iam dicti Episcopatus, auxilio Philippi fretus, collecto exercitu, profectus est in Italiam, ipsum Papam debellare. Quem etiam in diversis locis, quod dictu horribile est, ardentibus candelis excommunicavit. Postea vero in odium Imperatoris Ottonis officio et beneficio restitutus est. Vir iste saepe et valde, ut iam dictum est, cecidit; nescio utrum surrexit in fine per contritionem. Hoc scio, quod legatio in qua hominem deposuit ²⁾, multae dissensionis seminarium fuit. NOVICIUS: Saepe quosdam vidi cadere, et per poenitentiam resurgere; sed quod quidam fortius resurgant, probari mihi vellem exemplis.



1) C nil misericordiae habens vel pietatis, nil in se religiositatis. — 2) conf. II, 15. VII, 56. XII, 49. Mox C multorum seminarium fuit dissensionis. Seminarium, id est, causa, occasio. Vit. S. Engelb. II, 4: „litteras cum legisset, in ignem mittens pedibus conculcavit, ne discordiae seminarium fierent inter ipsum et cognatum suum.“ Infra III, 26. Gen. 37, 5.

CAPITULUM X.

De scholari Parisiensi, qui ob nimiam contritionem confiteri non potuit, cuius peccata in schedula scripta divinitus sunt deleta.

MONACHUS: Annus modo vicesimus est secundus, plus minus ¹⁾, eo tempore quo ad ordinem veni, qui fuit ab incarnatione Domini millesimus ducentesimus uno minus, in quo tale quid a viris religiosis et literatis, ut sunt Abbates et Scholastici, Parisiis contigisse veraciter intellexi. Erat ibi iuvenis quidam in studio, qui suggerente humani generis inimico, talia quaedam peccata commiserat, quae obstante erubescencia nulli hominum confiteri potuit. Cogitans tamen quae malis praeparata sunt tormenta gehennae, et quae bonis abscondita sunt gaudia perennis vitae, timens etiam quotidie iudicium Dei super se ²⁾, intus torquebatur morsu conscientiae, et foris tabescebat in corpore. Quid plura? Tandem miserante Deo, in adolescente ³⁾ timor ille servilis verecundiam vicit, qui ⁴⁾ sicut seta filum, caritatem inducere consuevit. Veniens ⁵⁾ ad sanctum Victorem, Priorem vocavit, et quia confitendi gratia venisset indicavit. Ille paratus ad tale officium, sicut omnes sunt fratres eiusdem monasterii, statim venit, in loco ad hoc deputato sedit, praemissaque exhortatione iuvenem confiteri volentem exspectavit. Mira res. Tantam hora eadem pius Dominus, cuius natura bonitas est, cuius voluntas potestas est, cuius opus misericordia est, cordi eius contulit contritionem, ut quotiens confessionem inciperet, totiens singultibus intercepta vox deficeret. In oculis lacrimae, suspiria in pectore, singultus erant in gutture. Haec ut vidit Prior, dicebat scholari: Vade scribe peccata tua in schedula, et defer ad me. Placuit consilium iuveni, abiit, scripsit, die altera rediit, et si confiteri posset iterum tentans ⁶⁾, ut prius defecit. Et cum nil proficeret, schedulam Priori porrexit. Legit

1) CP plus vel minus, D plus nec minus; conf. VI, 22. — 2) C Dei iudicium super se quotidie. — 3) in adolescente add ACD. — 4) A quae. Augustin. in Epist. Johan. Tract. IX, 4: sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. — 5) C veniensque. — 6) D tentavit.

Prior et obstupuit, dixitque iuveni: Non sufficio tibi solus dare consilium. Vis ut ostendam Abbati? Et licentiavit ei. Venit Prior ad Abbatem, et ¹⁾ porrexit schedulam legendam, rem ei per ordinem exponens. Quid deinde gestum sit, audiant peccatores et consolentur, desperati et recreentur. Mox enim ut Abbas chartulam ad legendum aperuit, totam eius continentiam deletam invenit. Impletumque est in eo, quod Dominus per Isaiam dicit: *Delevi ut nubem iniquitatem tuam, et ut nebulam peccata tua* ²⁾. Et ait Abbas Priori: Quid legam in schedula ista? Nihil in ea scriptum est. Haec ut Prior audivit, schedulam simul cum Abbate respexit, dixitque ad illum: Sciat pro certo paternitas vestra, supradictum iuvenem in hac schedula scripsisse peccata sua, et cum a me fuissent ³⁾ lecta, vobis etiam donavi legenda. Sed, ut video, misericors Deus, qui maximam iuvenis contritionem attendit, culpam iam sufficienter punitam iuste delevit. Deletio siquidem totius scripti, abolitionem signat ⁴⁾ totius delicti. Et vocantes scholarem ostenderunt schedulam, dicentes, eius peccata divinitus esse deleta. Quam cum perspexisset et ex signis bene cognovisset, in tantum cor eius ex magnitudine gaudii est dilatatum, in quantum prius ex magnitudine tristitiae fuerat angustiaturum ⁵⁾. Et nullam ei iniungentes satisfactionem, monuerunt, quatenus Deo de perceptis beneficiis gratias ageret, atque de cetero cautius viveret. Ecce iuvenis iste, ut satis videtur, ante ruinam imperfectus fuit, cecidit, et perfectus surrexit. NOVICIUS: In quo fuit perfectus? MONACHUS: In caritate. NOVICIUS: Quae ⁶⁾ est perfectio caritatis? MONACHUS: Quando mens non est sibi conscia alicuius peccati mortalis sive venialis, libera non solum a culpa, sed etiam a poena. Et puto, si saepedictus clericus decessisset in tali statu, minime sensisset poenam purgatoriam ⁷⁾, quia perfecta caritas consumit plumbum et stipulam, culpam et poenam. Haec est opinio multorum. Alii dicunt etiam viros perfectissimos secum trahere fenum et stipulam. NOVICIUS: Miror quare non fuerint peccata eius deleta, antequam Priori essent ostensa. MONACHUS: Ne superflua videretur confessio, sine cuius desiderio nulla fit remissio.

1) et om BC. — 2) Isai. 44, 22. — 3) D fuisset, et paulo post: legendam. — 4) AD significat. — 5) B angustatum. — 6) BC quid. — 7) BC purgatorii.

Ipsa etiam confessio propter erubescenciam maxima pars est satisfactionis. Nam in primo contritionis puncto dimissa fuerat ei culpa, deinde contritione inardescente et confessione accedente deleta est poena. NOVICIUS: Non minus miror contritionem huius hominis, quam Mariae, cui tantum lacrimanti et nil dicenti voce Salvatoris dictum est: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* ¹⁾. MONACHUS: Ex quo mentionem fecisti Mariae Magdalenae, dicam tibi de mira contritione cuiusdam mulieris luxuriosae, in qua nostris temporibus Christus non minora ostendit gratiae suae miracula, quam olim in Maria.

CAPITULUM XI.

De muliere, quae de filio concepit, quam Innocentius Papa ob perfectam contritionem a peccati poena iudicavit absolutam.

In diversis locis a diversis personis hoc quod dicturus sum audivi. Ante hoc quadriennium, eodem, si bene memini, anno, quo defunctus est Innocentius Papa, mulier quaedam igne libidinis succensa, proprium adamavit filium, de quo concepit et peperit filium alterum. Terrore tam nefariae commixtionis percussa ²⁾, quolibet momento timens se tradi Satanae, vel morte subitanea interire, Deo miserante de satisfactione anxari coepit. Praehabito prius consilio sacerdotis sui, infantulum secum tollens, ita enim mihi dictum fuisse puto, Romam venit, et cum multa importunitate domini Innocentii Papae oculis se ingessit, cum tantis lacrimis et clamoribus cunctis audientibus faciens confessionem, ut omnes verteret in stuporem. Gestavit in brachiis infantem, commissi facinoris testem. Videns dominus Papa in muliere tantam contritionem, et quia vere esset poenitens, misericordia motus super eam, sicut prudens medicus, volens infirmam plene et cito sanare, medicinam etiam contritionis probare, praecepit ut in tali veste ibi appareret, in quali venerat ad filium, cum peccaret. Illa confusionem aeternam temporali anteponens, mox exivit, vestes deposuit, in camisia rediit, et quam paratissima foret ad omnem satisfactionem, in tali obedientia satis ostendit ³⁾. Considerans vir literatissimus, tali obedientiae,

1) Luc. 7, 47. — 2) CP percussa. — 3) ABDP ostendens.

tali verecundiae, tali poenitentiae, nullius peccati poenam posse resistere, coram omnibus dixit ad mulierem: Dimissum est peccatum tuum; vade in pace. Et nil amplius iniunxit ei. Audivit haec quidam ex Cardinalibus, et cum Phariseo contra Papam murmurans, iudicium eius reprehendit, dicens ad tantam culpam tam brevem poenitentiam minus sufficientem ¹⁾. Cui ille respondit: Si ego iniuste egi cum muliere ista, et insufficientis est eius coram Deo poenitentia, potestatem habeat diabolus ingrediendi corpus meum, et coram omnibus me vexet; si vero tu ²⁾ iniuste me reprehendis, simile tibi fiat. Statim diabolus Cardinalem eundem vexare coepit, per cuius vexationem perfectam mulieris poenitentiam Deus palam ostendit. Tandem omnium oratione purgatus Cardinalis, didicit in sua vexatione, divinae misericordiae de cetero non oblatrare. Ecce mulier ista, sicut supradictus clericus, infirma cecidit, et sanissima surrexit. NOVICIUS: Magna Dei clementia, quod tam magnum peccatum, cui poenitentia debetur quindecim annorum, tam brevis delet contritio. MONACHUS: Delet peccata multo maiora. NOVICIUS: Quae sunt illa? MONACHUS: Idolatria ³⁾, haeresis, abnegatio Creatoris. Ista sunt ex insania diabolica, peccata vero carnalia ex infirmitate humana. Unde ad mitigandam iram divinam in commendatione defunctorum dicitur: Licet tibi peccaverit, non tamen te ⁴⁾ negavit. NOVICIUS: Rogo, si nosti aliquem qui Deum abnegando cecidit, et per contritionem surrexit, exempli causa manifestes.

CAPITULUM XII.

De contritione nobilis iuvenis, qui Christum negavit, et per intercessionem beatae Virginis gratiae restitutus est.

MONACHUS: Infra hoc quinquennium iuxta Floreffiam, coenobium ordinis Praemonstratensis in Dioecesi Leodiensi, adolescens quidam nobilis habitavit, cui pater moriens, utpote vir magnus et potens, multas divitias reliquit. Factus miles idem iuvenis, ut gloriam sibi conquireret temporalem, in brevi ad magnam deductus est paupertatem. Causa enim laudis humanae torneamenti totus deditus erat, histrionibus larga

1) B sufficere. — 2) B si vero, C si tu vero. — 3) R idolatria. — 4) C tamen te non.

manu sua tribuebat. Et quia ad tales effusiones redditus annui minus fufficiebant, hereditatem paternam vendere compellebatur. Erat autem in proximo manens miles quidam dives et honestus, ministerialis tamen. Huic iuvenis iam dictus allodia, sive feoda ¹⁾ sua partim vendebat, partim in vadium exponebat. Et cum iam non haberet quod venderet vel exponeret, cogitabat exsulare, tolerabilius iudicans inter extraneos mendicare, quam inter notos et affines egestatis confusionem sustinere. Habebat autem villicum, hominem quidem malignum, nomine, non re Christianum, et daemonum ministerio totum mancipatum. Videns hic dominum suum tristem, et tristitiae non ignorans causam, dicebat ei: Domine, vultis dives fieri? Respondit: Libenter dives fierem, dummodo ipsae divitiae esse possent cum Deo. Et villicus: Nolite timere, sequimini tantum me, et bene erit vobis. Statim secutus est miserum, tanquam serpentis vocem Eva, quasi sibi lulum aucupis avicula, in laqueum ²⁾ diaboli celerius deponendus. Et duxit eum in ipsa nocte per quoddam nemus in locum palustrem, et coepit quasi cum aliquo habere sermonem. Cui iuvenis: Cum quo loqueris? Respondit domino suo villicus ille iniquitatis: Tacete tantum vos, nec sit vobis cura cum quo loquar ³⁾. Cumque secundo loqueretur, et iuvenis iterato sciscitaretur, respondit: Cum diabolo. Et coepit iuvenis nimis horrere. Quem non concuteret horror tali ⁴⁾ loco, in tali hora, et de tali sermone? Dicebatque villicus diabolo: Domine, ecce virum hunc nobilem dominum meum adduxi gratiae vestrae, maiestati vestrae supplicans, ut vestro auxilio pristinis honoribus atque divitiis restitui mereatur. Ad quem diabolus: Si mihi voluerit esse devotus ⁵⁾ ac fidelis, dabo ei divitias magnas, insuper addam gloriam et honores, quales non habuerunt patres eius ⁶⁾. Respondit villicus: Libenter vobis obsequiosus erit et fidelis, si talia fuerit consecutus. Et ille: Si voluerit ista a me consequi, abrenunciare in instanti debet ⁷⁾ Altissimo. Quod cum iuvenis audiret et facere renueret, dicebat ei homo ille perditionis: Quid timetis proferre verbulum unum? Dicite, abrenunciate ⁸⁾. Tandem miser iuvenis a villico persuasus, Creatorem suum ore negavit, manu

1) P feuda. — 2) C in laqueo. — 3) BC loquor. — 4) C in tali. — 5) C obediens. — 6) C sui. — 7) BCP debet in instanti. — 8) P abrenuncio.

exfestucavit, diabolo hominum ¹⁾ faciens. Hoc scelere perpetrato, diabolus adiecit: Adhuc opus imperfectum est. Etiam abrenunciare debet matri Altissimi; illa est enim quae maximum nobis infert damnum. Quos filius per iustitiam abiicit²⁾, mater, quia nimis misericors est, ad indulgentiam reducit. Sibilavit iterum serpens in aure adolescentis, ut domino suo in hoc obediret, ut sicut filium, ita etiam et matrem abnegaret. Ad quod verbum iuvenis nimis expavit, turbatusque supra modum, respondit: Hoc nunquam faciam. Quare? inquit. Fecistis quod maius est, facite nunc quod minus est. Maior est ³⁾ creator, quam creatura. Et ille: Nunquam eam negabo, etiamsi me oportuerit ostiatim mendicare per omnes dies vitae meae. Et non acquievit. Sicque infecto negotio, ambo reversi sunt, nihil quidem honoris consecuti, sed maximo peccati pondere gravati, villicus suadendo, iuvenis consentiendo. Pergentes vero simul venerunt ad quandam ecclesiam, cuius ianuam campanarius exiens reliquerat semiclausam. Mox iuvenis desiliens de equo, commisit eum villico, dicens: Exspecta me hic, donec revertar ad te. Et intrans ecclesiam ante ortum aurorae, prostravit se ante altare, et ex intimo corde ipsam matrem misericordiae coepit invocare. Erat autem super idem altare imago ipsius virginis et matris ⁴⁾, puerum Jesum in sinu tenens. Et ecce, meritis ipsius praeclarissimae stellae maris, verus lucifer oriri coepit in corde saepedicti adolescentis. Tantam ei Dominus propter honorem matris, quam non negaverat, contritionem donare ⁵⁾ dignatus est, ut pro fletu rugiret, et pro planctu nimis clamoribus ecclesiam repleret. Eadem hora supradictus miles, qui omnia eius bona habebat, divino, ut creditur, nutu ad eandem ecclesiam divertit, et cum videret apertam, putans ibi divina celebrari, maxime propter clamores intrinsecos ⁶⁾, solus intravit. Inveniensque coram altari iuvenem sibi bene notum lacrimantem, et putans quia suam solummodo defleret calamitatem, retro quandam columnam latenter secessit, rei exitum exspectans. Cumque terribilem illam maiestatem, quam negaverat, nominare, vel invocare non auderet, sed tantum piissimam eius genitricem lacrimosis vocibus pulsaret, utroque audiente, per os imaginis suae be-

1) B homicidium. — 2) C abiicit. — 3) C add enim. — 4) D add Mariae. — 5) AD donari. — 6) DP intrinsecus, C intrinsecus auditos.

ata et singularis Christianorum advocata filio loquebatur in haec verba: Dulcissime fili, miserere huic homini. Puer vero matri nil respondit ¹⁾, faciem ab ea avertens. Cumque iterum rogaret, hominem seductum asserens, matri dorsum vertit, dicens: Homo iste negavit me, quid ei faciam? Post haec verba imago surrexit, puerum super altare posuit, eiusque pedibus se prona prostravit. Et ait: Rogo, fili, ut propter me dimittas ei peccatum hoc. Mox infans matrem elevans, respondit illi: Mater, nunquam tibi aliquid negare potui, ecce propter te totum dimitto. Prius dimiserat culpam propter contritionem, deinde poenam peccati propter matris intercessionem. NOVICIUS: Quare tam durus tam dilectae matri fuit? MONACHUS: Ut iuveni ostenderet, quantum in se peccasset, et ut per dolorem cordis amplius in se peccatum ipsum puniret. Surgens autem iuvenis, exivit de ecclesia, tristis quidem de culpa, sed hilaris de indulgentia. Exivit post eum saepedictus miles latenter, et quasi rem ignoraret, quaesivit, quare tam humidos et tam tumidos oculos haberet. Respondit: De vento est. Et ille: Domine, non me latet causa tristitiae vestrae; habeo enim unicam filiam, si vultis illam ducere uxorem ²⁾, omnia vestra vobis cum illa restituum, insuper et divitiarum mearum heredem vos instituum ³⁾. Ad haec iuvenis laetus effectus respondit: Si hoc facere dignamini, plurimum mihi placeret. Reversus miles ad uxorem suam, rem ei per ordinem retulit; consensit illa; nuptiae celebrantur; iuveni sub nomine dotis omnia sua restituuntur. Adhuc, ut puto, vivit, vivunt et soceri, post quorum mortem eorum hereditas ad ipsum revertetur. NOVICIUS: Multum iuvenis iste regratiari tenetur beatae Virgini, quia per ipsam meruit remissionem peccatorum, insuper et consolationem temporalium bonorum. MONACHUS: Verum dicis, quia ipsa intercedente Dominus cordi eius infudit contritionem, per quam peccati meruit remissionem. Poena etiam peccati, ipsa intercedente, iuvene audiente, dimissa est. Ecce homo iste gravissime cecidit, sed ceteris, de quibus supra dictum est, celerius surrexit. Cecidit intempesta nocte, surrexit in mane. NOVICIUS: Quid tibi videtur de his, qui in fine conterun-

1) BC respondens, et paulo post avertit. — 2) P in uxorem.

— 3) ABCP constituam.

tur? MONACHUS: Audi de hoc non meam, sed beati Augustini sententiam; ait enim sic:

CAPITULUM XIII.

Quid Augustinus sentiat de sera poenitentia.

Si quis positus in ultima necessitate, voluerit accipere poenitentiam, et accipit, et mox reconciliatur, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non praesumimus quia bene hinc exit. Si securus hinc exierit, ego nescio. Poenitentiam dare possumus, securitatem vero non. Numquid dico, damnabitur? Sed nec dico, liberabitur ¹⁾. Vis ergo a dubio liberari? Age poenitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es, quia poenitentiam egisti, quando peccare potuisti. Si vis agere poenitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Item: Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quod horum tibi sit futurum, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum ²⁾.

CAPITULUM XIV.

De Henrico converso, qui peccatum distulerat usque ad mortem.

Dicam tibi quid ³⁾ ante paucos annos contigit in domo nostra. Conversus quidam Henricus nomine, homo senex, et secundum ingressum prior omnium conversorum, peccatum quoddam commiserat, quod nunquam Abbati, neque Priori, neque alicui ⁴⁾ confessus fuerat. Saepius tamen solitus erat confiteri, et videbatur nobis omnibus, quod vir sanctus esset et multum religiosus. Cum iam in extremis laboraret, idem peccatum domino Danieli, tunc Priori nostro, confessus est. Et sicut nobis postea retulit, ut nos cautos redderet, tam grave erat peccatum, quod omnino damnatus fuisset, si tacuisset. NOVICIUS: Quid sentis de salvatione huius hominis? MONACHUS: Sicut Augustinum lego sensisse: Si contritio eius fuit in caritate, salvatus est; sin autem, damnatus. Qui sero poenitet, oportet non solum timere iudicem, sed diligere.

1) C salvabitur. — 2) Augustin. Serm. 393. — 3) B quod. — 4) forte alicui confessorum.

NOVICIUS: Meruit ergo vigilando, ieiunando, laborando, obediendo, aliisque operibus iustitiae, quamdiu in illo mortali fuit? MONACHUS: Nequaquam, quia opera extra caritatem facta, mortua sunt, et nunquam reviviscunt. Vae ergo illis qui quotidie in Dei servitio mortificantur, et nihil inde mercedis in vita aeterna consequuntur. Multi ista ignorant, de finali poenitentia plurimum praesumentes, nescientes poenitentiam, quae in fine agitur, ut supra dictum est, tam incertam esse. Dicam tibi tamen exempla de duobus, ex quibus unus in fine fictam, alter veram egit poenitentiam.

CAPITULUM XV.

De canonico Parisiensi, qui sacramentis in fine participans, et post mortem cuidam apparens, dixit se ob non veram contritionem damnatum esse.

Parisiis in ecclesia sanctae Dei genitricis Mariae canonicus quidam nuper obiit, qui multa habens stipendia, delicatissime vixerat. Et quia ex deliciis, maxime ex ¹⁾ his quae ad gulam pertinent, libido nascitur, nata nutritur, et quotidianis eius incitamentis augmentatur: idem iuvenis valde tunicam carnis suae maculavit, et tam illo quam aliis suis peccatis iram Dei in se provocavit. Tandem per infirmitatem tactus, timore mortis confessionem fecit, peccata deflevit, emendationem promisit, viaticum accepit, inunctus est, hominem deposuit. Cuius corpus, utpote viri nobilis divitisque, cum magna pompa saecularis gloriae tumultatum est. Et erat in illa die tanta serenitas, ut ipse aer eius exsequiis famulari videretur. Dixeruntque homines ad invicem: Multa bona praestitit Deus homini isti. Nihil ei defuit horum quae homo Christianus habere debuit. Dominicis sacramentis munitus est, aer in eius morte serenatus est, cum multa ²⁾ gloria sepultus est. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor ³⁾. Post paucos dies cuidam sibi valde familiari apparens, dicebat se esse damnatum. Cumque miraretur ille et expavesceret, poenitentiam eius atque confessionem, sacram etiam communionem et inunctionem commemorans, respondit defunctus: Unum bonum mihi defuit, sine quo nullum horum, quae enumerata

1) ex om CR. — 2) P magna. — 3) Reg. I, 16, 7.

sunt, mihi prodesse potuit. Quod ¹⁾ est illud? inquit. Respondit mortuus: Vera contritio. Licet enim Deo promiserim consilio confessoris mei continentiam, sive alia quae salutis sunt, tamen dicebat mihi conscientia, quia si convalueris, observare non poteris. Et quia cor magis declinabat ad transgressionem, quam ad voti observationem, nullius peccati merui remissionem. Deus ²⁾ requirit fixum propositum poenitendi. Ecce hominis huius poenitentia sera fuit et ficta; nec tamen fuisset sera, si fuisset vera. NOVICIUS: Non mirabor amodo poenitentiam seram vix esse veram. MONACHUS: Plures sunt in saeculo, quos ego bene novi, qui tempore infirmitatis, cum timerent mori, se inter manus Abbatis reddiderunt, et cum convaluissent, transgressores voti facti sunt. Anno praeterito apud Bonnam vicum Dioecesis Coloniensis, vagus quidam clericus ³⁾, Nicolaus nomine, quem vocant archipoetam, in acutis graviter laboravit, et cum mori timeret, tam per se ipsum quam per canonicos eiusdem ecclesiae, ut in ordinem susciperetur, apud Abbatem nostrum obtinuit. Quid plura? Cum multa, ut nobis videbatur, contritione tunicam induit, quam facta crisi celerius exiit, et cum quadam irrisione proiciens, aufugit. NOVICIUS: Multi sunt peccatores, qui contritionem habere non possunt, et de hoc ipso dolent. Quid ergo sentiendum est de tali dolore? MONACHUS: Talis dolor meritorius non est, quia sine caritate; praeparat tamen aliquando viam caritati. Caritas et peccandi voluntas simul inesse non possunt. Quid de tali dolore sanctus Bernardus senserit, verbis et exemplo ⁴⁾ illius doceberis.

CAPITULUM XVI.

De milite Remensi, qui in praesentia sancti Bernardi communicans, contritus decessit.

Retulit mihi frater Godefridus monachus noster, quondam Scholasticus sancti Andreae in Colonia, cuius in superiori distinctione capitulo tertio mentionem feci, tale quid contigisse in civitate Remensi. Eo, inquit, tempore quo Remis fui in studio cum domino Philippo, postea Coloniensi Archiepiscopo, cuius magister et paedagogus eram, contigit ibidem

4) P quid. — 2) C add enim. — 3) ADP clericus quidam. — 4) CD exemplis.

militem quendam infirmari usque ad mortem. Instinctu diaboli idem miles, si bene memini, habebat avunculi sui filiam concubinam. Cui tanto conglutinatus fuerat amore, ut non admonitione, non excommunicatione, neque aliqua verecundia humana posset vel vellet ab ea separari. Timore autem mortis vocavit sacerdotem, satis puram et cum lacrimis de omnibus suis peccatis illi faciens confessionem. Quem cum sacerdos moneret, ut tam illicitam abiuraret commixtionem, ipsamque personam cognatam suam; respondit: Domine, non possum. Et ille: Si in tali voluntate mortuus fueris, gaudio coelestis vitae privaberis, et aeterna tormenta te suscipient. Milite in sua obstinatio¹⁾ perseverante, recessit sacerdos cum corpore Domini, quod secum detulerat ad communicandum infirmum. Nutu divino extra domum sacerdoti occurrit sanctus Bernardus Abbas Claraevallis. Quem cum interrogasset, quare infirmum non communicasset, causamque, quae nota erat omnibus, intellexisset, ait sacerdoti: Revertere mecum ad infirmum. Reversi autem, cum sanctus vir militi iam morituro, quae salutis erant suaderet, et ille praeter illam solam rem iam dictam in omnibus obedientiam sponderet, novissime subiunxit: Numquid non doles, quod non potes habere voluntatem recedendi ab illa? Respondit: Domine, valde doleo, me de hoc non posse dolere. Audito hoc verbo, Abbas mox dixit sacerdoti, ut corpus Domini daret infirmo. Mira res. Statim ut Salvator intravit, facta est salus illi domui. Ab illa enim hora tam perfecte mutata est voluntas eius perversa, ut amplius odiret quam illicite amaverat, ita ut sancto viro cum multis lacrimis diceret: Gratias²⁾ Deo qui me liberavit, quia modo libentius viderem bufonem, quam illam. Sicque in bona confessione et perfecta contritione migravit ad Dominum. NOVICIUS: Miror³⁾ utrum contritionem illam meruerit praedicto dolore, sive Dominici corporis participatione. MONACHUS: Christus in suo sacramento ad iudicium intrat, nisi gratia eius praecedat. Puto enim propter orationes viri sancti, gratiam Christi abyssum cordis eius illuminasse, dolorem sterilem fecundasse, ne et vir beatus iudicaretur de praesumptione, et morientis poena cresceret in sua damnatione. Ecce hominis huius contritio, sive poenitentia,

1) CD obstinatione. — 2) B add ago. — 3) C miror, frater.

multum fuit sera et pene morti contigua, vera tamen, teste sancto Abbate, per cuius meritum illam creditur habuisse. NOVICIUS: Revera iustorum praesentia morientibus multum est necessaria. MONACHUS: Hoc sanctus Gregorius manifestat in quadam Homelia ¹⁾, loquens de quodam perverso iuvene, qui se devorandum draconi datum ²⁾ clamabat, quem fratrum circumstantium oratio fugavit, et contritionis gratiam infirmo obtinuit. Audi adhuc de quodam viro saeculari, cuius contritio finalis tam vera, imo tam verissima fuit, ut per eam non solum mereretur remissionem peccatorum, imo etiam gloriam miraculorum.

CAPITULUM XVII.

De contritione Philippi Comitis Namurcensis.

Ante hoc triennium defunctus est Philippus Comes Namurcensis, vir potens et nobilis, filius Baldewini Comitis Flandriae. Antequam moreretur, tantam ei contulit Dominus in infirmitate contritionem, ut talis contritio non esset visa in aliquo homine nostris temporibus. Quatuor Abbatibus ordinis nostri simul et saepe confessionem suam facere consuevit, in tantum se accusans, in tantum plangens, ut omnes ad lacrimas provocaret. Nec ei ista sufficebant, quin laqueum collo suo iniiceret, rogaretque confessores suos, ut se traherent in plateam, dicens: Sicut canis vixi, dignum est, ut moriar sicut canis. Filias fratris sui Baldewini Comitis, qui factus fuerat Rex Graeciae, tradiderat Regi Franciae, cuius filiam duxerat uxorem. Quidam dixerunt, quia vendiderat ³⁾ eas. De quo facto plurimum dolebat. Deportari se fecerat ⁴⁾ in pauperriam domum civitatis suae, in qua pauper spiritu migravit ad Dominum. Volens autem pius Dominus tantam remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus est, tanquam dilectum confessorem. Sepultus in ecclesia sancti Albani Martyris, in qua ipse instituerat conventum canonicorum, de suis iustis redditibus eis stipendia adhuc sanus ordinans, tantis usque hodie signis coruscat, ut de remotis regionibus infirmi advenientes ad eius tumbam sanitatem recipiant, ipsam-

1) Gregor. Homil. 19. in Evang. Vide et eiusdem Dialog. IV, 38. —
 2) datum add B; R traditum. — 3) DP vendiderit. — 4)
 C fecit, ut I, 25.

que terram circa sepulchrum effodientes secum pro benedictione deportent. NOVICIUS: Miror utrum gratiam tantam meruerit conversatione, vel finali contritione. MONACHUS: Satis puto quod caritatem habuerit ante suam infirmitatem, quia satis erat ¹⁾ mansuetus et humilis; sed vix aliquis est qui noverit eius vitam et extremam poenitentiam, quin magis hanc gloriam ²⁾ miraculorum ascribat extremae quae maxima fuit contritioni, quam pristinae conversationi. NOVICIUS: Videtur mihi, quod multum apud Deum valeant lacrimae contritionis. MONACHUS: Quanti sint apud Deum valoris, quantive ponderis, subiecto tibi exemplo demonstrabo.

CAPITULUM XVIII.

De contrita oratione conventus de Hemmenrode, quae tempore schismatis cor Frederici Imperatoris mutavit.

Tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum et Calixtum sub Frederico Imperatore, qui eiusdem schismatis auctor erat et defensor, compellebantur omnes Ecclesiae per universum orbem Romanum literis imperialibus iurare fidelitatem et obedientiam Calixto, quem ipse Papam creaverat. Resistentes vero iussi sunt exulare. Cum huiusmodi literae exhibitae fuissent conventui de Hemmenrode, et fratres unanimi consilio dicerent, se nequaquam velle recedere ab unitate, praeceptum est eis, ut celerius de Romano exirent Imperio ³⁾. Viri illi virtutis divinum timorem minis regiis anteponentes, cum iam res suas et vestimenta sarcinassent, ordinatique fuissent in diversas domos regni Francorum, dicebat unus eorum venerabili sacerdoti David monacho ibidem: Pater, ignoras quia omnes migrabimus de loco isto? Ita enim intentus erat coelestibus, ut quid in exterioribus ageretur, prorsus ignoraret. Cui cum miranti et interroganti causam, ille negotium totum explicaret, maximam in Domino habens fiduciam vir beatus respondit: Confortamini, fratres, non enim deseret Dominus sperantes in se ⁴⁾. Antiphonam, quae in nocte dicitur super Magnificat, fortiter et cum lacrimis cantate, et Dominus consolabitur vos. Erat autem Dominica ante Adventum, in qua antiphona est super Magnificat: *Qui coelo-*

1) BC erat satis. — 2) BC gloriam hanc. — 3) CP exirent de Romano Imperio. — 4) Judith 13, 17.

rum contines thronos, et abyssos intueris, terram pugno ¹⁾ *concludis, exaudi nos in gemitibus nostris.* Ipse vero sanctus intrans oratorium, effudit animam suam in oratione, cum multis lacrimis divinam interpellans clementiam. Acquiescentes eius consilio fratres, eandem antiphonam tanto intentius ²⁾ cantabant, quanto fortius cantantes angustia premebat, et ad cantandum incitabat. Flexus pius Dominus lacrimis servorum suorum ³⁾, Imperatoris cor mutavit, et missae sunt literae sub festinatione, ut manerent, orarentque pro Imperio. Ex his poteris colligere, quam efficaces sint in auribus Dei lacrimae contritionis. NOVICIUS: Potest quis alteri tales obtinere lacrimas meritis sive precibus? MONACHUS: Quod alii aliis huiusmodi gratiam obtinere possint a Deo meritis, habes superius capitulo tertio, ubi apostata monachus meritis patris et hospitis sui sancti Bernardi per lacrimas contritionis iustificatus est. Aliud habes exemplum in capitulo sexto decimo, ubi miles apud Remis ⁴⁾, in eius praesentia communicans, meritis ipsius per donum contritionis, cum in maximis esset peccatis, meruit illuminari. Pro nullo horum dicitur orasse. Item quod quidam aliis lacrimas contritionis, quibus peccata sua diluant, impetrare valeant, diversis tibi ostendam exemplis.

CAPITULUM XIX.

*De religiosa femina, quae ter in hebdomada obtinuit
monacho lacrimas infra matutinas.*

Retulit nobis hoc anno dominus Walterus Abbas Viliariensis, te teste, quod monachus quidam, cum mitteretur ab Abbate suo ad coenobium quoddam sanctimonialium ⁵⁾ ordinis nostri, rogaverit unam ex eis, quam amplioris meriti apud Deum sperabat, pro se orare. Respondit illa: Quid vultis ut orem pro vobis? Et monachus: Volo ut obtineatis a Domino ter mihi in hebdomada ad sollemnes vigiliis, hoc est, feria secunda, feria quinta et sabbato, quando longiores sunt vigiliae, specialem gratiam lacrimarum et devotionis. Cui illa

1) BD palmo. — 2) C attentius. — 3) C suorum lacrimis servorum; paulo post D immutavit. — 4) Caesar. apud Boehmer. in Font. Rer. Germ. II. p. 279: „Episcopus apud Remis occisus est.“ Conf. etiam iuxta Aquisgrani, quod variis locis in hoc Dialogo occurrit. — 5) CD monialium; paulo post C rogavit, ADP rogaveritque.

constanter promisit, quia hoc ei obtineret. Reversus monachus ad claustrum suum, gratiam promissam, stans ad vigiliis exspectavit, et in eisdem noctibus per orationes sanctae illius mulieris a Domino copiose percepit ¹⁾. Illa per spiritum intelligens se exauditam, eidem monacho per quendam clericum familiarem mandavit, et quia iam gratiam percepisset promissam intimavit. Cum vero Abbas eiusdem domus iam dictam gratiam pro aedificatione clerico recitaret, subrisit ille, dicens, se eo multo melius scire, utpote qui ab ipsa audierit, quae talem gratiam impetrare potuit. Recitavit nobis et simile huic idem Abbas, in sua sancta ²⁾ iocunditate dicens: Vos non estis sancti, ego aliquid referam vobis de sanctitate mea, sic incipiens:

CAPITULUM XX.

Item de femina, quae domino Waltero Abbati Vilariensi impetravit a Domino gratiam lacrimarum.

Cum intellexissem supradictum monachum gratiam illam lacrimarum percepisse a femina tali ³⁾ religiosa, rogavi Abbatem meum, tunc recenter factus monachus, ut liceret mihi tales visitare feminas. Et concessit mihi statim. Veniens itaque ad domum cuiusdam honestae matronae Brabantiae hospitandi gratia; cum intellexisset desiderium meum, dixit mihi in ioco: Quid quaeritis videre istas begginas ⁴⁾? Vultis, ego ostendam vobis mulierem bonam, quae quicquid vult, obtinet ⁵⁾ a Deo. Respondi: Talem multum videre desidero. Et statim ad verbum eius mulier quaedam de cubiculo suo egressa, veniens ad me, coepit mecum loqui. In cuius adventu, cum mihi sentirem gratiam adesse, rogavi eam, ut oraret pro me. Quae cum diceret: Quid vultis ut orem pro vobis? respondi: Ut possim deflere peccata mea. Et illa: Numquid non estis monachus? Qui peccata sua non potest deflere, monachus non est. Et cum instarem, quatenus mihi gratiam hanc obtineret, respondit: Ite, abundanter habebitis. Proxima nocte orans ante lectum meum, cum de peccatis meis cogitarem, nec tamen mulieris promissum munus ⁶⁾ attenderem, coepi ita abundanter et supra mo-

1) P lacrimas percepit; paulo post C cognoscens se. — 2) sancta om C. — 3) C percepisse lacrimarum a tali femina. — 4) BP beginas, C beghinas. — 5) B obtineat. — 6) DP minus.

rem solitum flere, pene usque ad mediam noctem, ut tandem timens capiti meo, vix me cohibere possem a fletu. Quae cum mihi mandasset, quod tali nocte gratiam illam lacrimarum mihi impetrasset, iterum reversus sum ad eam, et sciscitatus sum ab ea, dicens: Dicite mihi in caritate, qualiter mihi obtinueritis gratiam illam. Quae respondit mihi sub his verbis: Primo quidem Dominum durum inveni; sed dixi ei: Domine, non evades manus meas, nisi monachus ille habeat gratiam lacrimarum. Et statim concessit tibi. Adiecit et tertium exemplum de simili materia.

CAPITULUM XXI.

Item de monacho, qui eidem Waltero eandem gratiam obtinuit.

Alio, inquit; tempore, rogavi unum ex monachis nostris bonae opinionis virum, ut rogaret Deum ¹⁾ pro me. Qui cum mihi daret optionem, quid mihi vellem a Deo ²⁾ impetrari, volens sermonis eius fiduciam probare, respondi ei: Volo ut obtineas mihi post missam ³⁾ gratiam lacrimarum, quibus peccata mea deplangam. Et promisit mihi multum confidenter. Sequenti die cum post missas ⁴⁾ moram facerem ante quoddam altare, et essem solus in oratione, tanta mihi affuit abundantia lacrimarum, ut mirarer. Postea cum vidisset me supradictus monachus, corpore quidem iuvenis, sed moribus valde maturus, coepit mihi signare ⁵⁾, si bene esset mecum, gratiam notans mihi collatam. Ego signum eius non intelligens, et ante Priorem illum ducens, quaesivi quid signaret. Qui dixit mihi: Numquid non copiose hodie habuistis lacrimas? Quem cum interrogassem, si vidisset me lacrimantem, respondit: Estis vos tam stultus, quod putatis me vidisse? Ego minui sanguinem, nec licuit mihi dictis missis ⁶⁾ morari in oratorio. Tunc interrogatus a me, quomodo mihi gratiam eandem obtinisset, respondit pene sicut supradicta mulier. Dominum, inquit, primo durum inveni; sed dixi illi: Ecce, Domine, non dimittam te, nisi facias quod rogo. His verbis placatus, exaudivit me. NOVICIUS: Miror bonitatem Dei, quod sic ⁷⁾ cogi potest et vult a servis suis et ancillis, quo-

1) C Dominum. — 2) a Deo om C. — 3) B missas. — 4) P missam. — 5) C significare. — 6) C dicta missa. — 7) sic add BC.

modo pater dulcissimus cogi solet a filiis et filiabus delicatissime ab eo nutritis. MONACHUS: Qui eum perfecte diligunt, nullam ab ipso in orationibus suis patiuntur repulsam, si tamen salutis contraria non fuerint quae petuntur. NOVICIUS: Si Dominus confert alicui in oratione lacrimas, vel alia bona signa contritionis, et vult illa ab aliis videri, estne ei periculosum? MONACHUS: Secundum intentionem orantis pendet solutio huius quaestionis. Si ei placet, ut alii lacrimas eius videant, quatenus per eas aedificentur, ipse tamen humilitatem in corde custodiat, meretur; sin autem, demeretur.

CAPITULUM XXII.

De monacho, ad cuius lacrimas diabolus respexit, cum cor eius inani gloria extolleretur.

Monachus quidam magnae opinionis retulit mihi, quando novicius fui, de quodam monacho, quod die quadam, cum iaceret in oratione ante quoddam altare, et Dominus ei tantam contulisset gratiam lacrimarum, ut etiam irrigaret terram; ex immissione diaboli, ut postea patuit, cordi eius suborta est inanis gloria, ita ut diceret intra se: Utinam videret aliquis modo gratiam istam. Mox is qui immisit affuit, et ad lacrimas eius stans a latere diligentissime respexit. Transfiguraverat enim se in speciem nigri monachi. Levans oculos monachus, tam ex horrore mentis quam ex nigredine vestis, daemonem, totius superbiae auctorem, esse deprehendit; et, quem per vitium inanis gloriae invitaverat, per virtutem et signum crucis ¹⁾ fugavit. Ob huiusmodi pericula iubentur a Domino oraturi intrare cubiculum, et claudere ostium ²⁾ super se, hoc est, vitare laudem humanam. NOVICIUS: Si nosti adhuc aliqua de contritione exempla, mihi ut edisseras obsecro ³⁾. MONACHUS: Cogitanti mihi de contritione, alia atque alia occurrunt exempla, in quibus Christus, totius virtutis auctor, glorificetur, et poenitens omnis consoletur.

1) D sanctae crucis. — 2) Matth. 6, 6. Mox B supra; conf. IV, 7. — 3) C mihi obsecro ut edisseras.

CAPITULUM XXIII.

*De clerico, qui puellam Judaeam stupraverat: quem cum
Judaei accusare vellent in ecclesia iam contritum,
obmutuerunt.*

In civitate quadam Angliae puella quaedam habitavit, Judaei cuiusdam filia, et secundum genus suum satis speciosa. Hanc iuvenis quidam clericus, Episcopi eiusdem civitatis cognatus, et ecclesiae maioris canonicus, ut vidit, concupivit, et verbis amatoriis ad consensum suae libidinis cum multo labore inclinavit. Ad cuius amplexus dum aspiraret, et nimis incendiis aestuans, eam quotidie ad commixtionem sollicitaret, respondit illa: Patri meo multum sum dilecta, qui in tantum custodit me, ut neque ego ad te, neque tu possis venire ad me, nisi in nocte sextae feriae, quae Pascha vestrum praecedit. Tunc enim Judaei laborare dicuntur quadam infirmitate, quae fluxus sanguinis dicitur, circa quam occupati, aliis tunc minus intendere possunt. Juvenis haec audiens, et ob amoris nimietatem pene ratione carens¹⁾, oblitus Christianae religionis, immemor Dominicae Passionis, nocte eadem ad virginem venit, et usque ad matutinum cum illa dormivit. Judaeus vero pater puellae ante lucem cum lumine cubiculum intrans, venit ad lectum filiae, volens videre quomodo iaceret, vel si forte operiri necesse haberet. Vidensque ad latus eius iam dictum iuvenem cubantem, expavit et infremuit, utrumque occidere cogitans. Cognoscens tamen quod esset cognatus Episcopi, timore illius manum cohibuit, et cum multa ira exclamavit: Quid facis hic, o male Christiane? Ubi est fides tua, ubi est religio tua? Traditus es iusto Dei iudicio in manus meas. Si non timerem dominum meum Episcopum, modo occiderem te. Ille timens et veniam postulans, cum maxima confusione eiectus est. Die eadem, cum Episcopus sollemne officium ad nonam esset celebraturus, et iuvenis idem, utpote hebdomadarius, epistolam lecturus, timuit cum tam immunda conscientia ad sacrum ministerium accedere, timuit propter notam alteri vicem²⁾ die tali committere, timuit tam turpe peccatum tam recenter per confessionem alicui aperire. Et cum victus erubescencia sacris

1) D careret. — 2) BC vicem suam.

vestibus indutus coram Episcopo staret in loco suo, supra-
dictus Judaeus, multitudine Judaeorum stipatus, cum magno
strepitu intravit ecclesiam, Episcopo de cognato suo facere
volens querimoniam. Quem ut iuvenis vidit, et bene intelli-
geret, ad quid venisset, coepit timere, pallere, tremere, et di-
cere Deo in corde suo: Domine Deus, libera me in hac hora,
et ego tibi promitto, quod de cetero te non offendam, imo
de hoc peccato tibi satisfaciam. Creator piissimus, qui odit
culpam, et diligit naturam, mox ut hominem contritum vidit,
confusionem, quam timuit, in caput infidelium convertit. Mi-
rante ¹⁾ Episcopo quid quaerent Judaei in ecclesia, maxime
tali die, quando Christiani Domini sui repraesentant passio-
nem, annuit ut starent. Illis amplius se eius praesentiae in-
gerentibus, statim ut ora ad clerici accusationem aperuerunt,
privati suis vocibus, omnes obmutuerunt. Videns Episcopus
ora Judaeorum contra se hiantia, et nulla verba ex eis re-
sonantia, putans quia ad hoc venissent, ut divinis mysteriis
illuderent, cum indignatione omnes de atrio ecclesiae expelli
praecepit. Clericus vero divinam in se expertus clementiam,
statim completo officio, accessit ad Pontificem, confessus est
culpam, suscepit poenitentiam. Episcopus, Domini misericor-
diam admirans et glorificans, tum pro magnitudine miraculi,
tum pro poenitentia cognati, eidem suasit ac persuasit, ut
puellam a se defloratam, per baptismi gratiam renovatam, le-
gitime duceret, malens illum, sicut vir pius et iustus, eccle-
siasticis carere beneficiis, quam illam multis expositam peri-
culis in paternis manere delictis. Clericus non immemor
divini beneficii²⁾, satisfacere cupiens Deo pro peccato commisso,
conversus est postea in ordine nostro, similiter et eius in-
stinctu puella. Haec mihi saepius recitavit quidam religiosus
Abbas ordinis nostri. Ecce vides, quantum boni operata sit
in hoc homine contritio. Lapsus erexit, Judaeos elingues
fecit, puellam infidelem ad fidem provexit. NOVICIUS: Bene
video, admiror, et gaudeo, Deique bonitatem circa nos in
multis considero. MONACHUS: Quia sermo est de Judaeis,

1) ABCP miranti. — 2) libri scripti et PK ingratus divini
beneficii, R ingratus divinis beneficiis. Sed ingra-
tus nil nisi lapsus librorum esse videtur. Emendavi imme-
mor ex loco Homil. II. p. 13: qui non immemor divini
beneficii saeculum deseruit, et in quodam coenobio
ordinis nostri religionis habitum suscepit.

vis adhuc aliam audire historiam, huic ex parte similem, ad honorem fidei nostrae atque Christianorum, confusionemque Judaeorum? NOVICIUS: Anima mea sitit talia audire.

CAPITULUM XXIV.

*Item de virgine Hebraea a quodam clerico impraegnata:
quam cum parentes parituram crederent Messiam,
peperit filiam.*

MONACHUS: In civitate, ut opinor, Wormacia ¹⁾, Judaeus quidam manebat, filiam habens formosam. Hanc iuvenis quidam clericus, in vicino habitans, adamavit, devirginavit et impraegnavit. Erant enim domus illorum satis contiguae, et poterat idem clericus sine nota frequentius intrare, et pro libitu loqui cum virgine. Illa intelligens se concepisse, dixit iuveni: Concepi. Quid faciam? Si cognoverit pater meus, interficiet me. Respondit clericus: Noli timere. Bene liberabo te. Si dixerit tibi pater tuus vel mater: Quid est, filia? venter tuus intumescit ²⁾, videris nobis concepisse; respondebis: Si concepī, nescio; hoc scio quia virgo sum, et nondum virum cognovi. Ego ³⁾ bene agam cum illis, ut credant tibi. Ille diligentissime cogitans qualiter puellam liberaret, huiusmodi stropham ⁴⁾ invenit. Tollens arundinem, in silentio noctis ad fenestram camerae, iuxta quam illos dormire noverat, accessit, et verba huiusmodi per immissam fistulam sibilavit: O iusti et Deo dilecti, propriis nominibus eos exprimens, gaudete, ecce filia vestra virgo concepit filium, et ipse erit liberator populi vestri Israel. ⁵⁾ Statimque paululum retraxit arundinem. Ad hanc vocem Judaeus expergefactus, excitavit uxorem suam ⁵⁾, dicens ei: Numquid non audisti quid nobis locuta sit vox coelica? Respondit mulier: Non. Et ille: Oremus, ut et tu audire merearis. Orantibus eis, clericus ad fenestram stans, et diligenter quid loquerentur auscultans, post ⁶⁾ morulam eadem verba quae supra repetivit, atque adiecit: Magnum debetis filiae vestrae honorem exhibere, magnam curam adhibere, et cum multa diligentia servare puerum, de eius virgineo corpore nasciturum, ipse enim est Messias, quem exspectatis. Illi exsultantes, et de revelatione

1) C in civitate Lemovicensi temporibus nostris. — 2) BC tumescit. — 3) B ego enim. — 4) CDP trupham. — 5) C uxorem eius. — 6) AD et post.

post repetitionem facti certiores, vix diem expectare potuerunt. Puellam vero considerantes intumescere aliquantulum utero concepisse, dixerunt ad illam: Dic nobis, filia, de quo conceperis? Quibus illa, sicut edocta fuerat, respondit. Et vix prae gaudio sese capientes, non potuerunt se continere, quin familiaribus suis dicerent, quid ab angelo audierint. Illi aliis recitantes, fama dilatante divulgatum est per civitates et castra, quia talis virgo Messiam parturiret. Instante tempore pariendi, multi ad domum puellae confluxerunt Judaei, cupientes nova nativitate (diu desiderati ¹⁾) laetificari. Sed iustus Deus vanam spem iniquorum convertit in fabulam, gaudium in tristitiam, expectationem in confusionem. Et merito; quia ²⁾ quorum patres olim cum Herode de nativitate salutifera filii Dei ³⁾ turbati sunt, decuit ut istis temporibus tali illuderentur phantasmate. Quid plura? Affuit hora ut pareret misera, et ecce secundum consuetudinem mulierum dolor, gemitus et clamor. Tandem enixa est infantem, non tamen Messiam, sed filiam. Quo cognito, valde confusi et turbati sunt Judaei. Ex quibus unus cum multa indignatione parvulum ⁴⁾ pede apprehendens, allisit ad parietem. NOVICIUS: Quid post haec ⁵⁾ actum est de puella? MONACHUS: Pater eius confusionem suam graviter ferens, afflixit eam, et cum tormentis extorsit ab illa confessionem totius doli. NOVICIUS: Miserabile fuit, quod virgo infidelis ab homine fidei seducta ac corrupta, non est ad baptismi gratiam, ut supradicta puella, perducta. MONACHUS: Forte clericus hoc efficere non potuit, vel potius non curavit, magis gaudens de Judaeorum confusione, quam de puellae illuminatione. Si, ut dicis, miserabile est, non baptizatam non illuminari per baptismum, multo miserabilius est, quod hodie ab Episcopo compellitur baptizata redire ad Judaismum. NOVICIUS: Casum istum audire desidero.

CAPITULUM XXV.

Item de puella Judaea apud Lovanium baptizata.

MONACHUS: Nuper cuiusdam Judaei Lovaniensis filia

- 1) BP desiderata. — 2) quia add C. — 3) filii Dei, pro quo B filii eius, om C, qui paulo post ut filii eorum istis. — 4) C parvulam. — 5) B hoc.

tali ordine conversa est ad fidem. Clericus quidam Renerus nomine, capellanus Ducis Lovaniae ¹⁾, solitus erat intrare domum Judaei eiusdem civitatis, et disputare cum eo de fide Christiana. Habebat autem filiam parvulam, quae valde diligenter intendebat disputationi, secundum capacitatem intellectus sui ponderans tam verba clerici opponentis quam verba Judaei respondentis. Sicque sensim per divinam dispositionem imbuebatur ad fidem catholicam. Suasa etiam a clerico, secrete tamen, contrita est in tantum, ut diceret se velle baptizari. Adhibita est ei mulier, quae sine nota puellam de domo patris educeret. Quam clericus iam dictus baptizari fecit; eamque in monasterio ordinis Cisterciensis, quod Parcus ²⁾ dicitur, locavit. Cognita eius conversione, pater infidelis doluit, multam pecuniam offerens Duci, quatenus sibi restitueret filiam, quam furtive conquerebatur fuisse sublatam. Dux vero cum vellet patri restituere filiam, Judaeo scilicet Christianam, restitit ei Walterus ³⁾ clericus, dicens: Domine, si hoc scelus commiseritis contra Deum et sponsam eius, nunquam salvabitur anima vestra. Restitit ei et dominus Walterus Abbas Vilariensis. Videns Judaeus se frustratum spe, quam habuit erga Ducem, corripisse dicitur dominum Hugonem Episcopum Leodiensem. Qui Judaeo in tantum favebat, ut conventui sanctimonialium de Parco literis suis mandaret, quatenus illi filiam restituerent. Veniente vero Judaeo ad iam fatum ⁴⁾ coenobium cum amicis et cognatis suis, virgo infra constituta, cum de illorum adventu prorsus nil sciret, sentire coepit foetorem magnum, ita ut palam diceret: Nescio unde sit, foetor Judaicus me gravat. Interim Judaeis pulsantibus ad fenestram, cum puellae diceret Abbatissa, ut puto: Filia Katherina, sic enim vocata fuit in baptismo, parentes tui volunt te videre; respondit illa: Ecce iste est foetor quem sensi. Non videbo illos. Et non acquievit exire. Anno praeterito accusatus fuit idem Episcopus Leodiensis pro eadem causa coram domino Engilberto Archiepiscopo Coloniae in Synodo eius, et praeceptum fuit ei, ne de cetero molestaret supradictum coenobium pro puella baptizata. Tunc quidem subitit, sed non obedivit. Postea vero literis suis puellam cita-

1) BP Lovanii. — 2) Parcus Dominarum, le Parc aux Dames, abbatia Galliae prope Crespy sita. — 3) P Renerus. — 4) C iam praefatum.

vit Leodium, sub poena excommunicationis, patri suo responsuram super obiectis. Venit Katherina, sub bona tamen custodia. Allegatum est pro Judaeo, quod infra annos rapta fuisset, et violenter baptizata. Et dixerunt quidam puellae ¹⁾: Katherina, dictum est nobis, quod libenter redires ad patrem tuum, si permetteris. Respondit puella: Quis hoc dicit? Responderunt illi: Pater tuus. Tunc illa clara voce tale protulit verbum: Pater meus recte mentitus est per mediam barbam suam. Cumque adhuc instaret advocatus Judaei, commotus dominus Walterus Abbas Vilariensis, ait illi: Magister, vos loquimini contra Deum et contra honorem vestrum. Sciat pro certo, si ²⁾ adhuc unum verbum locutus fueritis contra puellam, ego laborabo apud dominum Papam, ut perpetuum vobis in omnibus causis imponat silentium. Tunc ille timens, secrete respondit Abbati: Domine Abbas, quid nocet vobis, si potero pecuniam extorquere a Judaeo? Ego nihil loquar quod obesse poterit puellae. Qui mox ut salarium suum accepit, dixit Judaeo: Non audeo de cetero loqui de hac causa. Anno praeterito, quando dominus Wido Abbas Claraevallis visitavit in Episcopatu Leodiensi, eundem Episcopum convenit, monuit et rogavit, quatenus intuitu Dei et honoris sui cessaret a vexatione puellae iam Christo dicatae. Cui Episcopus respondit: Bone domine Abbas, quid ad vos de causa ista? Respondit Abbas: Bene ad me, duplici ex ³⁾ causa. Primo, quia homo Christianus sum; secundo, quia domus illa, in qua deget ⁴⁾, de linea Claraevallis est. Et adiecit: Puellam et causam eius sub protectione domini Papae constituo, et super literas contra illam a vobis datas appello. Tempore Capituli generalis, literas a domino Papa contra Episcopum impetratas, per Abbatem nostrum misit Priori de Parco, ut si forte Episcopus adhuc conventum vexare propter puellam attentaret, eisdem se ⁵⁾ literis defenderet. **NOVICIUS:** Sicut paulo ante in Episcopi Angliae aedificatus sum misericordia, ita in huius Episcopi scandalizatus sum avaritia. **MONACHUS:** Defensores eius dicunt eum non esse pertinacem in hoc negotio amore pecuniae, sed zelo iustitiae. Quibus minime creditur, quia si agigaretur stimulis iustitiae, nequa-

1) P ipsi puellae. — 2) B quod si. — 3) CP de; paulo post ACD homo sum Christianus. — 4) R degit; paulo post BC est Claraevallis. — 5) se om BP.

quam cogeret puellam ¹⁾ baptizatam, virginem Christo consignatam et in religione Christiana, etiam supra aetatem, ferventem, ad Judaicam redire perfidiam. NOVICIUS: Hoc et mihi videtur. MONACHUS: Occurrit mihi huic exemplo aliud ex parte ²⁾ simile, de quodam milite saeculari, ita ut ex ipso suo facto saepedicto Pontifici exprobrare videatur sententia illa prophetica: *Erubescet Sidon, ait mare.* ³⁾

CAPITULUM XXVI.

De puella in Linse baptizata.

In villa nobis vicina, quae Linse ⁴⁾ dicitur, infra hoc triennium quaedam puella Judaei cuiusdam filia, baptismi desiderio divinitus accensa, ad quandam feminam eiusdem villae venit, et quia baptizari vellet, satis simpliciter intimavit. Cui suavis est a muliere, ut Conradum militem adiret, voluntatemque suam exponeret. Quod cum fecisset, ille gavisus valde, pollicitus est, quia ei consilio, auxilio, vel temporali subsidio nullatenus deesset. Die quando baptizanda erat, dixit ad militem: Domine, procurate ne videat me pater meus infra hoc triduum, quia si ab eo visa fuero, tanta scit ⁵⁾, quod iterum oportebit me redire ad Iudaismum. Positi sunt, milite procurante, circa cimiterium homines armati, qui et ⁶⁾ Iudaeum vetarent intrare, ut ⁷⁾ puella secure posset introire sive exire sine illius contemplatione. Procurante Deo, baptizata est virgo, et vocata est ⁸⁾ Elizabeth. Paucis diebus elapsis post baptismum, occurrit ei mater infidelis, et ait: Bona filia, revertere ad Iudaismum. Respondit illa: Non possum, quia Christiana sum effecta. Tunc mater: Ego bene tibi auferam baptismum. Volens puella probare quid mater dicere vellet, respondit: Quomodo hoc faceres? Ego, inquit Iudaea, tribus vicibus te sursum traham per foramen latrinae, sicque remanebit ibi virtus baptismi tui. Quod verbum puella audiens et execrans, contra matrem sputavit, fugiens ab illa. Praedictus miles, cum sit aetate iuvenis, nec tamen multum dives, virginem loco filiae nutrit, volens illam tradere viro, vel in ali-

1) BC virginem. — 2) C mihi et aliud exemplum huic ex parte. — 3) Isai. 23, 4. — 4) P Linze; paulo post C ante hoc. — 5) C certa sum. — 6) et om P. — 7) AD et. — 8) est add CD.

quo locare monasterio. NOVICIUS: Quid dicturus est Episcopus Leodiensis in die iudicii, cum viderit hunc militem de virginis huius conversione gloriari? MONACHUS: Non est nostrum Episcopos iudicare, cum saepe a multis multum, sine causa etiam quandoque iudicentur.

CAPITULUM XXVII. *)

De clerico, qui dixit Episcopos Alemanniae non posse salvari.

Clericus quidam Parisiis ante paucos annos verbum terribile contra Episcopos locutus est, dicens: Omnia credere possum, sed non ¹⁾ possum credere, quod unquam aliquis Episcopus Alemanniae possit salvari. NOVICIUS: Quare magis iudicavit Episcopos Alemanniae, quam Episcopos ²⁾ Galliae, Angliae, Lombardiae ³⁾ vel Tusciae? MONACHUS: Quia pene omnes Episcopi Alemanniae utrumque habent gladium, spiritualem videlicet et materiale; et quia de sanguine iudicant et bella exercent, magis eos sollicitos esse oportet de stipendiis militum, quam de salute animarum sibi commissarum. Invenimus tamen ex Episcopis ⁴⁾ Coloniensibus, qui Pontifices simul fuerunt et Duces, aliquos fuisse sanctos, beatum videlicet Brunonem, sanctum Heribertum et sanctum Annonem. Occasione verbi iam dicti clerici, recordor et alterius cuiusdam verbi adhuc terribilius a quodam defuncto contra Episcopos prolati.

CAPITULUM XXVIII.

De monacho Claraevallis, qui non acquievit recipere Episcopatum.

In Claravalle nostris temporibus monachus quidam in Episcopum electus est. Quem cum electores requirerent, et ille onus suscipere renueret, imperium Abbatis eius, vel Episcopi ⁵⁾ accessit; sed imperantibus non acquievit. Et cessatum est ab eo, atque non multo post defunctus est ⁶⁾. Qui cuidam sibi familiari manifeste apparens post mortem, requisitus

*) Homil. II. p. 99. — 1) CP vix; mox P credere possum. — 2) Episcopos om BC. — 3) omnes libri Longobardiae. — 4) D ex ipsis, CP ex ipsis Episcopis. — 5) vel Episcopi om BD. — 6) est add B.

de statu suo, et si aliquid timeret de illa inobedientia, respondit: Non. Et adiecit: Si obediens fuisset, et Episcopatum illum suscepissem, damnatus essem aeternaliter. Subiunxitque verbum valde terribile. Ad hoc, inquit, iam devenit status Ecclesiae, ut non sit digna regi, nisi a reprobis Episcopis. NOVICIUS: Sanctum Wilhelmum Bituricensem ¹⁾ Episcopum, qui ante paucos annos defunctus est, esse de numero electorum, crebra eius testantur miracula. MONACHUS: Puto illum verbum tam horribile contra Episcopos proferendo, respexisse ad multitudinem malorum, et ad raritatem bonorum, et quod eandem raritatem exigat malitia subditorum, sicut testatur sacra scriptura, dicens: *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi* ²⁾. NOVICIUS: Relinquatur ergo horum oratio, quia ea quae residua sunt de contritione audire desidero. MONACHUS: Quod dictum est de puellis baptizatis et de Episcopis, ad contritionem pertinet, quia in adultis sine contritione nihil salutis ³⁾ operatur baptismus, et Episcoporum est, mederi ⁴⁾ contritis corde, confessiones illorum recipiendo, et poenitentiam iniungendo. Unde quia pauci nostri temporis ⁵⁾ Episcopi in tali physica student, et practicam eius minus exercent, iuste aliquando a subiectis et infirmis ⁶⁾ iudicantur.

CAPITULUM XXIX. *)

De Episcopo Lombardiae, qui ostendit Christiano Episcopo Maguntinensi nomina sibi commissorum in chartula conscripta.

Tempore Frederici Imperatoris, avi huius Frederici, qui nunc regnat, sedente Christiano Episcopo Maguntiae ⁷⁾ iuxta quendam Episcopum Lombardiae ⁸⁾, requisitus est ab illo, si nosset omnes Episcopii sui homines. Subridente Episcopo, ac respondente: Puto Episcopatum meum non minorem esse tota Lombardia; expavit bonus ac sollicitus Episcopus ille,

1) Bituricensem om ABD. — 2) Job 34, 30. — 3) salutis om BC. — 4) C medere. — 5) C temporibus nostris. — 6) C ab infirmis et subiectis. — *) Homil. II. p. 100. — 7) D Moguntiae. — 8) BP Longobardia.

considerans periculum eius in reddenda ratione.¹⁾ NOVICIUS: Et merito. Quomodo ergo unus homo tot animas regere posset sine periculo? MONACHUS: Visio quaedam satis terribilis memoriae occurrit, quae et supradictis respondet et nostris temporibus videtur esse impleta. Cuius tenor talis est.

CAPITULUM XXX.

Visio cuiusdam de schismate Romani Imperii, de calamitate Dioecesis Coloniensis, de terra sancta, et adventu Antichristi.

Frater Simon²⁾, cum esset in oratione ante altare sanctae Dei genitricis Mariae, audivit vocem dicentem sibi: Mone pastorem tuum superiorem, et dic ei: Oves tuae fundent sanguinem. Et praecipe ei, ne semet et eas interficiat veneno. Nam et ipse³⁾ posuit cor suum in ventres luporum late hiantium. Membra mea incipient commoveri a crudeli bestia, quae homo facta est. Exi, et clama undique magnam Dei omnipotentis offensam, et dic: Nisi convertamini et emendemini, occidemini et in ignem aeternum mittemini. Inimici mei vindicabunt iniurias meas. Post haec apparuerunt oves quinque⁴⁾ pinguiissimae, ac deinde boves tres macilentae. Pro quibus dum⁵⁾ quaereret quid significarent, responsum est⁶⁾: Quinque oves anni sunt quinque magnae abundantiae; et boves tres anni famis validae. Et iterum: Falsi Romani excitabunt crudeles rumores, et iniquo consilio suo dividunt potestatem Romanam. Et iterum: Jerusalem capiatur et destruetur⁷⁾, et inimici mei vindicabunt iram meam, quia polluerunt vias meas, in quibus ego ipse ambulavi. Fame maxima arctabuntur. Coeli et terra tremant⁸⁾, sed homo non vult tremere a crudeli bestia. Postea sol convertetur in

1) hic prorsus oblitus est Episcopus Lombardiae chartulam suam ostendere, quod tamen fecit in Homiliis: ex quo libro quod ad narratiunculae integritatem desideratur, huc transcribam: „Episcopus periculum illius considerans, et expavescens, respondit: Ego novi nomina omnium ovium mihi commissarum: quae scripta continentur in hac chartula; extractam illi ostendens.“ — 2) B Frater quidam. — 3) ipse add BC. — 4) C ei quinque oves. — 5) R de quibus cum; mox ABD quaererem. — 6) C est ei. — 7) C destruetur et capiatur. — 8) C tremunt, AP et pr D tremebunt.

tenebras. Deinde veniet dies habens longitudinem dierum duorum. Post obumbrationem ¹⁾ autem solis, scietur quod crudelis bestia ostentabitur decem tribubus, quae clausae sunt. Unusquisque felix, scilicet meorum membrorum ²⁾, sanguinem fundet, quoniam tunc persecutiones antiquae aperientur ³⁾. Idcirco unusquisque felix praeparet se, ita ut recte vivat in hac brevi vita. Post haec frater Simon ⁴⁾ vidit daemonem loricatum et galeatum, habentem squamas tanquam piscis, qui vocatur carpo. Pupillae oculorum eius tetrae et arden-tes, tanquam ⁵⁾ facula, quae a vento agitur. De ore et naribus eius procedebat flamma sulphurea. Dentes eius partim albi, partim sulphurei. Post haec facta est vox: Post contenebrationem solis suscitabit crudelis bestia arte mala quosdam Judaeos tanquam a mortuis, qui tamen non erunt Judaei, sed falsi nuncii, dicentes se a mortuis resurrexisse, veris Judaeis spem vanam promittentes, et in infidelitate sua, et in errore Judaeos foventes, et multos decipientes. Et adiecit ⁶⁾: O Colonia, deplora calamitates tuas, quae venient tibi, quoniam non solum ex culpa solius Episcopi, sed etiam ex communi peccato venient mala supradicta. Verumtamen ipse Episcopus plurimum debet dolere, quoniam ipse omnibus aliis est praelatus. Hanc visionem conventus noster missus super montem ⁷⁾ Stromberg, ibidem reperit. Eodem anno capta est Jerusalem et terra sancta, quod in eadem visione fuerat praedictum. NOVICIUS: Interpretationem huius visionis ⁸⁾ nosse desidero. MONACHUS: Partim mihi tractare videtur de his, quae nostris temporibus contigerunt in Episcopatu Coloniensi, partim de adventu Antichristi. Quod autem facta sit haec revelatio in Episcopatu Coloniensi, et ad eiusdem Dioecesis Episcopum, ex fine eius colligo; sed quis fuerit idem Simon ⁹⁾, penitus ignoro. Pastorem hunc superiorem, Adolphum Episcopum intelligo, qui post mortem Henrici Imperatoris quasi venale Imperium habens, veneno avaritiae se ipsum infecit, plurimosque interfecit. Nec mirum ¹⁰⁾. Posuit enim cor suum, id est, consilium suum, in ventres luporum,

1) BC umbrationem. — 2) BD membrorum meorum. — 3) verba quoniam — aperientur om P. — 4) Simon om B. — 5) C quasi. — 6) et adiecit om BC. — 7) montem om C. — 8) ACDP revelationis; conf. IV, 53. — 9) Simon om B. — 10) nec mirum om P.

ad thesauros Richardi Regis Angliae, late hiantium, quorum consilio Ottonem Saxonem, filium sororis eius, in Regem Romanorum elegit. Ex tunc crudelis illa bestia, scilicet avaritia, facta est homo, id est, hominibus ita sociabilis et cara, ut eius zelo Christianae potestates a iustitia et fide moti¹⁾, negligerent iuramenta, periuria parvipendentes. Missus est eodem tempore Cardinalis²⁾ Coloniam, qui Ottonis electionem confirmaret, Principesque a iuramento quod Frederico, qui nunc regnat, fecerant, absolveret; quod magis, ut rei exitus probavit, Imperii fuit divisio, quam confirmatio. Ab illo tempore provinciae incendiis vastantur, et³⁾ ecclesiae depraedantur; sanguis multus funditur⁴⁾, Adolphus deponitur, Colonia obsidetur. Tunc impleta est extrema pars huius visionis: O Colonia, deplora calamitates tuas, et cetera. In principio Episcopatus eiusdem Adolphi, cum praecessissent anni magnae abundantiae, tres fuerunt anni tantae sterilitatis, ut in⁵⁾ primo anno modius siliginis venderetur marca argenti. Reliqua huius visionis nimis sunt obscura, nec patent meo intellectui. **NOVICIUS:** Tempore divisionis Romani Imperii dominus Innocentius Papa a multis iudicabatur, ita ut eum dicerent eiusdem schismatis auctorem, primo partem Ottonis nimis fovendo, postea eundem amplius⁶⁾ persequendo. **MONACHUS:** Propter hoc cum idem beatae memoriae Innocentius die quadam sermonem Romae aedificatorium faceret in populo, Johannes Capotius, qui Ottoni favebat, eius sermonem interrupit, dicens: Os tuum os Dei est, sed opera tua, opera sunt diaboli. **NOVICIUS:** Peto ut nunc revertaris ad contritionem, a qua occasione quorundam verborum satis digressum est. **MONACHUS:** Tanta est virtus contritionis, ut nullum ei obstare possit peccatum, non periuria, non homicidia, non furta⁷⁾, nec usurae quidem.

CAPITULUM XXXI.

De contentione sanctorum angelorum cum daemonibus pro anima cuiusdam usurarii contriti.

Retulit mihi senex quidam sacerdos et monachus nigri

1) P motae. — 2) conf. VI, 2. IX, 51. — 3) et om BC. — 4) P effunditur. — 5) in om BC. — 6) amplius om P. — 7) C non furta, non homicidia.

ordinis ¹⁾, natione Saxo, rem memoria dignissimam de quodam usurario. Nec constat mihi, si scripta sit. Dixit quendam fuisse usurarium divitem nimis, qui diversarum ecclesiarum thesauros loco pignoris tenebat. Cuius cor ²⁾ cum esset inexplabilis avaritiae, percussus est peremptoria infirmitate. Tunc primum in se reversus, licet sero, considerare coepit pondus usurae, tormenta gehennae, difficultatem poenitentiae. Et vocans ad se quendam nigri ordinis Abbatem sibi familiarem, dixit ei: Domine, graviter infirmor, non ³⁾ possum aliquid de rebus meis ordinare, neque usuras acceptas restituere; si voveritis de anima mea Deo reddere rationem, peccatorum meorum mihi promittere absolutionem, omnia bona mea, tam mobilia quam immobilia, potestati vestrae subiiciam, ita ut de illis quod vobis visum fuerit ⁴⁾ faciatis. Cernens Abbas hominem contritum, et vere poenitentem, respondit: Ego deliberabo. Festinansque ad Episcopum, verba usurarii ei exposuit, et quid consuleret inquisivit. Respondit Episcopus: Bonum mihi videtur, ut pro anima eius spondeas, ut ⁵⁾ substantiam suscipias, ita dumtaxat, ut Ecclesiae meae thesaurum ⁶⁾ mihi restituas. Mox Abbas ad aegrum rediens, ait: Ego deliberavi, ut bona tua suscipiam, et pro peccatis tuis Deo ⁷⁾ spondeam. Respondit infirmus: Nunc consilium meum est, ut allatis curribus, omnia mea prius efferas, et me novissime tollens, nullum patieris impedimentum in efferendo. Habebat enim duas arcas plenas auri et argenti, pignora etiam plurima in vasis, libris, variisque ornamentis; frumentum, vinum et ⁸⁾ supellectilem multam, pecoraque infinita. Tunc Abbas prius omnibus praemissis, novissime in gestatorio ponens infirmum, properavit ad monasterium. Sed mox ut ille monasterium intravit, spiritum exhalavit. Abbas vero, non immemor sponsionis, in quantum potuit usuras restituit, plurimas pro illius anima largiens eleemosynas. Residuum in usus fratrum convertit. Positum est corpus in oratorio, choris psallentium circa illud ordinatis. In ipsa nocte, cum fratres attentius psallerent, quatuor tetri spiritus apparentes, feretrum a parte sinistra circumstabant. Quibus visis, terri

1) C quidam monachus nigri ordinis et sacerdos, B quidam monachus et sacerdos nigri ordinis. — 2) cor add BC; paulo post P avaritia. — 3) BC nec. — 4) B visum fuerit vobis, P visum vobis fuerit. — 5) CP et. — 6) BC thesauros. — 7) C ego Deo. — 8) et om BP.

fratres, omnes, excepto uno seniore, fugerunt. Et ecce totidem angeli sancti contra quatuor daemones a parte dextera se ordinabant. Moxque is, qui primus inter daemones videbatur, in illud Davidicum ¹⁾ erupit: *Dixit insipiens, ut delinquat in semetipso; non est timor Dei ante oculos eius; hoc in isto homine impletum est.* Alter dixit: *Quoniam dolose egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium.* Cui tertius subiunxit: *Verba eius iniquitas et dolus; noluit intelligere, ut bene ageret.* Quartus dixit: *Iniquitatem meditatus est in cubili suo; astitit omni viae malae, malitiam autem non odivit.* Tunc simul omnes dixerunt: Si Deus iustus est, et verba eius vera, homo iste noster est, quia omnium horum reus est. Responderunt sancti angeli: Si contra eum carmen Davidicum profertis, procedite. Dixerunt daemones: Ista nobis sufficiunt ad eius ²⁾ damnationem. Ad quod angeli responderunt: Ex quo vos tacetis, nos incoepti Psalmi residua proferemus. Ait itaque primus: *Domine, in coelo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.* Cui secundus adiecit: *Justitia tua sicut montes Dei; iudicia tua abyssus multa.* Tertius vero: *Homines et iumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Cumque quartus subiunxisset: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt;* simul in hanc vocem eruperunt: Quia Deus iustus est, et scriptura solvi non potest, filius hic hominis noster est, ad Dominum confugit, ad Dominum ibit, quia sub tegmine alarum illius speravit. Inebriabitur ab ubertate domus eius, qui se lacrimis contritionis inebriavit; et torrente voluptatis suae potabit eum: quoniam apud ipsum est fons vitae; et in lumine eius videbit lumen. Ad hanc vocem daemonibus confusis et obmutescentibus, coelestes nuncii animam contriti peccatoris tollentes, illis sociaverunt, de quibus Salvator in Evangelio dicit: *Gaudium est in coelo angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente* ³⁾. NOVICIUS: Quid amplius profuit huic usurario, eleemosynae, an contritio? MONACHUS: Hoc secure dico, quia si contritio defuisset, modicum illi eleemosyna profuisset. Vis audire quantum Deus acceptet eleemosynas usurarii? NOVICIUS: Volo et desidero.

1) Psal. 35. — 2) B ad veram eius, C ad eius iustam. —
3) Luc. 15, 7.

CAPITULUM XXXII.

De contritione cuiusdam usurarii, quem bufones ex eleemosynis eius orti devoraverunt.

MONACHUS: Multorum ore celebratur adhuc Coloniae factum cuiusdam usurarii, in ecclesia sancti Gereonis Martyris sepulti. Qui cum esset dives et avarus, tandem divina misericordia compunctus, sacerdotem adiit, confessionem fecit, et ut Deum pro suis peccatis placaret, pollicitus est quia omnia sua pro illius nomine pauperibus erogaret. Cui sacerdos respondit: Incide de panibus tuis eleemosynas, ita ut cistam ex eis impleas, claudesque illam. Qui cum die altera eandem arcam aperuisset, quot ibi posuerat ¹⁾ eleemosynas, tot in ea reperit bufones. Cui cum sacerdos diceret: Vides nunc quantum Deo placeant eleemosynae de usura? Territus ille respondit: Domine, quid faciam? Si vis, inquit, salvus fieri, hac nocte inter vermes istos nudus iaceas. Mira contritio. Ille, licet talem ²⁾ stratum nimis abhorreret, vermibus morituris contentis, immortales effugere cupiens ³⁾, tum timore gehennae, tum amore coelestis patriae, nudus se super vermes iactavit. Sacerdos vero arcam ipsam ⁴⁾ adiit, clausit, et abiit. Quam die postera cum aperuisset, nihil praeter ossa hominis ibidem invenit. Quae in porticu praedicti Martyris sepulta ⁵⁾, dicuntur tantae esse virtutis, ut usque hodie nullus bufo terminos eiusdem vivus possit intrare. NOVICIUS: Si eleemosynae usurariorum vertuntur in bufones, reliqua eorum substantia quales ex se gignet vermes? MONACHUS: Vermes infernales, vermes immortales, de quibus per Isaiam in persona talium dicitur: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* ⁶⁾. Subtus eos sternetur tinea ⁷⁾, corpora eorum comedent immortales vermes gehennae, animas semper rodet vermis conscientiae. NOVICIUS: Potuitne ergo Abbas ille, de quo superius dictum est, ex pecuniis usurarii fructuosas pro anima eius facere eleemosynas? MONACHUS: Prius, sicut me memini dixisse, usuras pro possibilitate restituit, de

1) C deposuerat. — 2) ACDP tale. — 3) ABDP vermibus tamen morituris immortales praeponens. — 4) BD ipsam arcam; mox adiit om CD. — 5) C sepelivit, quae. — 6) Isai. 66, 24. — 7) Isai. 14, 11.

reliquo eleemosynas fecit. Hoc in isto factum non est. Quod autem hoc liceat, ex hoc quod sequitur exemplo docebitur.

CAPITULUM XXXIII. *)

De contritione Theobaldi usurarii Parisiensis.

Temporibus Philippi Regis Francorum, praedecessoris huius ¹⁾ qui hodie regnat, erat in civitate Parisiensi usurarius quidam ditissimus, Theobaldus nomine. Hic cum haberet possessiones plurimas, infinitasque pecunias ex usuris congregatas, divinitus compunctus, ad magistrum Mauritium eiusdem civitatis Episcopum venit, eiusque se consilio submisit ²⁾. Ille vero cum in aedificatione ecclesiae ³⁾ beatae Dei genitricis nimis ferveret, consuluit ei, quatenus pecunias suas ad structuram inchoati operis contraderet. Qui huiusmodi consilio aliquantulum sibi suspecto, adiit magistrum Petrum Cantorem, verba Episcopi ei insinuans. Cui ille respondit: Non dedit tibi bonum consilium hac vice; sed vade et fac clamari per civitatem sub voce praeconis, quia paratus sis restituere omnibus, a quibus aliquid supra sortem accepisti. Factumque est ita. Deinde rediens ad magistrum ait: Omnibus ad me venientibus, teste conscientia, omnia restitui ablata, et adhuc supersunt plurima. Tunc ille: Modo, inquit, poteris dare eleemosynam ⁴⁾ secure. Retulit mihi dominus Daniel Abbas Sconaviae, quod ad consilium eiusdem Cantoris, per plateas civitatis nudus in suis femoralibus incesserit, servo cum virga se impellente, ac dicente: Ecce iste est ille, quem pro suis pecuniis Principatus honorabat, qui filios nobilium obsides tenebat. NOVICIUS: Ex his duobus usurariis plenius agnosco virtutem contritionis, quia ut considero, de cuius corde fons eius scaturit, nullus labor, nullus horror, nullus pudor, venas illius obstruere valebit. MONACHUS: Verum dicis, quia contritio quae timore parvae poenitentiae exsiccat, fontem non habet unde fluat. NOVICIUS: Videtur mihi usura multum esse defectivae naturae, quia raro ad tertiam, sive quar-

*) Homil. I. p. 141. — 1) verba praedecessoris huius, quae absunt ab omnibus libris, sensu flagitante addidi ex locis IV, 36. V, 21. VII, 39. — 2) ADP consilio se commisit. — 3) Hom. monasterii; conf. IX, 60. — 4) ADP eleemosynam dare.

tam illam durare videmus generationem ¹⁾). MONACHUS: Non solum defectivae, sed et consumtivae naturae est, quia, ut dicis, in se celerius deficit, et nonnunquam sibi admixta sive coniuncta consumit. NOVICIUS: Da exemplum. MONACHUS: Haec quae dicturus sum, a quibusdam Abbatibus ordinis nostri audivi, sed nomen non retinui loci, in quo contigerunt ²⁾).

CAPITULUM XXXIV.

De pecunia usurarii, quae pecuniam monasterii iuxta se positam devoravit.

Usurarius quidam cuidam ordinis nostri cellerario quamdam pecuniae suae summam commisit reservandam. Quam ille signatam in loco tuto iuxta pecuniam monasterii reposuit. Postea cum usurarius depositum repeteret, cellerarius arcam reserans, neque illam, neque suam invenit. Qui cum vidisset arcae seras intactas, et signacula sacculorum salva, ita ut nulla esset de furto ³⁾ suspicio, cognovit, quod pecunia usurarii devorasset pecuniam monasterii. Ex quo colligitur, quod per eleemosynam usurae, monasterii substantia non augetur, sed deficiat. NOVICIUS: Magna sunt, quae dicta sunt de contritione; sed quaero, si is qui oculos non habet, contritionem habere possit, cum sine oculis flere non possit. MONACHUS: Contritio non est in lacrimis, sed in motu cordis, cuius signa lacrimae sunt oculorum, cum et cor lacrimas suas habeat.

CAPITULUM XXXV.

De contritione cuiusdam nobilis ab Henrico Duce Saxonum excaecati.

Dux Henricus Saxo, pater Ottonis Imperatoris, tempore quodam virum quendam nobilem pro suo scelere exoculavit. Deus vero ex sua misericordia excaecationis poenam viro convertens ⁴⁾ in medicinam, tantam cordi eius contulit contritionem, ut iugiter peccata commissa defleret, et pro desiderio

1) B generationes. — 2) omnes libri contigit. — 3) C de furto esset. — 4) C convertit.

patriae coelestis semper suspiraret. Non recedebat de ecclesia beatae Dei genitricis in Hildinsheim, orationibus et ieiuniis vacans. Casu contigit, ut stultus quidam verbum stultum, eo audiente, proferret dicens: Qui hic oculos non habet, nec in futuro oculos ¹⁾ habebit, quibus Deum videat. De quo verbo turbatus nimis, dum quotidie gemeret, nec verborum consolationem reciperet, a multis culpatus, respondit: Nisi mihi ex scripturarum auctoritate probetur, consolari non potero. Quod ei facile probari potuit a viris literatis, quorum in eadem civitate copia fuit. NOVICIUS: Quomodo autem probatur? MONACHUS: Salvator dicit electis: *Capillus de capite vestro non peribit* ²⁾. Super quem locum dicit Augustinus: Perit caput, ubi non perit capillus? Ubi non perit palpebra, perit oculus? Quasi diceret, non. Omnes mortui integraliter resurgent. Mali ³⁾, ut in omnibus suis membris puniantur; boni, ut in omnibus remunerentur. Hoc secure dico et credo, quod omnis homo, sive iustus sit, sive peccator, si in contritione etiam minima decesserit, Deum visurus sit. Ad quam visionem nos perducere dignetur Dominus noster Jesus Christus, splendor gloriae, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita saecula saeculorum. Amen.

1) oculos om C. — 2) Luc. 21, 18. — 3) B mali autem.



DISTINCTIO TERTIA

D E C O N F E S S I O N E .



CAPITULUM I.

Quid sit confessio, qualis esse debeat, quae eius sit virtus, quis fructus.

SINE desiderio confessionis quia ¹⁾ infructuosa est omnis contritio, videre debemus quid sit confessio, qualis esse debeat, quae sit eius virtus, quis fructus. NOVICIUS: Si sine proposito confessionis informis est contritio, necessarium est scire ista, noviciis maxime, qui mox post conversionem suam omnia peccata, quae commiserunt, tenentur Abbati suo confiteri: sicut sum a te edoctus, et in memetipso expertus. MONACHUS: Confessio tantum bonum est, ut solo eius desiderio, etiamsi necessitas actum ²⁾ excludat, peccata dimittantur. Unde Psalmista dicit: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitias meas Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei* ³⁾. Dixi, id est, deliberavi. NOVICIUS: Quid est confessio? MONACHUS: Scire debes, triplicem esse confessionem, laudis, fidei, criminis ⁴⁾. De confessione laudis Salvator in Evangelio dicit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae* ⁵⁾. De confessione fidei dicit Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* ⁶⁾. De confessione vero criminis ait Apostolus Jacobus: *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini* ⁷⁾. Initium enim iustitiae confessio peccatorum est. Unde scriptum est in libro Machabaeorum: *Judas praecedet vos in bellum* ⁸⁾, id est, confessio. Confessio criminis est, per quam latens animae morbus aperitur, spe veniae consequendae. Haec multiplex esse debet, voluntaria, festinata ⁹⁾, debita, verecunda, generalis, specialis, individualis, nuda, integra, discreta, accusatoria, amara, sollicita, meticulosa, vera, aestimativa, hilaris, propria,

1) C add inutilis et. — 2) KR ipsum actum. — 3) Psal. 31, 5. — 4) BD et criminis. — 5) Matth. 11, 25. — 6) Rom. 10, 10. — 7) Jac. 5, 16. — 8) Mach. I, 2, 66. — 9) R festina, hic et infra.

pluralis ¹⁾, frequens. Breviter ista transcurro, nec ad plenum, studio brevitatis, elucido, quia ad exempla festino. **NOVICIUS**: Habetne auctoritatem confessio a veteri testamento? **MONACHUS**: Confessio sacramentum esse dicitur veteris testamenti, figuris manifestis in illo declarata, verbis mandata, et ²⁾ exemplis confirmata. Leprosus ad arbitrium sacerdotis mundus vel immundus iudicatur ³⁾. Unde Salvator cuidam leproso a se sanato dixit: *Vade ostende te sacerdoti* ⁴⁾. In quatuor verbis huius clausulae, quatuor mihi videntur esse considerata, quae maxime in confessione sunt observanda, videlicet, ut sit festinata, ut sit nuda, ut sit integra, ut sit debita, id est, ut fiat proprio Pastori. Ac si dicat Dominus: *Vade*, ut confessio tua sit cita, vel festinata; *ostende*, ut sit nuda; *te*, ut sit integra; *sacerdoti*, ut sit debita ⁵⁾. Quem gratia Jesu mundat intus per contritionem, ut foris mundus iudicetur, ostendere se debet sacerdoti per confessionem. Unde sponsus voce confessoris in Canticis Canticorum loquitur ad contritum peccatorem: *Ostende mihi faciem tuam*, per cordis contritionem, *sonet vox tua in auribus meis* ⁶⁾, per oris confessionem. Quid manifestius hac figura? Quod verbis mandata sit, testis est Propheta David, qui dicit: *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Item: *Revela Domino viam tuam* ⁷⁾, subaudis, per confessionem. Et in Isaia secundum Septuaginta: *Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris* ⁸⁾. Quod autem exemplis sit confirmata, exemplum est nobis ipse David, qui super peccato Bersabeae, venienti ⁹⁾ ad se Nathan respondit dicens: *Peccavi Domino* ¹⁰⁾. **NOVICIUS**: Miror utrum sit maior virtus in contritione, sive in confessione. **MONACHUS**: Non nisi per contritionem peccatori culpa dimittitur, et hoc sub quadam conditione, scilicet ut confessio subsequatur. Quod si necessitas illam excluserit, defectum illum summus sacerdos supplebit. Est tamen confessio signum contritionis. Cuius virtutem et fructum magis tibi exemplis, quam scripturarum testimoniis ostendere proposui.

1) pluralis om C. — 2) et om BC. — 3) Levit. 13 et 14. — 4) Matth. 8, 4. — 5) Homil. III. p. 92: „in confessione illa quae supra dicta sunt, requiruntur, hoc est, ut sit festinata, propter quod dicitur ite; nuda, propter quod subditur, ostendite; integra, propter quod additur vos, quasi non partem corporis, sed totum; debita, dum concludit, sacerdotibus.“ — 6) Cant. 2, 14. — 7) Psal. 105, 1. 36, 5. — 8) Isai. 43, 26. — 9) BC veniente. — 10) Reg. II, 12, 13.

CAPITULUM II. *)

De clerico, qui stupraverat uxorem militis, quem post confessionem diabolus in stabulo dixit esse iustificatum.

Miles quidam in villa quadam habitavit, cuius uxorem eiusdem villae sacerdos per adulterium maculavit. Dictum est militi, quia sacerdos rem haberet cum uxore sua. Ille, cum vir prudens esset, nec verbis facile crederet, nullam de hoc mentionem facere voluit uxori sive sacerdoti, veritatem verius ¹⁾ volens experiri. Non tamen sine suspicione fuit. Contigit ut in quadam villa, non multum a militis villa remota, quidam obsessus esset, in quo daemonium tam nequam erat, ut coram astantibus improperaret peccata, quae per confessionem veram non fuissent tecta. Quod cum miles ex multorum didicisset relatione, rogavit suspectum sibi sacerdotem, ut ad colloquium quoddam secum ire non recusaret. Et acquievit sacerdos. Cum venissent simul in villam, ubi obsessus erat, conscius ipse sibi sacerdos, suspectum coepit habere militem, quia non eum ²⁾ latebat, quod obsessus a tam nequam daemone in eadem villa habitaret. Timensque vitae suae, si a daemone proderetur, necessitatem naturae simulans, intravit stabulum ad servum militis, pedibusque eius prostratus, ait: Rogo te propter Dominum, ut audias confessionem meam. Quem servus expavescens levavit, audiens quae ab illo dicebantur. Facta vero confessione, cum sibi sacerdos iniungi peteret poenitentiam, servus satis prudenter respondit illi dicens: Quantum alteri sacerdoti pro tali crimine iniungeretis, hoc sit satisfactio vestra. Sicque exiens iam securior, cum milite ad ecclesiam venit. In qua daemoniosum offendentes, requisitus est a milite in haec verba: Nosti aliquid de me? Hoc enim ³⁾ ex industria factum est, ut iam dicto sacerdoti tolleretur suspicionem. Cui cum daemon nescio quid responderet, adiecit: Quid tibi videtur de domino isto? Respondit ille: Nihil de eo scio. Et cum hoc ⁴⁾ dixisset lingua Teutonice, Latine mox subiunxit: In stabulo iustificatus est. Nullus tunc aderat clericorum. NOVICIUS: Satis puto, quod non sponte sua illa hora latinista factus sit diabolus. MONACHUS: Non est permissus loqui Teutonice, ne miles ver-

*) Homil. II. p. 13. — 1) Hom. plenius. — 2) eum add BC. — 3) C autem. — 4) ABD haec.

bum, et ex verbo factum intelligeret, nec tamen tacere licuit, ut virtutem confessionis sacerdoti ostenderet. NOVICIUS: Magna est virtus confessionis, quae et crimen adulterii a memoria diaboli delevit, et hominem ab imminente periculo liberavit. MONACHUS: Audi et fructum huius confessionis. Sacerdos non immemor collati sibi beneficii, saeculum deseruit, et in quodam coenobio ordinis nostri monachum se fecit. Adhuc vivere putatur, sicut didici a quodam Abbate ordinis Cisterciensis. NOVICIUS: Prophetia huius protervi daemonis, causa ei exstitit magnae salutis. MONACHUS: Narravit mihi et aliud pene simile huic.

CAPITULUM III.

Item de servo alterius militis, qui cum uxore domini sui peccans, et in nemore idem peccatum rustico confitens, a diabolo prodi non potuit.

Cuiusdam militis uxor proprium servum admiserat, libidinis igne succensa. Cum quō cum per tempus aliquod occulte peccasset, nec iam latere posset, ad aures mariti pervenit. Ille vero de verbo dolens, nec tamen verbis ad plenum credens, tacuit, sciens, se investigante, rem tam nefariam diu non posse occultari. Quia vir erat dives et honestus, uxorisque fama tam inops et inhonesta, maluit rem inexpertam¹⁾ per silentium ad tempus tegere²⁾, quam se et uxorem genusque tam suum quam illius, per suspiciones dehonore. Interim ubique divulgatum est, in tali villa obsessum quendam esse, nescio tamen si idem fuerit, de quo superius dictum est, qui nemini parceret, sed praesentibus peccata occulta obiiceret et impropere. Quod cum audisset miles, sperans per illum rei veritatem discere, assumpto secum servo, coepit illo³⁾ pergere, viae causam servo penitus ignorante. Venientibus eis ad nemus quoddam, cum dominus declinaret in quandam semitam, quae ad daemoniosi⁴⁾ tendebat villam, coepit servus valde pavere, sciens pro certo, se ultra vivere non posse, si crimen adulterii proderetur a daemone. Positus in tanto timore, dum in cogitationibus suis fluctuaret, hominem in eodem nemore ligna incidentem audivit. Immisitque

1) D expertam. — 2) ADP detegere. — 3) BCD illuc. —

4) P daemoniaci.

Dominus menti eius, quem eadem hora satis diligenter invocaverat, quod contra imminens periculum confessio summum foret remedium. Et divertens a domino, quasi ad satisfaciendum naturae, venit ad rusticum, confessus est peccatum, suscepit poenitentiam. Statim reversus ad militem, de tali opere nihil suspicantem, simul venerunt ad daemonem. Qui cum servum adulterum, imo de adulterio iam iustificatum, diligentius intuitus fuisset, ait miles: Dic, si aliquid nosti de illo. Respondit daemon: Multa de eo novi, quae modo ¹⁾ ignoro. Sicque per virtutem confessionis liberatus est servus ²⁾ a morte, et dominus a suspicione. Vides quantum valeat vera confessio? NOVICIUS: Quae est vera confessio? MONACHUS: In qua firmum propositum est satisfaciendi. NOVICIUS: Quid si ipsa satisfactio iniuncta negligitur? MONACHUS: Si ipsa negligentia non fuerit ex infirmitate, sive ex necessitate, sed iniuncta poenitentia, ut saepe contingit, parvipenditur et contemnitur, peccatum iam dimissum revertitur. Etiam si peccatum fuerit veniale, et poenitentia per oblivionem negligatur, non dico quod poena illius peccati per illam oblivionem deleatur.

CAPITULUM IV. *)

De sacerdote, qui pro illusionem nocturna psalmum in confessione iniunctum negligens, in locis genitalibus punitus est.

Sacerdos quidam in domo nostra, sicut ab eius ore audivi, die quadam confessionem fecit de illusionem nocturna. Iniunctus est ei psalmus unus pro satisfactione. Quem cum per oblivionem negligeret, eadem die, circa loca genitalia tantum coepit prurimum et ardorem sentire, ac si carni eius ardentes urticae essent appositae. Qui cum territus tactu exploraret quid esset, et nihil ibidem inveniret, recordatus est psalmi iniuncti et neglecti. Imputansque immissam poenam eidem transgressionem, psalmum dixit, et dolor conquievit. Confitemens fugere debet oblivionem. Audi aliud exemplum.

1) P nunc. — 2) CD servus liberatus est. — *) Homil. I. p. 148.

CAPITULUM V.

De clerico Praemonstratense, qui sine confessione cuiusdam venialis peccati commissi ad obsessum exiens, a daemone notatus est.

Canonicus quidam in Steinvelt ordinis Praemonstratensis, sicut mihi retulit canonicus quidam Monasteriensis, valde laudabilis vitae fuit, quem quasi ad fugandum daemonem de obsesso Prior ad ostium monasterii secum eduxit. Quo viso, mox diabolus per os hominis clamavit: Ego quaedam de eo scio, propter quae eum non timeo. Non tamen permissus est eadem publicare, eo quod minima essent, ne viro sancto verecundiam inferret. Ille bene ¹⁾ verbum intelligens, remordente conscientia intravit, culpam confessus rediit, et si daemon adhuc ²⁾ aliquid sciret inquisivit. Respondit daemon: Adhuc aliqua culpa vestigia apparent in te, eo quod non sit subsecutus stimulus, plagam virgarum intelligens. Iterum intravit iuvenis, iniunctam accepit disciplinam, reversusque, si sciret aliquid interrogavit. Respondente diabolo, per iudicium meum nil modo ³⁾ novi de te, satis aedificati sunt fratres. NOVICIUS: Non modicum me perturbat ⁴⁾, quod inimicus in sancto viro post confessionem factam, aliquod deprehendere potuit signum peccati. MONACHUS: Hoc Deus permisit ad eius bonum. Quanto quis perfectior, tanto pro sua culpa delenda esse debet sollicitior. Disciplinam iniunctam, quam mox accipere potuit, maxime contra diabolum pugnaturus, differre non debuit. Nam in supradictis duobus, sacerdote scilicet et servo militis, quorum confessio neque debita fuit, neque aliqua adhuc exterior poenitentia subsecuta, diabolus nulla peccati vestigia deprehendere potuit. NOVICIUS: Placet quod dicis, quia necessitas in causa fuit. Sed nosse vellem differentiam inter veram falsamque confessionem. MONACHUS: Quanti ponderis confessio sit vera, et quam inefficax confessio sit ficta, per subiecta dignosces exempla.

1) bene add BC. — 2) adhuc habet C post sciret. — 3) BC modo nil. — 4) ADP turbat.

CAPITULUM VI. *)

De virgine, quam daemon in specie viri procabatur; item de viro, cui idem daemon peccata fecte confessa obiecit; et de puella, cuius devirginationem prodidit.

Tempore illo, quo Scholasticus Coloniensis Oliverus crucem praedicavit in partibus Brabantiae, sicut mihi narravit Bernardus monachus noster, tunc eius collega in praedicatione, fuit ibi puella quaedam ¹⁾ religiosa, et voto virginitatis gloriosa, orta de Nivella. Invidens diabolus tantae virtuti, in specie viri admodum pulchri satisque decenter vestiti apprensens virgini, coepit illam verbis amatoriis sollicitare, clenodia offerre, laudare coniugii fecunditatem, virginitatis vituperare sterilitatem. Cui virgo, nesciens quis esset, respondit: Virum ducere non propono, Christi amore ²⁾ nuptias carnales postpono et contemno. Cumque lascivus ille spiritus nimis esset ei importunus ³⁾, in diversis locis ad illam veniens, sciens puella multas esse virgines se pulchriores, nobiliores atque ditiores, coepit amatorem phantasticum habere suspectum, ita ut ei diceret: Bone domine, quis vel unde estis, quod tanto mihi desiderio copulari affectatis? Cumque ille invitus se proderet, et virgo tanto propensius instaret, tandem daemon necessitate compulsus, confessus est dicens: Ego sum diabolus. Ad quod verbum illa expavescens, respondit: Ut quid ergo exigis ⁴⁾ carnale coniugium, quod naturae tuae dignoscitur esse contrarium? At ⁵⁾ ille: Tu tantum mihi consenti, nihil aliud a te nisi copulae consensum requiro. Ad quod puella respondit: Modo omnino tibi ⁶⁾ contradico; fugans illum sanctae crucis signaculo. Veniensque ad sacerdotem, revelavit illi daemonis insidias; a quo satis edocta, ne maligno consentiret, reversa est in domum suam. Daemon vero post confessionem eam omnino non deserens, de remoto tamen ⁷⁾ alloquens, in tantum illam vexavit, ut quaslibet immunditias in eius scutellam mitteret cum manducaret. Unde et mulierum custodiae ei adhibitae sunt. In quacunque domo illa fuit, illic daemon responsa dedit. Ab omnibus quidem audie-

*) Homil. I. p. 105. — 1) BC quaedam puella; paulo post et om iidem. — 2) AP amori. — 3) B ei esset importunus, C ei importunus esset. — 4) B exigis a me. — 5) AC ait. — 6) BC tibi omnino. — 7) A tantum.

batur, sed a sola puella videbatur. Eratque tam nequam idem spiritus, ut praesentium peccata detegeret, crimina improperaret, nec aliquod peccatum eum lateret, nisi quod vera confessio tegeret. Ostendit et alia signa nequitiae suae. Stercora, ollasque confractas fimo plenas, super confluentes spargebat. Dixerunt ei quidam: Nosti, o diabole, Dominicam orationem? Respondente illo, optime scio, rogatus est illam dicere. Et ait: Pater noster, qui es in coelum, nomen tuum, fiat voluntas et in terra, panem nostrum quotidianes da nobis hodie, sed libera nos a malo. Et cum plures in eadem oratione fecisset ¹⁾ saltus atque barbarismos, cachinnando subiunxit: Ecce sic vos laici dicere soletis orationem vestram. Requisitus etiam de symbolo, dixit se bene et optime scire, sic incipiens: Credo Deum Patrem omnipotentem. Cui cum quidam dicerent: Dicere debes, Credo in Deum; illeque subiungeret: Credo Deo; viri literati, qui tunc erant praesentes, diaboli verbum notantes, et vim accusativi intelligentes, institerunt ut diceret, Credo in Deum. Et non poterant eum ad hoc inducere. NOVICIUS: Vellem et ego scire, quid sit Credere in Deum. MONACHUS: Credere in Deum, est per dilectionem ire in Deum. Unde Salvator ait: *Omnis qui vivit, et credit in me, habet vitam aeternam* ²⁾. Daemon, sicut dicit Apostolus Iacobus, credit et contremiscit ³⁾, sed non diligit. Credit Deum esse, credit verba eius vera esse, sed non credit in eum, quia non diligit eum ⁴⁾. Salutationem vero angelicam idem daemon incipere non potuit, cum tamen se illam scire profiteretur. NOVICIUS: Cum dignior sit oratio Dominica salutatione angelica, miror cur permissus sit dicere illam, et non istam. MONACHUS: Voluit hoc fieri Dominus, tum propter honorem matris, tum propter eminentem

1) B in eadem fecisset oratione, C fecisset in eadem oratione. — 2) Johan. 11, 26. — 3) Jac. 2, 19. — 4) Homil. II. p. 109: „usque hodie per ora praedicatorum de peccato incredulitatis arguitur mundus. Ut enim taceam de infidelibus, non omnes Christiani, imo respectu multitudinis, pauci credunt in Christum. Credunt Christum esse filium Dei, natum de virgine, passum, resurrexisse a mortuis, et si qua alia de illo sunt credenda. Credunt etiam Christo, id est, Evangelio eius, scientes esse vera quaecunque dixit, egit vel promisit; sed non credunt in Christum. Credere in Christum, est fide et caritate ire in ipsum. Non qui credit Christum, vel Christo, sed qui credit in Christum, habet vitam aeternam.“

tiam sacramenti suae incarnationis. Quantae virtutis sit eadem salutatio, per quam initiata est humani generis redemptio, ex sequentibus plenius agnosces. Interrogatus idem daemon, cur ita raucam haberet vocem, respondit: Quia semper ardeo. Dicebat eadem puella, quia quotiens veniebat ad me, cavite ne eum videre possem a dorso. NOVICIUS: Miror quare hoc fecerit? MONACHUS: Daemones, sicut intellexi ex aliqua quadam visione, posteriora non habent. Unde quidam daemon puellae cuidam apparens frequentius, cum ab ea divertens semper retrocederet, interrogatus cur hoc faceret, respondit: Licet corpora humana nobis assumamus, dorsa tamen non habemus. NOVICIUS: Exspecto exemplum, per quod fictae veraeque confessionis differentiam cognoscam. MONACHUS: Hoc in promptu est. Fuit in vicino vir quidam, qui supradictum daemonem audire nimis desiderans, propter turpia quaedam quae commiserat peccata, appropinquare non audebat, timens sibi illa coram omnibus improperari. Et veniens ad sacerdotem, confessus est universa, voluntate tamen peccandi retenta. Factusque ex eadem confessione securior, ad domum venit. Mira res. Mox ut limen attigit, et introspectit, daemon in aere clamavit: Amice, veni huc, veni, certe bene te dealbasti. Et statim coram omnibus omnia eius peccata turpia, licet confessa, prodidit, in tantum illum confundens, ut eadem hora esse¹⁾ voluisset in ortu solis. Tristis effectus, et conscientia accusante in se reversus, ad sacerdotem rediit, quae gesta sunt retulit, confessionem iteravit, et quia de reliquo emendatius vivere vellet, de corde pollicitus est Deo et sacerdoti. Tunc sacerdos: Modo, inquit, revertere securus, non te confundet amplius. Et fecit sic. Infrante eo domum, quidam ex circumsedentibus daemone dixerunt: Ecce amicus tuus iterum venit. Quibus ille respondit: Quis est? Ille, inquit, cui paulo ante tam turpia peccata improperasti. Respondit daemon: Ego nihil illi improperavi, neque aliquid de eo novi mali²⁾. Et mirati sunt³⁾ daemonem mentitum fuisse, hi qui hominis ignoraverunt confessionem. Sicque per virtutem confessionis ille evasit notam maximae confusionis. In eadem domo matrona quaedam cum ceteris se-

1) B fuisse. — 2) B de eo mali novi, C mali de eo novi.

3) ABCDPK aestimati sunt, R aestimarunt. Scribendo mirati sunt, genuinam lectionem me restituisse arbitror.

debat, filiam iuvenulam, sicut mos est matribus, sub pallio tenens. Quae cum daemonem, nescio in quo provocasset, clamavit ille: Putas filiam tuam sub tuo mantello sedentem virginem esse? Vae tibi, male eam custodisti. Dicente muliere, mentiris; respondit ille: Nequaquam mentior. Si non credis, interroga Petronillam; illa bene dicet tibi ¹⁾ veritatem. Erat enim eadem Petronilla mulier quaedam stupri puellae conscia. His verbis auditis, mater filiam a se repulit cum indignatione dicens: Recede a me, immunda, nunquam aliquid tibi boni continget ex parte mea. Illa bene sibi ²⁾ conscia, simulatis lacrimis egressa est eiulans, daemonem mentitum fuisse affirmans. Inspirataque a Deo ad vicinum cucurrit sacerdotem ³⁾, commissum peccatum confessa est, et quia nunquam de cetero carnem suam illicite coinquinaret promisit. Tunc a sacerdote suasa, et quid dicere deberet diligenter edocta, reversa est ad matrem, quae nondum recesserat a loco. Dixitque illi: Vere mater, multum peccasti ⁴⁾, sine causa tam graviter me confundendo, et tam immisericorditer repellendo, propter verba daemonis huius, qui totus mendax est, et pater eius ⁵⁾. Coepitque lacrimari. Commota mater tam ex verbis quam ex lacrimis filiae, dixit ad daemonem: Dic, inique, ut quid tale crimen imposuisti filiae meae? Respondit ille: Quid enim mali locutus sum de filia tua. Bona est et munda; nihil de ea mali vel novi vel dixi ⁶⁾. Sicque puella, sicut vir supradictus, per beneficium confessionis liberata a suspitione fornicationis, ad matris gratiam reducta est. NOVICIUS: Quid est quod diabolus puellae stuprum ante confessionem novit, et ⁷⁾ Petronillam stupri consciam nominavit, virum vero stupri auctorem non expressit? MONACHUS: Satis puto de peccato illum egisse poenitentiam, per quam diabolo culpae subtraxerat notitiam. NOVICIUS: Placet quod dicis. Sed recordor adhuc supradictae virginis de Nivella, et non desino mirari, quod daemon, cum spiritus sit, copulam carnalem contra suam ⁸⁾ naturam concupiscat et requirat. MONACHUS: Non mirum quod daemones feminas procantur; sed quod illis commiscantur mirabile est valde. NOVICIUS:

1) BC tibi bene dicet. — 2) BC sibi bene. — 3) BC sacerdotem cucurrit. — 4) ABDP peccastis. — 5) Johan. 8, 44. — 6) ADP nihil de ea mali novi vel dixi, C nihil mali de ea vel dixi vel novi. — 7) et om BC. — 8) B sui, ut IV, 39.

Meministi hoc ¹⁾ unquam contigisse? MONACHUS: Et meministi et legi, et ut feminae cautae reddantur, quae forte haec quae dicturus sum legent vel audient, diversa quae nostris contigerunt temporibus exempla replicabo. Quae ut maiorem habeant firmitatem, prius unum, quod in Miraculis sancti Bernardi legitur ²⁾, breviter praemittam.

CAPITULUM VII.

Exemplum de miraculis sancti Bernardi Abbatis, qui incubum daemonem a muliere fugavit,

Mulier quaedam in regione Manneti³⁾ a quodam petulante daemone sex annis, habito eius consensu, incredibili libidine vexata est. Apparuerat ei in specie valde ⁴⁾ pulchri militis, et saepe abutebatur ea invisibiliter, marito eius in eodem lecto cubante, lascivus ille spiritus. Quae anno septimo timore correpta est ⁵⁾. Veniente in praedictam civitatem sancto Bernardo Claraevallis Abbate ⁶⁾, misera mulier ad pedes eius corruit, passionem horribilem et ludificationem diabolicam cum multis lacrimis confessa, succurri sibi flagitavit. A quo consolata, et quid facere deberet edocta, post confessionem diabolus ad illam accedere non potuit, sed tamen ⁷⁾ verbis terruit, et quia post Abbatis discessum ad eius supplicia reverteretur, acerrime minabatur; ita ut qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Haec cum sancto indicasset, proxima die Dominica, cum duobus Episcopis, accensis candelis, cum omnium fidelium qui erant in ecclesia subscriptione, anathematizavit fornicatorem spiritum, auctoritate Christi tam ad illam quam ad omnes ⁸⁾ mulieres ei deinceps interdicens accessum. Exstinctis vero illis sacramentalibus luminaribus, tota virtus daemonis exstincta est, et mulier post generalem confessionem peccatorum suorum communicans, plene liberata est. Haec nostris temporibus contigerunt. NOVICIUS: Stupenda sunt ista. MONACHUS: Audi adhuc alia exempla his ⁹⁾ pene simillima, multo tamen recentiora.

1) D haec. — 2) Vit. S. Bernard. II, 6. p. 834 sq. — 3) A Manneti, R Nanneti. Intelligit auctor urbem quae hodie Nantes dicitur. — 4) valde add ABD. — 5) est add B. — 6) BD Abbate Claraevallis. — 7) BC tantum; mox AD verbis eam terruit. — 8) R omnes alias. — 9) forte huic.

CAPITULUM VIII.

De filia Arnoldi sacerdotis, quam daemon corrupit.

Bonnae in parochia sancti Remigii ante paucos annos sacerdos quidam fuit, Arnoldus nomine, filiam habens speciosam. Quam nimis diligens, quia pulchra erat, propter iuvenes, et ¹⁾ maxime canonicos Bonnenses, ei custodiam tantam adhibuit, ut quotiens de domo exiret, in solarium domus illam ²⁾ clauderet. Die quadam apparens ei diabolus in specie viri, coepit animum eius in amorem suum intus suggestione lalenti, foris locutione blandienti, inclinare. Quid plura? Persuasa misera, et corrupta, saepius postea daemone ad suam perniciem consensit. Una dierum sacerdos solarium ascendens, filiam gementem flentemque invenit; a qua causam doloris vix extorquere potuit. Confessa est patri, quod delusa esset a daemone et oppressa, ideoque se merito dolere. Quae etiam ita dementata est, et a sensu alienata, tum ex dolore, tum ex diabolica operatione, ut vermiculos, quos de sinu colligebat, in os mitteret et masticaret. Tristis effectus pater, misit illam trans Rhenum ³⁾, sperans eam ex mutatione aeris aliquid posse meliorari, et ob fluminis interpositionem ab incubo daemone liberari. Transmissa puella, apparuit daemon sacerdoti, apertis ei vocibus dicens: Male sacerdos, quare abstulisti mihi uxorem meam? Malo tuo hoc fecisti. Et mox trusit eum in pectore tam valide, ut sanguinem vomens, tertia die moreretur. Huius rei testis est Abbas noster, testis etiam Gerardus monachus noster, aliquando Bonnensis Scholasticus, quibus res bene innotuit.

CAPITULUM IX.

Item de muliere in Briseke, quae moriens confessa est, se sex annis cum daemone incubo peccasse.

In villa Briseke, quae vicina est castro Rinecke ⁴⁾, sicut mihi narravit Arnoldus monachus noster, qui tunc temporis rem gestam intellexit, ante hos annos duodecim mulier quae-

1) et om C. — 2) D in solarium eam, B in solarium domus ipsam. — 3) ABCP flumen Rhenum. — 4) hodie Rheineck, in cuius vicinia est villa Breisig ad Rhenum sita.

dam fuit, quam daemon quidam, eo quo praedictum est modo, corripit. Sedente ea die quadam in taberna, cordis coepit defectum sentire. Timensque adesse mortem, vocari sibi celerius petivit sacerdotem. Cui cum daemonis ludificationem et horrendam illam qua septem annis laboraverat commixtionem dixisset, lingua deficiente in ipsa confessione spiritum efflavit. Quae cum incredibile libidine a libidinis auctore vexaretur, nunquam alicui dicere voluit, vel potius ausa non fuit, vel, quod credibilis est, in illius amore delectabatur. NOVICIUS: Si daemones talia, cum eis permissum fuerit, facere possunt, valde cavendum est feminis, ne eis occasionem praebeant, vel aliquo consensu posse tribuant. MONACHUS: Non solum in his cavendum est mulieribus, sed et viris, quia sicut daemones per formas virorum, ut dictum est, feminas ludificant et corrumpunt, ita per species feminarum viros seducunt et decipiunt. Lege Vitaspatrum, et invenies ibi quosdam viros perfectos per phantasmata mulierum delusos, contractos et deiectos. Dicam tibi et alia exempla¹⁾, quibus cognosces viros a daemone in specie mulierum ludificatos.

CAPITULUM X.

De Johanne Scholastico Prumiae, qui cum daemone fertur concubuisse.

Prumiae Scholasticus quidam fuit, Johannes nomine, vir quidem satis literatus, sed levis et lubricus²⁾. Isti, sicut de eo dicebatur, et sicut ab Abbate eiusdem monasterii audivi, femina quaedam promiserat, quod tali nocte ad eum veniret. Nocte conducta, illa quidem non venit, sed in eius specie consimilique voce diabolus clerici lectum ascendit. Quem putans feminam bene sibi notam esse, cognovit eum. Mane surgens, cum daemone, quem³⁾ feminam esse putavit, egredi compelleret; respondit ille: Cum quo putas te hac nocte iacuisse? Cumque ille diceret, cum tali femina; respondit daemon: Nequaquam, sed cum diabolo. Ad quod verbum

1) ADP tibi et aliqua exempla, C tibi exempla alia. — 2) Gregor. Dial. IV, 52: usque ad aetatem decrepitam levis ac lubricus exstitit. IV, 37: luxurioso ac lubrico. — 3) AD quam.

Johannes, sicut mirabilis fuit, ita mirabile verbum, quod dicere verecundor, respondit, diabolum irridens, et de opere nil curans.

CAPITULUM XI.

De Henrico cive Susaciae, qui a daemone in specie mulieris raptus, et in pasculo depositus, amens effectus est.

In civitate Susacia ¹⁾ civis quidam erat Henricus nomine, cognomento Gemma. Huius officii ²⁾ fuit vinum in tabernis vendere. Habebat autem tabernam aliquantulum a domo sua remotam. Qui cum nocte quadam secundum consuetudinem tarde de taberna rediens, et pecuniam de vino collectam secum portans, domum festinaret, vidit quandam speciem muliebrem in alba veste et linea stantem in loco quodam, ubi cives solent placitare ³⁾. Nihil mali de ea suspicans, cum ad locum venisset, illa per vestem hominem traxit, et ait: O amice, diu te hic exspectavi; amare me debes. Illo vestem de manu eius excutiente, ac dicente: Sine me ire, luxuriae tuae non consentiam, sed vadam ad uxorem meam; illa fortiter institit, ad commixtionem eum invitans. Quae cum verbis non proficeret, inter brachia sua virum tollens, et multum comprimens, in aera levavit, atque ultra monasterium sancti Patrocli, quod satis altum est, illum transferens, in pasculo deposuit. Qui dimissus, extra mentem factus, cum post horam resumptis viribus respirasset, surrexit, et ad domum suam claustro vicinam, manibus pedibusque reptando, cum labore veniens, ad ostium pulsavit. Surgente familia ut lumen accenderet, clamavit ille: Nolite lumen accendere, non enim mihi expedit illud videre. Et reclinaverunt eum in lectulo suo, quia debilis erat valde, tam in sensu quam in corpore. Tribus noctibus continue intempesta nocte idem daemonium pulsavit ad ostium, Henrico clamitante ⁴⁾: Scio quia propter me venit; scio quia propter me pulsat. Postea supervixit annum, debilis et infatuatus. Haec mihi retulit monachus noster Theodericus Susaciensis, dicens celebre esse valde in eadem civitate, cuius frater adhuc vivit in ecclesia

1) Susacia oppidum Westphaliae, hodie Soest dictum. — 2) conf. IV, 4; paulo post B taberna. — 3) AB placidare. — 4) BC clamante.

sancti Patrocli canonicus. NOVICIUS: Si daemones hominibus in assumptis corporibus commiscentur, sicut diversis iam exemplis ostensum est, miror si de feminis possint generare, sive de viris concipere et parere. MONACHUS: De hac quaestione solvenda nihil novi scio, sed quod in antiquis historiis legi, hoc replico ¹⁾.

CAPITULUM XII.

Exemplum de Hunis, et de Merlino, et quod in filiis incuborum sit veritas humanae naturae.

Cum gens Gothorum ²⁾ de Asia migraret in Europam, sicut in eius gestis legitur, haberetque mulieres deformes in suo comitatu, eiecit illas, timens ne liberos nimis deformes gignerent, sicque nobilitatem Gothorum deformarent ³⁾. Quae de castris extrusae, cum errarent in nemore, accesserunt ad illas incubi daemones, genueruntque ex eis filios et filias. Ex quibus processit fortissima gens Hunorum. Legitur etiam Merlinus propheta Britannorum ex incubo daemone, et sanctimoniali femina generatus. Nam et Reges, qui usque hodie regnant in eadem Britannia, quae nunc Anglia dicitur, de matre phantastica descendisse referuntur. Merlinus vero homo rationalis et Christianus fuit; multa futura praedixit, quae quotidie implentur. NOVICIUS: Si homines ex utriusque parentis semine ⁴⁾ concipiuntur tantum et nascuntur, quomodo dicendi sunt homines, qui partim ex homine, partim ex daemone carnis suae trahunt originem? Numquid resurgit ⁵⁾ in iudicio, quod non est de veritate humanae naturae? MONACHUS: Dicam tibi quod audivi a quodam literato viro de hac quaestione. Ait enim: Crementum humanum, quod contra naturam funditur, daemones colligunt, et ex eo sibi corpora, in quibus tangi viderique ab hominibus possint, assumunt; de masculino vero masculina, et de feminino feminina. Sicque dicunt magistri in his, qui de eis nascuntur, veritatem esse humanae naturae, eosque in iudicio, ut vere ⁶⁾ homines resurgere. Haec de his sufficiant. ⁷⁾ Nunc revertamur ad con-

1) R replicabo. — 2) B Gottorum, ut apud Cam. Lus. III, 100: Gottica gente. — 3) P gigneret — deformaret. — 4) C semine parentis. — 5) AD resurget, B resurgent, ut Psal. 1, 5. — 6) C veros. — 7) BC dicta sufficiant.

fessionem, de qua occasione interrogationis tuae aliquantulum digressum est, exempli causa.

CAPITULUM XIII. *)

De Aleide sanctimoniali in Lancwade, quae per confessionem a visibili infestatione¹⁾ daemonis liberata est.

Bonnae civitate²⁾ Dioecesis Coloniensis sacerdos quidam fuit, nomine Petrus, eiusdem ecclesiae vicarius. Iste, nescio quo Dei iudicio, in camerae suae ostio se suspendit. Cuius concubina, Aleidis nomine, tam horrenda eius morte territa, saeculum deseruit, et in coenobio quodam sanctimonialium, quod Lancwade³⁾ dicitur, religionis habitum suscepit. Die quadam, cum stans in dormitorio de fenestra prospiceret, contemplata est⁴⁾ iuvenem, imo in iuvene daemonem, stantem iuxta puteum muro dormitorii contiguum; qui ea vidente unum pedem super lignum, quo ambiabatur puteus, posuit, et altero se quasi volitando, ad ipsam in fenestram deposuit. Quam cum extensa manu per caput rapere conaretur, territa retrorsum cecidit et clamavit, pene exanimis facta. Audito eius clamore, accurrere sorores, in lectum suum illam reclinant. Recedentibus illis, cum paululum respirasset, solaque iaceret, daemon iterum affuit, et verbis quibusdam amatoriiis eam sollicitare coepit. Cui⁵⁾ cum contradiceret, intelligens spiritum eum esse malignum; respondit ille: Bona Aleidis, noli sic dicere, consenti mihi, et ego te habere faciam virum honestum, probum, nobilem, divitemque. Quare fame te crucias in hoc paupere loco, vigiliis aliisque multis incommodis ante tempus te interficiendo? Revertere ad saeculum, et⁶⁾ utere deliciis, quas Deus homini creavit; nihil tibi, me duce, deesse poterit. Tunc illa: Doleo quod tamdiu te secuta sum, recede, quia⁷⁾ non acquiescam tibi. Post haec verba daemon nasum mungens⁸⁾, contra eam ipsam immunditiam ad parietem lecti tam fortiter proiecit, ut pars aliqua resiliens, vesti-

*) Homil. I. p. 25. — 1) ABP infestatione. — 2) BP civitatis. — 3) Langwaden villa in Dioecesi Coloniensi, prope Wevelinghoven. — 4) AP et contemplata esset. — 5) P quae; paulo post B eum spiritum esse malignum, D eum spiritum malignum esse. — 6) et om BC. — 7) quia om BC. — 8) P emungens.

mento eius adhaereret; sicque disparuit. Eratque emunctio ipsa sicut pix nigerrima, et tanti foetoris, ut tolerari non posset. Deinde cum spiritus ille nequissimus die noctuque esset ei infestissimus, suaserunt quaedam ex sororibus, ut aquam benedictam semper paratam haberet, qua venientem aspergeret; aliae vero, ut eundem, si aquam non timeret, thurificaret. Omnia quidem haec tentavit, sed modicum ei profuit. Nam quotiens contra se signum crucis factum vidit, aspersionem etiam, sive thurificationem, ad modicum quidem cessit, sed mox ¹⁾ rediit. Tunc una ceteris sororibus aetate maturior atque prudentior, suavit ei, quatenus daemonem propius accedere sineret, et tunc alta voce salutationem angelicam in eius faciem iacularet. Quod cum fecisset, diabolus, ac si sagitta esset percussus, vel turbine impulsus, aufugit, nec unquam propius ei ex illa hora accedere praesumsit. **NOVICIUS:** Hactenus mirabar ²⁾, quod diabolus angelicam salutationem dicere vel incipere non potuit, sicut te dixisse recolo superius capitulo sexto. **MONACHUS:** Huius loci ibidem recordatus sum. Sanctimonialis vero tali iaculo munita, daemonem ab illa hora vidit sine terrore, et audivit sine timore. Die quadam de his loquens cum viro quodam religioso, suavit ille ei ³⁾ dicens: Fac Priori tuo confessionem generalem pure, plene ac devote, in quantum occurrunt memoriae ⁴⁾, et liberaberis omnino a daemonis huius infestatione. Cui cum consilium tale placuisset, mox accedens ad Priorem, rogavit sibi praefigi locum et horam audiendae confessionis. Mane, dictis matutinis, illa se praeparans, festinavit ad locum praefixum, capellam scilicet monasterio adhaerentem, ubi Prior exspectabat. Et ecce, daemon occurrens in via festinanti, dixit: Aleidis, quo vadis? quo properas? Et illa: Vado confundere me et te. Tunc daemon: O Aleidis, noli, noli, revertere, revertere. Respondit illa: Saepius confundisti me, ego modo confundam te. Non revertar. Quam cum non posset blanditiis sive minis retrahere, sequebatur eam usque ad locum confessionis, sicut milvus in aere super ipsam volitans. Quae mox ut genua coram Priore flectens ad confessionem os ape-

1) P statim. — 2) ABCDPK hactenus non mirabor, R deinceps non mirabor. Conf. infra VI, 15. VII, 45. VIII, 86. — 3) ABP ei ille. — 4) C memoriae occurrunt, P occurrit memoriae.

ruit, ille clamans et eiulans evanuit, nec unquam ab illa hora ab ea visus vel auditus est. Ecce hic habes manifestum exemplum, quantae virtutis sit pura confessio. Haec mihi relata sunt a domino Hermanno Abbate Loci sanctae Mariae. Cum ¹⁾ talia, fama divulgante, cognovisset de praefata femina, sibi, cum esset Bonnae canonicus, optime nota, ad locum per se ipsum accessit, et eo ordine, quo dicta sunt, ab illius ore cuncta audivit. NOVICIUS: Si confessio tanti ponderis non esset, nequaquam daemones tam graviter turbaret. MONACHUS: Occurrit aliud ²⁾ exemplum, in quo satis cognosces, quam gravissime exacerbentur, cum peccata nostra confitemur. Haec quae dicturus sum, post conversionem meam facta sunt, et a domino Karolo mihi relata, aliquando Priore nostro, tunc Abbate Vilariensi; sed nomen personae sive ³⁾ loci satis doleo me non retinuisse. Ait enim sic:

CAPITULUM XIV.

De sacerdote a diabolo per prophetiam mortis decepto, et per confessionem liberato.

Erat quidam sacerdos, et adhuc est, admodum religiosus et ob vitae meritum multis dilectus, in partibus nostris parochiam regens. Invidens gratiae eius milleartifex diabolus, nolebat eum apertis tentationibus molestare, sperans illum sub specie boni ad suum consilium efficacius inclinare. In angelum lucis se transfigurans minister ille tenebrarum, ostendit se sacerdoti, et ait: Amice Dei, missus sum ad te, nunciare quae ventura sunt tibi. Praepara te, quia hoc anno morieris. Sacerdos vero, nullam habens de angelo malo suspicionem, sed ita credens esse futurum, ut praedixerat, coepit se diligenter quasi ad mortem praeparare, conscientiam per confessionem mundare, corpus ieiuniis, vigiliis assiduisque orationibus castigare, annonam suam cum suppellectili egentibus erogare. Cumque multi ab eo quaerent, cur tam indiscrete sua distraheret, uni tamen ⁴⁾ illorum sub typo confessionis causam aperuit, dicens: Angelus Domini revelavit mihi, quod hoc anno moriturus sim ⁵⁾. Ille vero, cum hoc minime celare

1) R qui cum. — 2) C mihi aliud. — 3) R ac. III, 24: nomen vero domus sive personae subticuit. III, 32. VIII, 32. — 4) BC tantum. — 5) CP sum.

posset, alteri cuidam sibi familiari dixit; sicque per eum ad notitiam totius parochiae pervenit. Anno expleto¹⁾, sacerdos non est mortuus, et inventus est falsus propheta diabolus. Et quia electis omnia cooperantur in bonum²⁾; in eo, in quo vir sanctus videbatur a diabolo deceptus, est promotus. Nimis enim de tam dolosa circumventionē erubescens, propter homines, ad quos verbum pervenerat, nec habens unde viveret, saeculum cum parochia deseruit, et in quadam domo ordinis nostri, cuius nomen excidit, se convertit. Facto eo novicio, iterum diabolus affuit, et huiusmodi verbis praedictum dolum palliavit: Ne turberis, inquit, homo Dei³⁾, quod mortuus non es, ut praedixi, quia Deus sua providentia vitam tuam distulit ad multorum aedificationem. Missus sum ab illo, ut tibi assistam, instruam et custodiam. Et credidit ei ille. Circa quem diabolus frequenter versabatur, et semper, sicut postea notavit, ad ea quae ad commodum sunt, eum hortabatur. Cum eum fervor quandoque impelleret amplius orare, vigilare, sive manibus laborare, arguit eum ille⁴⁾ dicens: Discretio mater virtutum est. Diu adhuc poteris vivere, et ideo tibi debes parcere, ut possis Deo diu servire. Quando lapidem levare volebat maiorem, iterum dicebat: Nimis magnus est, leva istum. Cum factus esset monachus, ait illi: Roga Priorem, ut concedat tibi ire ad singulares labores, quatenus liberius⁵⁾ uti possis meo colloquio, et ego tuo. Et licentiavit ei Prior, ut causam cognovit. Nocte quadam volens diabolus dolum diu praetractatum⁶⁾ perducere ad effectum, intempesta nocte ad lectum monachi accessit, excitans eum et dicens: Surge, Dominus vult remunerare labores tuos magnos. Vade ad cameram privatam, et in tali trabe zona tua suspendas te, ut sic martyrem recipiat te. Audito hoc verbo monachus expavit, et contra diabolum crebrius spuens, clamavit: Recede, inique, a me, recede; modo novi quis sis. Et signans se, fugavit illum. Vides quanta sit circa nos clementia divina. Bene permisit ut servum suum diabolus in bono, licet insidiose, subtiliori propositione exercitaret; noluit tamen ut gros-

1) P completo. — 2) Rom. 8, 28. — 3) Dei om P. — 4) C ille eum. — 5) B uberius. — 6) BCP protractum. Vit. S. Engelbert. II, 1. apud Boehmer. in Font. Rer. Germ. II. p. 307: „atque inde coniici potest, hoc sacrilegium non tum primum, cum Episcopus occisus est, fuisse conceptum, sed diu praetractatum.“ Sic enim legendum pro pertractatum.

sam assumptionem subinferret, ne simplex deceptus, conclusionem aeternae mortis incurreret. Statim surgens, ad lectum Prioris accessit, et ¹⁾ dormientem excitavit, signum ei faciens confessionis. Illo innuente, ut exspectaret usque mane, cum non acquiesceret, surrexit, atque cum eo Capitulum intravit. Mox se monachus prosternens ad pedes Prioris, confessus est qualiter a diabolo sub angeli specie sit multo tempore deceptus, et per consilium suspendii a se deprehensus. Confessus est et alia peccata sua. Cui cum Prior aliquam poenitentiam iniunxisset, et ut de cetero cautior foret monuisset, ad lectum suum rediit. Monachus vero, ob necessitatem naturae, privatam ascendens, dum in una sedium sederet, daemone per confessionem exacerbato cum arcu extenso sagittaque imposita contra se vidit stantem et clara voce dicentem: Malo tuo confudisti me, ecce nunc occidam te. Cui cum ille responderet: Vade, maledicte, iam non timeo te; ad signum crucis evanuit; sicque per virtutem confessionis liberatus, amplius daemone non vidit. NOVICIUS: Quid est quod huic sacerdoti diabolus nocere non potuit; Arnoldum vero plebanum sancti Remigii, de quo supra dictum est, tam crudeliter occidit? MONACHUS: Sicut dicit Psalmista: *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet* ²⁾). Unde et eiusdem plebani filiam corripuit, virgini vero de Nivella nocere non potuit. Non sine causa diabolus tantam potestatem accepit in utrumque, patrem scilicet et filiam. NOVICIUS: Si daemones tantum turbantur, cum peccata nostra confitemur, puto eos plurimum exhilarari, cum eadem per silentium tegimus. MONACHUS: Hoc certissimum est. Hoc plenius agnosces in distinctione septima capitulo decimo, ubi gratia beatæ Dei genitricis quibusdam ad confitendum lingua reserata est. Ipsi enim gloriosæ Virgini eadem distinctio assignabitur. NOVICIUS: Ex his quæ dicta sunt satis intelligo, confessionem animæ esse medicinam; nunc nosse vellem ³⁾, si aliquid salutis per eam corpus recipiat. MONACHUS: Utriusque hominis medicina est: nam sicut animam peccatoris liberat a poena gehennali, sic nonnunquam corpus liberat a poena temporali. NOVICIUS: Videtur mihi utile nimis de his exempla audire,

1) et om BC. — 2) Psal. 144, 20. — 3) C vellem nosse.

quia multi sunt, si scirent fructum corporalem esse in confessione, paratiores essent in illius executione. MONACHUS: Numquid non memor es, qualia vel quanta dominus Walterus Abbas Vilariensis nobis dixerit de confessione, veniens de sollemni curia Franckinvord, in qua filius Frederici Regis Romanorum electus est in Regem? NOVICIUS: Bene quidem recordor, sed quia mens hominis labilis est memoriae, placet semel audita, maxime quae saluti sunt necessaria, saepius audire. MONACHUS: Cum essem, inquit, Franckinvord, et loquerer cum magistro Conrado Decano Spirensi, inter cetera dixi illi: Quaedam novi de confessione, quae vos praedicatores scire deberetis. Praedicabat enim crucem; et rogavit me illa replicare. Quorum tenor talis est.

CAPITULUM XV.

De clerico Attrabatensi eiusque sorore, quae de incendio per confessionem liberata est, cum argentarium interfecissent.

Apud civitatem Attrabatensem ¹⁾ ante annos paucos iuvenis quidam clericus exstitit, de eadem civitate natus, delicatius ibidem ab infantia educatus ²⁾, et inter honestos clericos conversatus. Qui cum non haberet aliquod stipendium ecclesiasticum, et mater eius coepisset egere, puduit eum manere cum illa. Inflatusque spiritu diabolico, ad domum cuiusdam divitis argentarii venit cum dolo. Cui et dixit: Mercator quidam dives venit in domum meam, volens comparare scyphos argenteos, calices etiam, et alia quaedam vascula, sive ornamenta de auro sive argento fabrefacta ³⁾. Si quid de tali opere vendere volueris, in saccello pone, et tali hora solus, quia secretum vult esse, venias ad domum meam. Argentarius de clerico bene sibi noto nullam habens suspicionem, ut iusserat fecit, tamen quo iturus esset familiae suae notificavit. Quem cum clericus solum venientem aspiceret ⁴⁾, post ostium se abscondit, intrantisque cerebrum securi divisit, et occidit. Deinde cum sorore virgine hominem membratim dividentes, in cloacam proiecerunt. Familia vero aurificis ⁵⁾, cum redire tardaret, ad domum clerici venit, ubinam dominus

1) Arras. — 2) C educatus ab infantia ibidem delicatius. — 3) C sive de argento fabricata. — 4) C prospiceret. — 5) R artificis.

suus esset inquisivit, clerico cum sorore respondentibus: Non venit huc. Quorum verba suspecta habentes, et oculis circumspicientes, vestigia fusi sanguinis reppererunt. Quibus crimen mox homicidii ¹⁾ imponentes, accitis ²⁾ iudicibus, cum iam negare non possent, tum pro fusi cruoris ostensione, tum pro thesauri repertione ³⁾, sententia data est, ut ambo mitterentur in ignem. Similis casus Coloniae contigit cuidam monetario temporibus meis. Quid plura? Cum ducerentur ad poenam, dicebat puella germano: Frater, propter te modo ducor ad mortem, neque ob aliam causam cooperata sum tibi in hoc homicidio, nisi ut crimen tuum celarem. Attamen quia evadere non possumus mortem imminens, consilium meum est, ut de commisso faciamus confessionem, ut saltem poenam evadamus aeternam. Ad haec verba clericus indignatus, quia desperatus, respondit: Non faciam. Quid enim mihi prodesse posset confessio tam tarda? Illo indurato, puella petivit sacerdotem, cui cum multa contritione confessa est crimen. Deinde ambo ligati sunt in stipite uno, igne copioso circumposito. Mira virtus confessionis, mira clementia Salvatoris. Clericum desperatum mox flamma devoravit, puellam vero ignis non tetigit, neque contristavit, nec aliquid molestiae intulit. Vincula tantum eius, sicut legitur de tribus pueris, combussit, ita ut libere deambulare posset; nec aliter sensit flammaram ardorem, quam ventum roris flantem ⁴⁾. Viso tanto miraculo, iudices puellam innocentem aestimantes, iusserunt ut exiret; sicque per confessionem incendii illius evasit ardorem. NOVICIUS: Quid iudicas de clerico? MONACHUS: Hoc quod in superiori distinctione capitulo sexto de se iudicavit Hildebrandus, desperatus latro ⁵⁾: Aeternaliter, inquit, damnatus sum, aeternisque incendiis propter desperationem maxime deputatus. Si egissem poenitentiam confitendo culpam, per poenam temporalem evasissem aeternam. Retulit nobis idem Abbas aliud miraculum, in quo adhuc amplius manifestata est virtus confessionis, in hunc modum.

1) BC mox crimen homicidii, P crimen homicidii mox. — 2) ABCD ascitis. — 3) II, 23: tum pro magnitudine miraculi, tum pro poenitentia cognati. — 4) Dan. 3, 50. — 5) CP latro desperatus. Latro, id est, homicida. Eodem sensu Barabbas latro dicitur apud Johan. 18, 40.

CAPITULUM XVI.

De haereticis apud Cameracum per candens ferrum examinatis et combustis, ex quibus unus beneficio confessionis salvatus est.

In Cameraco ¹⁾ civitate episcopali infra hoc quinquennium plures haeretici comprehensi sunt, qui omnes timore mortis suam perfidiam negaverunt. Missus est ab Episcopo clericus, qui negantes per candens ferrum examinaret, adustos haereticos ²⁾ sententiaret. Examinati sunt omnes, et combusti sunt omnes. Qui cum traherentur ad poenam, unus ex eis vir nobilis sanguine, reservatur a clerico ad vitam, si forte illum quoquo modo reducere posset ad poenitentiam. Cui sic dixit: Homo nobilis es, misereor tui, et ³⁾ compatior animae tuae; rogo et moneo, ut adhuc de tanta perfidia resipiscas, de ⁴⁾ errore ad veritatem redeas, ne per mortem temporalem mortem incurras aeternam. Ad haec ille respondit: Experimento didici me errasse; si ⁵⁾ sera poenitentia mihi prodesse posset, non renuerem confiteri. Cui cum ille diceret, poenitentiam veram nunquam esse seram; vocavit sacerdotem. Confessus est homo suum errorem, ex toto corde Deo promittens, si vita concederetur, satisfactionem. Ut autem pius Dominus vim ostenderet confessionis, mox ut poenitens coepit peccata sua confiteri, coepit et ⁶⁾ ipsa combustura in manu confitentis paulatim minui. Quae in tantum eo aspiciente decrevit, in quantum confessio profecit. Medietate confessionis peracta, media pars plagae est sanata. Ut autem confessionem totam complevit, et ⁷⁾ virtus ipsa confessionis omnem combusturam tam in dolore quam in colore delevit, et manus pristinam sanitatem recepit. Vocatus est vir a iudice ad ignem. Ad quem clericus: Quare eum vocatis ⁸⁾? Ut ardeat, inquit, eo quod in examinatione combustus sit. Tunc clericus ostendens manum eius sanissimam, liberavit eum a poenis, ceteris igne consumtis. Haec cum audisset magister Conradus, respondit Abbati: Et ego dicam vobis simile, quod ante paucos annos apud Argentinam recordor contigisse.

1) Cambray. — 2) ABP haereticos esse. — 3) et om BC. — 4) P et de. — 5) C sed si. — 6) et om C. — 7) et om BC. — 8) B vocastis.

CAPITULUM XVII.

Item de decem haereticis apud Argentinam¹⁾ examinatis et combustis, quorum unus dum esset per confessionem sanatus ac liberatus, per mulierem deceptus, redivivo incendio damnatus est.

Decem haeretici in eadem civitate, scilicet Argentina, quae est Strazburg, comprehensi sunt. Qui cum negarent, per iudicium candentis ferri convicti, sententia incendii sunt damnati. Die statuto cum ducerentur ad ignem, quidam ex comitantibus uni illorum dicebat: Miser, damnatus es, age vel nunc poenitentiam, peccata tua confitendo, ne post incendia corporis, quae momentanea sunt, animam tuam ignis gehennalis aeternaliter comburat. Cui cum ille diceret: Considero me bene²⁾ errasse, sed timeo poenitentiam tantae necessitatis minus acceptam esse Deo; respondit: Ex corde tantum confitere, misericors est Deus, et³⁾ poenitentem suscipiet. Mirares. Mox enim ut homo confessus est perfidiam, manus eius plenam recepit sanitatem. Tardante eo in confessione, cum a iudice vocaretur ad poenam, confessor eius iudici⁴⁾ respondit: Non iustum est, ut homo innocens damnetur iniuste. In cuius manu dum nullum vestigium combustionis reperiretur, dimissus est. Habebat idem homo uxorem non longe a civitate manentem, horum quae dicta sunt prorsus ignaram. Ad quam cum venisset gaudens, dixissetque: Benedictus Deus qui me liberavit hodie ab interitu corporis et animae, causam ei exponens; respondit illa: Quid fecisti, o miserrime, quid egisti? Ut quid propter momentaneum dolorem recessisti a fide tua sana et sancta? Magis debueras, si fieri posset, centies corpus tuum incendiis subiicere, quam a tam probata fide semel recedere. Sed, quem non seducat vox serpentina? Immemor ille beneficii divinitus sibi collati, immemor tam evidentis miraculi, consilio uxoris acquievit, et errorem pristinum resumpsit. Deus vero non immemor vindictae, pro tanta ingratitude, manum plagavit utriusque. Renovatum est incendium in manu haeretici, et quia coniux auctrix exstitit

1) apud Argentinam om C; ceteri autem habent apud Spiream. — 2) AP considero quidem me, D considero me quidem, C considero me. — 3) et om BC. — 4) iudici om D.

resumpti erroris, consors facta est redivivi doloris. Tam vehemens erat incendium, ut ossa manuum penetraret. Et cum uti non auderent clamoribus in villa, quos vis extorsit doloris, fugerunt in nemus vicinum, illic ut lupi ululantes. Quid verbis immorer? Prodi sunt, in civitatem reducti sunt, simulque in ignem nondum plene extinctum missi, et in cinerem¹⁾ redacti. NOVICIUS: Juste actum est cum istis. MONACHUS: Confessione pura pugnantes merentur victoriam, damnandi indulgentiam.

CAPITULUM XVIII.

De milite, qui ob meritum confessionis coram Henrico Imperatore in duello triumphavit.

Tempore illo quo Henricus Imperator, pater Frederici, qui nunc regnat, novissime intravit Lombardiam²⁾, accusatus est apud eum ab eisdem Lombardis³⁾ castellanus quidam de rapinis aliisque insolentiis multis. A quibus etiam adductus est pugil quidam fortissimus, giganteae altitudinis, qui eum monomachia impeteret. Nolens eis Imperator negare iustitiam, militem adesse praecepit. Quem cum gigas ille ad duellum secundum ius civile citaret, frater eiusdem militis ad pedes Imperatoris se prostravit, et ut sibi pro germano tenerrime dilecto pugnare liceret, multis⁴⁾ lacrimis obtinuit. Qui cum se praeparasset diligentissime per contritionem, confessionem et orationem, omnem suam spem in Christo posuit, cuius signaculum tam in veste quam in clipeo atque manu⁵⁾ pugnaturus pro munimento circumtulit. Erat enim vir gracilis, nec multum fortis. Cui cum occurrisset pugil aspectu horribilis, alterum se illi exhibens Goliath, ictum tam valide in clipeo eius dedit, ut tonitruum putares⁶⁾. Miles vero ictum ictui continuans, antequam manum retraheret, cum tanto nisu illam⁷⁾ percussit, ut baculum lapsum levare non posset. Deinde crebris ictibus mactans pugilem, per confessionis virtutem vicit insuperabilem. Qui, sicut mihi retulit Henricus monachus noster, qui praesens fuit, sicut bos mugiens, in

1) C pulverem. — 2) BP Longobardiam. — 3) ABDP Longobardis. — 4) B cum multis. — 5) D atque in manu. — 6) DP putaret. XI, 56: ut caballos indomitos putares. — 7) CD illum.

haec verba prorupit: Vae mihi misero, quomodo tam turpiter confusus sum ab hoc homunculo? Sicque per fratris humilem confessionem, homo morte dignus evasit mortem, adeptus est victoriam. Quod autem damnandis confessio tribuat veniam, praesto est exemplum.

CAPITULUM XIX.

De fure, qui Coloniae beneficio confessionis mortem evasit.

Circa illa tempora, quando positus fui ad literas, fur quidam in cippo tenebatur ante Portam Martis Coloniae. Quem sacerdos quidam satis laudabilis vitae, nomine Eustachius, eiusdem portae capellam regens, invisit, confessionem audivit, et per eleemosynas suas visitavit. Et, sicut mihi retulit idem sacerdos, saepe ei ex industria mittebat scyphum suum, in quo ipse bibere consuevit. Viderunt haec ¹⁾ homines, et mirabantur. Et cum honor a sacerdote tali furi exhibitus delatus fuisset ad iudices, hominem innocentem putantes, dimiserunt illum. NOVICIUS: Quare non consequuntur huiusmodi beneficia omnes rei ²⁾ per confessionem? MONACHUS: Non expediret, quia multis fieret occasio peccandi. Vult Deus aliquando huiusmodi miracula fieri per confessionem exempli causa, ut quantum animae, cuius medicina est, valeat, per signa exteriora ostendat. Bene vult ut reus post ³⁾ confessionem puniatur in praesenti, ne eum in futuro puniat, quia non punit bis in idipsum ⁴⁾. De hoc tibi dicam manifestum exemplum a quodam ordinis nostri Abbate mihi relatum.

CAPITULUM XX. *)

Item de fure, qui ab Episcopo Leodiensi ob versiculum Psalmi centesimi quinti sententiam mortis accepit.

In Ecclesia ⁵⁾ Leodiensi Episcopus quidam fuit, vir religiosus ac timens Deum. Die quadam cum sederet in capella sua solus tempore quadragesimali, et psalterium lectitando, venisset ad illum locum ⁶⁾ Psalmi centesimi quinti, scilicet:

1) DP hoc. — 2) P omnes rei huiusmodi beneficia. — 3) BC per. — 4) Nahum 1, 12. — *) Homil. II. p. 111. — 5) C civitate. — 6) AP locum illum.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ingressus quidam ex officio, orationem eius interruptit dicens: Domine, quid iubetis ut fiat ¹⁾ de illo criminoso? Episcopus misericordia motus, respondit illi: Parce pauperi propter sacrum tempus Quadragesimae. Recedente iudice, ut reum dimitteret, Episcopus reflexit oculos ad Psalmum dimissum, statimque occurrit ²⁾ versiculus: *Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore.* Qua voce territus, ac si divino responso correptus esset et instructus, sicut revera fuit, iudicem revocavit, dicens: Discute causam diligenter hominis ³⁾, et iuste iudica illum. Sicque ob vocem propheticam reus vita privatus est. Forte iste contritus decessit, et si supervixisset, deterior factus, mortem incurrisset aeternam, sicut supra legitur de haeretico Strazburgensi per confessionem sanato et recidivo. NOVICIUS: Placet quod dicis. MONACHUS: Confessio summum remedium est in periculis, etiam in mari longe.

CAPITULUM XXI.

De peregrinis, qui propter peccata unius hominis in mari periclitati, eiusdem confessione sunt liberati.

Peregrini quidam, sicut magister Johannes Xantensis populo recitavit, in suis stationibus crucem praedicans, cum tempore quodam transfretarent in succursum terrae sanctae, orta est eis in mari tempestas tam valida, ut navis ipsa operiretur fluctibus. Fremebant venti, excitabantur fluctus turbulenti, nutabant viri fortissimi, spes omnis ⁴⁾ nautarum defecit. Videntes ante oculos mortem, coeperunt singuli, unusquisque sibi vicino de peccatis suis facere confessionem. Et merito. Nam propter unius hominis peccata Dominus eandem excitaverat tempestatem. Erat enim in navi illa homo quidam miserrimus, homo foetidissimus, cuius peccata fuere tam gravia, tam turpia, tam horrenda, tam in quantitate quam in qualitate, ut nec ipsum mare pondus illorum posset portare. Cum natura eius sit eiicere immunditias quaslibet corporales, quomodo aequanimiter sustineret tantas immunditias spiritua-

1) ut fiat om B. — 2) P occurrit ei. — 3) BC diligenter causam hominis, D causam hominis diligenter. — 4) BD omnium.

les, id est, peccata Creatori suo contraria? Timens homo ille peccator vitae suae simul et ¹⁾ animae, et propter se omnes alios periclitari considerans, surrexit et ait: Audite, fratres, audite. Si propter peccata tempestas haec orta est, ego occasio sum tanti periculi. Rogo ut audiatis confessionem meam. Tacentibus omnibus coepit voce valida tantum venenum peccatorum evomere, ut aures humanae etiam horrerent audire. Mira clementia Dei. Mox ut massam iniquitatis per confessionem eiecit, mare furens siluit, et facta est tranquillitas magna, ita ut omnes mirarentur. Miris miranda succedunt. Statim ut navis ad litus pervenit, audita peccata Deus de memoriis ²⁾ singulorum delevit. Bene permisit, ut quamdiu erant in navi conclusi ³⁾, confunderetur in aspectu illorum; et ne exeuntes forte eius peccata propalarent, vel improperarent, induxit eis oblivionem. Bene retinuerunt se in mari fuisse periclitatos, hominem aliquid fuisse confessum; sed quid dixisset, prorsus ignoraverunt. Et hoc ipsum didicit experimento. NOVICIUS: Valde laetificant ista; sed mirum videtur, quod ob unius hominis peccata Dominus tantam turbavit multitudinem. MONACHUS: Legimus propter inobedientiam Jonae mare turbatum, et ⁴⁾ nautas periclitatos, illoque eiecto, mox mare stetisse a fervore suo. Nam sicut ob unius hominis peccatum aliquando Dominus multitudinem temporaliter affligit, ita propter unius iusti merita frequenter multis parcit. De hoc plurima habentur exempla. NOVICIUS: Scio nihil fieri sine iusto Dei iudicio; sed summae iudico esse dementiae, quod homo sciens se esse in peccatis mortalibus, periculis se audet committere. MONACHUS: Quibus nota est medicina confessionis, nec una die morari debent in peccatis, neque differre confessionem, nisi necessitas excludat confessorem ⁵⁾. Audi de hoc Episcopi cuiusdam verbum bonum, verbum sanctum, verbum memoria dignissimum.

1) C homo ille vitae suae pariter et. — 2) C memoria. — 3) C inclusi, et paulo post conspectu. — 4) et om BC. — 5) DP confessionem. Homil. III. p. 154: „modicum prodest cordis contritio, ubi non sequitur oris confessio, neque pro facto reputabitur voluntas, nisi confessorem excludat necessitas.“

CAPITULUM XXII.

De quodam Episcopo Angliae, qui moriens propter exemplum noluit confiteri.

Sicut didici a quodam Abbate, nuper in Anglia Episcopus quidam defunctus est ordinis Praemonstratensis, vir bonus et magnae religionis. Hic cum ageret in extremis, nec confessorum requireret, dixerunt ei clerici sui: Domine, debilis estis valde, quare non facitis confessionem vestram? Respondit Episcopus: Non faciam. Illis verbum exhortationis repetentibus, adiecit: Putatis, stolidi, quod usque ad hanc horam distulerim confessionem meam? Dixerunt ei iterum: Consiliis Regis ¹⁾ interesse solebatis. Quibus rursum respondit: Non aliter fui coram Rege, quam Christus coram Pilato. Haec ²⁾ quidem dixit et fecit Episcopus ille sanctus pro exemplo, sciens scriptum: *Ante mortem confitere; a mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius* ³⁾. Quotidie solitus fuit mundare conscientiam, nec differre ⁴⁾ confessionem suam de die in diem, sicut multi faciunt. Qui etiam post mortem miraculis claruit. NOVICIUS: Sicut colligo ex verbis Episcopi huius, non est perfectorum confessionem differre. MONACHUS: Dilatio ista confessionis ad memoriam mihi ⁵⁾ revocat casum quendam, qui anno praeterito apud nos contigit.

CAPITULUM XXIII.

De quodam monacho nostro, qui iam moriens primo plenariam fecit confessionem.

Quidam ex senioribus nostris, quem nolo nominare, habebat hanc consuetudinem, sicut ceteri multi, saepius renovare ⁶⁾ confessionem, ita ut Abbas putaret quod generalis esset, eo quod a pueritia usque ad senectutem peccata sua commemoraret. Ante mortem suam per aliquod tempus debilis, subito defecit et obmutuit. Accurrimus omnes, inungentes eum oleo

1) C Regum. — 2) P hoc. — 3) Eccli. 17, 26. — 4) AD differre, C differre voluit. — 5) mihi add BC. — 6) P revocare.

sancto. Die, ut puto, sequenti dominus Abbas venit, in cuius adventu Dei misericordia desperati linguam reseravit, et coepit confiteri peccata quaedam mortalia ante conversionem commissa, quae nunquam ei fuerat confessus. Territus vero Abbas, requisivit si unquam ¹⁾ eadem fuisset confessus peccata. Aliis, inquit, Abbatibus dixi ea. Habuerat ante ipsum tres Abbates ²⁾. Et sicut retulit nobis Abbas noster, propter hoc Dominus, qui magnos eius labores respexit, os aperuit, ut esset confessio eius integra. NOVICIUS: Quid si aliis Abbatibus de quibusdam peccatis mortalibus novissimo ³⁾ confessis Abbati simili modo aliqua ⁴⁾ ex verecundia subticuerat? MONACHUS: Sicut dixi in primo capitulo huius distinctionis, sicut confessio debet esse ⁵⁾ nuda et debita, ita debet esse integra, id est, non per plures confessores divisa. Quid prodest, ut ait Beda super Lucam, si tota civitas custodiatur, et unum foramen, per quod hostes intrent, relinquatur? Audi quid dicat Osee Propheta de semiplene confitentibus: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius; dolores parturientis venient ei* ⁶⁾. Spero enim ⁷⁾ eum alicui Abbatum integram fecisse confessionem, quia vir erat prudens, et multas in illo vidimus virtutes. NOVICIUS: Si peccaret confitens cum confessore, posset ei fructuose eadem confiteri peccata? MONACHUS: Talis confessio nulla est, quia nulla ibi erubescencia, neque aliqua ibi denudantur peccata. Dicam tibi pro exemplo, et ad solutionem tuae interrogationis quendam miserabilem ⁸⁾ casum, qui ante paucos annos contigit, quem dominus Abbas Cisterciensis omnibus Abbatibus in generali Capitulo loco sermonis recitavit, monens ut singuli eum monachis suis ⁹⁾ ad cautelam referrent.

CAPITULUM XXIV.

De confessore, qui cum adolescente peccavit, atque post mortem ad confessionem eundem hortabatur.

In quodam, inquit, monasterio sacerdos quidam nuper de-

1) B nunquam; conf. supra I, 40. p. 51. — 2) B habuerat enim tres Abbates ante ipsum. — 3) BD novissime. — 4) aliqua om C. — 5) AP esse debet, hic et paulo post. — 6) Ose. 13, 12. 13. — 7) R autem; sed eodem modo in Homil. IV. p. 44. Mox eum add BC. — 8) P mirabilem; paulo post C annos paucos. — 9) C monachis suis eum, D eum suis monachis, B suis monachis.

functus est, cui Abbas suus ob meritum vitae ¹⁾ iniunxerat, quatenus fratrum suorum confessiones audiret. Nomen vero domus sive personae subticuit. Erat in eadem domo adolescens quidam, qui ad eum confitendi causa frequenter venit, cum quo, diabolo instigante et humana fragilitate consentiente, idem confessor semel tantummodo peccavit. Statim opere perpetrato, coepit dolere et flere amarissime, dicebatque iuveni: Male fecimus; aliis hoc peccatum confiteri ob verecundiam non possumus ²⁾, sed consulo ut tu mihi confitearis, et ego tibi, alterque ab altero suscipiat poenitentiam. Quid plura? Placuit iuveni consilium, confessi sunt peccatum invicem, et tam duram unus ab altero suscepit poenitentiam, qualem nec Abbas sive aliquis confessorum illis iniunxisset. Parvo post tempore sacerdos idem infirmatus est usque ad mortem. Et cum iam in extremis ageret, et ad exitum festinaret, timore gehennae peccatum utcunque ³⁾ dixit; personam vero peccati consortem, non expressit. Defuncto eo, Abbas vehementer doluit, quod scire non potuit cum quo peccasset. Ait tamen intra se: Ad confessionem tibi veniet, quisquis est ille. Interim mortuus clara die apparuit adolescenti cum esset solus, facie lurida et veste trita. Quem ut ⁴⁾ ille vidit, mox agnovit, timuit et exhorruit. Cui mortuus: Sta, ne timeas, quia propter te veni, ut indicem tibi de statu meo. Confortatus iuvenis verbis eius et animatus, cum interrogaret, unde veniret, vel quid quaereret; respondit ille: In maximis poenis sum propter illud tantum quod tecum commisi peccatum; ignea enim catena genitalia mea constringit ⁵⁾, qua suspensus torqueor. Confessio illa, quam fecimus invicem, nihil mihi profuit, quia nulla fuit. Et nisi in extremis quoquo modo peccatum expressissem, aeternaliter damnatus fuisset. Cui cum iuvenis dixisset: Est aliquid, quod possit vobis prodesse ⁶⁾? respondit ille: Si tu pure et plene confessus fueris peccatum tuum ⁷⁾, multum mihi proderit; sin autem, aeterna te poena suscipiet. Sicque disparuit. Territus iuvenis recenti visione, cum facere vellet confessionem, nec posset propter Abbatis absentiam, interim distulit. Intercedente vero ⁸⁾ temporis dila-

1) BC vitae meritum. — 2) C audemus. — 3) P utriusque. — 4) P cum. — 5) P astringit. — 6) AD vobis possit prodesse, C vobis prodesse possit. — 7) ABP nostrum; mox CP mihi multum. — 8) vero om C.

tionē, timor conceptus coepit tepescere, et ¹⁾ verecundia crescere, in tantumque est erubescētia victus, ut cum Abbas venisset, nihil ei confiteretur. Abbas vero non immemor culpae sibi confessae, cum ad confessionem non veniret quem quotidie exspectavit, cogitavit diligentissime, qualiter male latentem salubriter deprehenderet. Praecepitque toti conventui, sacerdotibus et ²⁾ ordinis inferioris sanis et ³⁾ infirmis, ut omnes, nescio in qua sollemnitate, ad maius altare communicarent. Visum est ei, quod nequaquam auderet accedere ⁴⁾ reus de culpa illa. Sedensque contra altare, respexit ad ora singulorum. Adolescens vero, hoc propter se factum putans, et si se subtraheret, notari timens, cum ceteris accessit. Qui cum propinquasset altari, tantus eum horror invasit, tantus timor perculit, ut et ⁵⁾ praesumptuosus vetaretur procedere, et ocius compelleretur redire. Veniensque ad Abbatem, fecit ei signum confessionis. Qui gaudens et exsultans, dicebat intra se: Eia, certe cepimus bestiam, invenimus praedam, iste enim est. Et surgens intravit cum eo Capitulum. Cuius pedibus iuvenis prostratus, fecit de peccato confessionem, retulit visionem, suscepit poenitentiam. Sicque per prudentiam medici denudatum ac sanatum est vulnus stolidi aegroti. Haec nobis retulit dominus Gevardus Abbas noster, rediens de Capitulo generali.

NOVICIUS: Magnum donum Dei est, quod sic mortui vivos hortantur ad confessionem. MONACHUS: Tantum bonum est confessio, ut etiam eo ⁶⁾ utantur spiritus mortuorum. Saepe percipi mortuos vivos apparuisse in somnis, et ob quae peccata detinerentur in poenis, confessos fuisse, et quibus beneficiis liberari possent, veraciter indicasse. Quod postea veracibus signis probatum est. Similibus enim similia ⁷⁾ congauident, quia corpus dormientis modicum distat a mortuo, et dum homo exterior quiescit, interior saepe efficacius vigilat. Non semper somnia sunt vana, sed nonnunquam revelationes divinae, sicut habes de Joseph Patriarcha, de Daniele, de Joseph sponso Mariae et de tribus Magis ⁸⁾. NOVICIUS: Vellem mihi aliquo demonstrari exemplo, quod spiritus mortuorum spiritibus confiteantur vivorum.

1) et om BC. — 2) et om B. — 3) et add BC. — 4) P accedere auderet. — 5) et om BC. — 6) BC ea. — 7) C similibus similia, D simili enim similia, B similia enim similibus. — 8) Genes. 37. Dan. 7. Matth. 1 et 2.

CAPITULUM XXV.

De novicio, qui Abbati confessus est in somnis.

MONACHUS: Juvenis quidam in quadam domo ordinis nostri susceptus est in novicium. Modico elapso tempore, idem novicius graviter infirmatus, ad extrema pervenit. Nondum enim ¹⁾ secundum consuetudinem ordinis confessionem generalem fecerat Abbati ²⁾, quia absens erat. Quem cum exspectaret cum desiderio magno, et ille non veniret, confessus est Priori quaecumque commiserat. Sicque ante Abbatis adventum, diem clausit extremum. Eadem nocte cum Abbas in quadam sua grangia dormiret, et de obitu novicii nihil prorsus sciret, ante lectum Abbatis defuncti spiritus se ³⁾ inclinavit, et ut suam audire dignaretur confessionem, humiliter supplicavit. Abbas iste esse dicitur sanctus Hugo Abbas Bonaevallis ⁴⁾, qui iam incipit clarescere miraculis. Respondente eo novicio, libenter te audiam; ille omnia peccata sua confessus est ei eo ordine et ⁵⁾ modo, quo confessus fuerat Priori. Cuius contritio tanta fuit, ut etiam lacrimae ex oculis novicii se inclinantis et confitentis cadere viderentur super ⁶⁾ pectus Abbatis. Confessione completa, haec verba protulit: Modo, inquit, pater, cum benedictione tua vado, quia salvari non potui, nisi fecissem tibi confessionem meam. Ad quod verbum Abbas evigilans, experiri volens utrum visio esset vera, vel, sicut saepe evenit, phantastica, cucullam circa ⁷⁾ pectus suum palpavit, quam totam invenit madidam, lacrimarumque stillicidiis respersam ⁸⁾. Tunc satis admirans, cum domum redisset, et Priori somnium ⁹⁾ recitasset, respondit ille: Vera fuit visio, et verissima confessio. NOVICIUS: Quid est quod novicius dixit, se non posse liberari sine tali confessione, cum confessionem debitam non excluserit contentus ¹⁰⁾, sed necessitas? Si contritus decessit, iam de salvandis erat; sin autem, nil ei post mortem confessio profuit, quia a mortuo, quasi non sit, perit confessio ¹¹⁾. MONACHUS: Puto quod Deus tantum verbis vel

1) R autem. — 2) C consuetudinem fecerat Abbati generalem confessionem. — 3) P se spiritus. 4) Bonnevaux, abbatia Galliae in Dioecesi Viennae. Conf. supra I, 38. — 5) BC et eo. — 6) ACDP supra. — 7) P supra. — 8) P perfusam et respersam. — 9) BD somnum. — 10) P ei tempus. S. Bernard. Opp. V. p. 249: „confessionem non contentus exclusit, sed impedivit necessitas.“ — 11) Eccli. 17, 26.

actis eius voluerit ostendere, quantum ei placeat debita confessio, id est, illa, quae fit proprio praelato. Quod autem ait, non potui salvari, sic dictum intelligo, id est, tam cito de purgatorio, sicut modo, liberari ¹⁾. De huiusmodi colloquutionibus ²⁾ mortuorum cum vivis satis audies in duodecima distinctione. Nec te moveat quod spiritus hominum electorum dixi confessos fuisse peccata sua post mortem, cum etiam confessione criminum suorum usi fuisse maligni spiritus memorentur. NOVICIUS: Eorum confessionem audire delector. MONACHUS: Quod ³⁾ dicturus sum, non legi, sed a viris religiosiis audivi.

CAPITULUM XXVI.

De confessione cuiusdam daemonis.

Sacerdos quidam cum tempore quadragesimali in ecclesia sua sederet, et sibi commissorum confessiones audiret, aliis recedentibus atque aliis accedentibus, inter expectantes quidam stabat, quantum ad apparentiam, corpore iuvenis et robustus, confitendi tempus expectans. Omnibus expeditis, ipse novissimus accessit, coram sacerdote genua flexit, et ⁴⁾ ad confessionem os aperuit. Qui tanta et tam enormia confessus est crimina, tam multa homicidia, furta, blasphemias, periuria, discordiae seminaria, et alia his similia, quorum se auctorem, incentorem sive suggestorem esse dicebat, ut sacerdos tam horrore quam taedio gravatus, diceret ad illum: Si mille esses annorum, nimis esset, tam gravia et tam multa te commisisse peccata. Ad quod verbum ille respondit: Amplius sum quam mille annorum. Tunc amplius territus sacerdos ait: Quis ergo es ⁵⁾? Respondit ille: Daemon ego sum, unus ex his qui cum Lucifero ceciderunt. Peccata mea ex ⁶⁾ minima tibi parte confessus sum; si velles audire residua, quae sunt innumerabilia, paratus essem tibi confiteri. Sciens sacerdos peccatum diaboli fore insanabile, dixit: Quid tibi commune cum confessione, o diabole? Respondit daemon: Stabam ex opposito tui, vidique peccatores ad te accedere, et

1) B add non potui. — 2) P collationibus. — 3) B quae. — 4) et om BC. — 5) C es tu. — 6) forte nec ex; mox BC parte tibi confessus sum, A parte confessus tibi sum, D parte confessus sum tibi. Conf. VIII, 60.

iustos redire, auscultans valde diligenter quid illi dixerint, quidve eis responsum sit a te, et quod post gravia peccata promissa sit eis indulgentia vitaeque aeterna. Ego vero, idem sperans consequi, veni tibi peccata mea confiteri. Sacerdos vero, exemplo sancti Martini ¹⁾, diabolo fiducialiter respondit: Si volueris uti consilio meo, et agere poenitentiam de peccatis tuis pure, sicut hi, quos hinc exire vidisti, similem indulgentiam consequeris. Respondit daemon: Si tolerabilem mihi iniunxeris satisfactionem, parebo tibi. Ego, inquit sacerdos, valde modicam, et minorem his, qui ante te confessi sunt, tibi iniungam poenitentiam. Vade et tribus vicibus in die iacta te in terram; sicque prostratus dicas: Domine Deus creator meus, peccavi tibi, ignosce mihi. Hoc solummodo sit poenitentia tua. Cumque diabolus diceret: Non possum hoc facere, nimis est mihi grave; respondit sacerdos: Quare in tam modico gravaris? Non possum, inquit, me in tantum humiliare ei. Aliud quicquid iniunxeris, libens suscipiam. Tunc indignatus sacerdos, subiunxit: O diabole, si tanta est cordis tui superbia, ut nec velis nec possis te in tam modico humiliare Creatori tuo, recede a me, quia neque hic neque in futuro misericordiam ab illo consequeris. Ad quam vocem mox ille evanuit. NOVICIUS: Mirum ²⁾ quod sic se superbus ille spiritus humiliare potuit homini, et non Creatori. MONACHUS: Hoc est quod David Deo dicit: *Superbia eorum, id est, daemonum, qui te oderunt, ascendit semper* ³⁾. Unde statim in sequenti Psalmo subditur: *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur*; quasi dicat: Nos homines confitebimur tibi corde, confitebimur et ore; daemones vero impoenitentes sunt. NOVICIUS: Cum peccator habeat os et linguam ad loquendum, sufficit ei, si peccata sua scripto confiteatur?

CAPITULUM XXVII.

De eo quod non sufficiat scripto confiteri, nisi in necessitate.

MONACHUS: Non videtur ⁴⁾ sufficere, quia ore confessio fit ad salutem ⁵⁾. Qui si semel peccata sua ore fuerit confessus, postea scripto se amplius confundere poterit, sicut poenitentes,

1) Sever. in Vita S. Martin. cap. 24. — 2) BC mirum est. — 3) Psal. 73, 23. — 4) C add ei. — 5) Rom. 10, 10.

et sicut sanctus ¹⁾ Augustinus fecisse legitur, in libro Confessionum. Scholaris ille Parisiensis, de quo supra dictum est distinctione secunda capitulo decimo, quia propter nimiam compunctionem loqui non poterat, defectum illum scripto supplevit. NOVICIUS: Quid est ergo quod in Vita sancti Johannis Eleymon ²⁾ legitur, mulierem quandam ³⁾ peccata sua scripsisse, et sigillata eidem sancto tradidisse, et sine oris confessione, quam sola prohibuit verecundia, indulgentiam consecutam fuisse? MONACHUS: Simile aliquid legitur de Karolo Imperatore in Vita sancti Aegidii; sed miracula non sunt in exemplum trahenda. Hoc etiam scias, quod huiusmodi scripturae authenticae non sunt. NOVICIUS: Iterum quaero, si confitens confessori prodere debeat personam, cum qua peccavit? MONACHUS: Nequaquam, quia poenitentialis hoc prohibet. NOVICIUS: Quare prohibet? MONACHUS: Propter diversa quae inde evenire possent mala. Talis forte esset confessor, qui personam proditam et iam per poenitentiam iustificatam despiceret vel aliquas propter illius inconstantiam tentationes incurreret.

CAPITULUM XXVIII.

Quod confitenti non liceat prodere personam peccati consortem, et exemplum de clerico et sanctimoniali.

Adolescens quidam infirmus, cum cuidam suo concanonicali, nondum sacerdoti, compellente necessitate, confessus fuisset, quod a quadam illectus sanctimoniali, osculatus fuisset eam, interrogatus est, si rem haberet cum illa. Respondente eo, non, sed illa libenter vidisset, satis me ⁴⁾ verbis invitans ad commixtionem, ipsam etiam personam exprimens, confessor eandem personam ab illo tempore semper ⁵⁾ in corde suo despexit, nec potuit eam tantum diligere et venerari, ut ante. Sunt ibi adhuc alia pericula. Talem posset confitens prodere personam, ut inter ipsum et confessorem odium perpetuum nasceretur. NOVICIUS: Verbi causa. MONACHUS: Si diceret confitens: Domine, ego peccavi cum sorore, filia ⁶⁾, vel

1) sanctus om BC. — 2) P Eleymonis, BC Eleemosynarii. Conf. VIII, 77. Beatus Johannes, propter multas eleemosynas Eleymon cognominatus, Episcopus fuit Alexandrinus: Homil. I. p. 113. III. p. 51. — 3) omnes libri mulier quaedam. — 4) sic libri. — 5) semper om BD. — 6) B sorore vestra.

concupina vestra; puto vix posse fieri quin ille turbaretur. NOVICIUS: De hoc mihi dicas exemplum.

CAPITULUM XXIX.

De clerico Susaciensi, qui confessus est sacerdoti, se peccasse cum concubina sua.

MONACHUS: Sacerdos quidam in Susacia habuit concubinam, quam adolescens quidam concupiscens cum eadem peccavit. In Quadragesima vero ad eundem sacerdotem veniens, confessus est peccatum, simul et personam. Quod cum audisset sacerdos, turbatus est valde, et ab illius eum amore¹⁾ abstrahere volens, durius arguit, peccatum aggravavit, poenitentiamque duram nimis iniunxit. Rancor iste sine periculo non fuit. Unde invectio tam aspera, poenitentia tam dura, nisi ex propalata persona? Haec mihi retulit Theodericus Susaciensis monachus noster, qui utrumque novit, sacerdotem videlicet²⁾ et adolescentem. Non ergo prodere debet confitens personam peccati consortem, cum tamen ea, quae peccatum ipsum³⁾ aggravant, confiteri teneatur. NOVICIUS: Vellem instrui quomodo dicere deberet. MONACHUS: Huiusmodi formam posset servare: Domine, ego peccavi cum legitima, concubina, filia vel sorore cuiusdam cognati, affinis, amici vel inimici mei, solis peccatis meis exigentibus, sive ab illa inductus. Et in hunc modum de ceteris peccatis, sive carnalia sint, sive spiritualia. In hunc modum et femina dicat. Quaedam tamen peccata sic committuntur, ut vix exprimi valeant, nisi confessor de persona intelligat. Non inde multum curandum est. NOVICIUS: Quid si duo contra suum praelatum conspirarent, et unus illorum poenitentia ductus, peccatum suum eidem praelato confiteretur, deberet⁴⁾ alterum prodere, an non? MONACHUS: Video ex omni parte periculum. Si non proderet personam, praelatus periclitari posset; si vero proderet, forte perpetuum illi odium adversus conspiratorem suscitaret. Audi exemplum ad cautelam satis necessarium.

1) B amore eum. — 2) BC scilicet. — 3) ipsum om CD. — 4) R deberetne.

CAPITULUM XXX.

De Abbate, qui persecutus est monachum, eo quod ex confessione cuiusdam intellexisset, illum scire sua vitia.

Abbas quidam de claustro mihi bene noto, de quodam vitio notatus fuit. Per cuiusdam monachi sui ¹⁾ confessionem cum intellexisset, hoc alium quendam scire, diabolo instigante, coepit eum occulte persequi, timens ab eo in visitatione accusari. Et cum illum mittere vellet ad quandam domum remotam, nescio quid praetendens occasionis ²⁾, ille bene considerans causam persecutionis, respondit Abbati: Domine, domum meam non demerui, si vultis me mittere ad matrem nostram ³⁾, ibo; sin autem, Visitatorem hic exspectabo. Bene sciebat, quia illuc ⁴⁾ eum non mitteret, ne forte detegeret de quo timebat. Haec mihi relata sunt a quodam seniore domus illius in qua contigerunt. Si Abbas iste tam dure persecutus est hominem innocentem, quomodo persequi haberet ⁵⁾ conspiratorem? Cernis qualiter uterque periclitatus sit, Abbas persequendo, monachus gravissimis tentationibus laborando. NOVICIUS: Licet in aliquo casu confitenti personam prodere ⁶⁾ alterius? MONACHUS: De hoc a me requisitus magister Hermannus Decanus Bonnensis, vir literaturae magnae, respondit: Si talis persona fuerit, de qua constet confitenti, quod peccatum commune confiteri noluerit, bene eam prodere debet, ne tacendo pereat. De hoc mihi retulit exemplum utile satis.

CAPITULUM XXXI.

Quod liceat in aliquo casu confitenti prodere personam alterius, et exemplum de adulterio.

Cum essem, inquit, plebanus apud sanctum Parvum Martinum in Colonia, quidam ex parochianis meis vir honestus, cum die quadam cuiusdam concivis et amici sui domum solus intrasset, et uxorem illius solam in gradibus solarii repe-

1) sui om BC. — 2) P accusationis. — 3) hoc est, Cistercium.
4) C illic. — 5) C persequeretur, si haberet; mox B per conspiratorem. — 6) BP prodere personam.

risset, amplexibus atque osculis ipsius ad libidinem inflammatus, cum ea contra propositum peccavit. Mox ad me quasi hausto veneno currens, de fonte confessionis bibit, venenum expuit, poenitentiam suscepit, et adiecit: Domine, ego personam vobis ¹⁾ exprimam. Femina turpis est, et multos corrumpit, et certum mihi est, quia peccatum illud minime confitebitur. Tempore vero Quadragesimae venit ²⁾ illa, magis ex consuetudine, quam ex aliqua contritione, peccata quaedam minima ac quotidiana mihi confitens, adulteriumque omnino subticens. Ego non immemor peccati mihi confessi, cum nollem eam confundere, neque confitentem prodere, dixi: Domina, ite modo, et cras revertimini; interimque dicite tres orationes Dominicas, quatenus Deus illuminare dignetur cor vestrum, ut digne ac plene confiteri possitis peccata vestra. Illa vadens, et in crastino rediens, nihil adiecit, sed tantum peccata prius confessa replicavit. Quam cum secundo iussissem abire, easdemque orationes quas prius repetere, illa non sine suspitione discessit, et sequenti die reversa, audiente quodam clerico cognato suo, quem secum adduxerat, in haec verba prorupit: Ecce dominus iste, me digito demonstrans, adulteria mihi imponit. Ego domino Episcopo conquerar de illo. Cumque verbis illius satis essem iniuriatus, nec tamen motus, solus soli cum multa modestia dixi: Bona domina, quare peccata vestra absconditis, et ³⁾ quare negatis quod modo dicitis? Numquid non commisistis adulterium in tali loco, et cum tali viro? Illa intelligens crimen me non latere, tandem ad se reversa, satis humiliter respondit: Domine, verum est, ego cum tali viro adulterium commisi, parata sum confiteri, parata poenitentiam suscipere, et de cetero caste vivere. Sicque factum est, ut quae peccatrix venerat, plebani industria iustificata rediret. Si non fuisset a confitente prodita, forte non esset iustificata. **NOVICIUS:** Si non licet confitenti personam peccati consortem, nisi in tali vel consimili ⁴⁾ casu prodere, quid sentis de confessore? Licet illi in aliquo casu peccata confitentium, sive personas ipsas confitentes prodere? **MONACHUS:** Peccata quidem confitentium in multis casibus prodere poterit, tacitis personis; ipsas vero personas prodere non debet, nisi in uno casu,

1) BC ego vobis personam. — 2) ABDP veniens. — 3) et om BC. — 4) C in consimili, P in simili.

quem infra hoc quinquennium dominus Innocentius Papa tali modo determinavit.

CAPITULUM XXXII.

De monacho, qui sine ordinibus celebravit, et quod ex sententia Innocentii Papae liceat confessori talem prodere, si noluerit ultro confiteri.

In domo quadam ordinis Cisterciensis monachus quidam sine ordinibus celebravit. Hoc cum die quadam Abbati suo retulisset in confessione, nec tamen cessare vellet a tanta praesumptione, Abbas dolens ac lacrimans, ut a blasphemia tam magna desisteret, miserum rogavit, monuit ¹⁾ et praecepit, sed non profecit. Ille vero timens notari, si cessaret, celebravit ut prius. In sequenti Capitulo generali Abbas idem proposuit casum eundem ²⁾, interrogans quid faciendum foret confessori, si forte tale quid in aliqua domo emergeret. Cumque dominus Cisterciensis sive ceteri Abbates super hoc nihil auderent diffinire, casum scripserunt ³⁾ Innocentio Papae. Qui convocans Cardinales virosque literatos, casum eis proposuit, et quid de hoc sentirent, a singulis requisivit. Omnibus pene in hoc consentientibus, quod confessio non esset prodenda, respondit: Ego dico confessionem in tali articulo esse prodendam, quia talis confessio non est confessio, sed blasphemiam; nec debet confessor blasphemiam tantam ac insaniam celare, per quam periculum incumbere poterit toti Ecclesiae. Et placuit sententia ⁴⁾ omnibus. Scripsitque sequenti ⁵⁾ Capitulo quod a se fuerat determinatum et a Cardinalibus approbatum. Nec debes dubitare, quin confessores multum torqueantur, cum tale quid audierint, quod soli portare non possunt.

1) B lacrimans miserum rogavit, ut a tali blasphemia desisteret, et monuit. Conf. IV, 11. — 2) C casum eundem proposuit. — 3) C add domino. — 4) B sententia eius, C sententia sua. — 5) P sequenti anno, C in sequenti anno.

CAPITULUM XXXIII.

*Narratio longa et utilis de Simone converso de Alna,
eiusque prophetiis.*

Non est diu, quod monachus quidam peccatum quoddam gravissimum¹⁾ confessus est Priori suo; sed cuius fuerit generis idem peccatum, ignoro²⁾. Quem cum Prior secundum consuetudinem remittere vellet ad Abbatem, non acquievit. Pr^r vero cum pondus auditi peccati solus portare nequiret, monachus eius consilio minus acquiesceret, ex nimia animi moestitia corpore tabescere coepit. Intelligens hoc per Spiritum sanctum frater Simon de Alna³⁾ conversus bene mihi notus, dixit Priori: Domine, quid habetis⁴⁾? ut quid sic marcescitis? Respondente illo: Tristis sum; ait Simon: Nolite turbari. Causam tristitiae vestrae bene novi, in brevi Dominus vos consolabitur. Accedensque ad monachum dixit: Quare non confiteris peccatum tuum Abbati tuo? Deus mihi revelavit illud, et si non fueris confessus debito modo, ego te prodam. Ille conversi sanctitatem non ignorans, magis ex timore, quam ex devotione peccatum Abbati confessus est, et Prior ab angustia liberatus est. NOVICIUS: Videtur mihi vir iste spiritum habere prophetiae⁵⁾. MONACHUS: Revera spiritum habet prophetiae, si tamen adhuc vivit, sicut ex sequentibus⁶⁾ cognosces. Notarius quidam Romanae curiae, cum eundem fratrem Simonem ex multorum relatione didicisset spiritum habere prophetiae, desiderio videndi eum, ab Urbe venit in Alna monasterium, volens illo praesente peccata sua confiteri, sperans ab eo corrigi, si aliquid omitteret; animari, si minus plene diceret. Quem cum non invenisset in abbacia, ductus est in⁷⁾ grangiam eiusdem coenobii, quae Colemies⁸⁾ vocatur, in qua ille magister erat. Quem mox ut frater Simon respexit, causam adventus eius intellexit, et ait: Domine, exspectate me hic; ego enim ibo pro negotio

1) B peccatum gravissimum quoddam, C peccatum quoddam, D peccatum gravissimum. — 2) C penitus ignoro. — 3) Alna, Aulne, abbacia Brabantiae prope oppidum Tulinum; vide IV, 54. — 4) C habetis in corde. — 5) C spiritum prophetiae habuisse. — 6) CD consequentibus. — 7) C in quandam. — 8) P Celenies. Verba quae — vocatur om ABD.

domus meae ¹⁾ ad talem locum, et cum rediero, paratus vobis ero ad omnem vestram voluntatem. Ivit et rediit, et cum a clerici ore didicisset, quod tamen non ignoravit, misit ad monasterium, petens sibi transmitti confessorem discretum. Cui cum, praesente converso, idem clericus peccata sua satis devote confiteretur, et in diversis locis aliqua per oblivionem transsiliret, quaedam ²⁾ etiam propter erubescenciam minus integraliter cum suis circumstantiis exprimeret, interrumpens eius confessionem iam dictus Simon ait: Quare haec et haec peccata subticetis? Ista in tali aetate commisistis, et ³⁾ illa et illa in tali loco ex levitate, nonnulla ex necessitate fecistis; ubique eum corrigens, ita ut valde miraretur, et cum Regina Austri mediam partem gratiae eius ⁴⁾ non se audisse fatetur ⁵⁾. Rediens vero ad Urbem cum gaudio magno, per totam curiam in tantum suum prophetam magnificavit, ut dominus Papa Innocentius ad Concilium ⁶⁾ suum generale illum vocaret, vocatumque de pluribus interrogaret ⁷⁾, a quo tam ipse quam ceteri Cardinales didicerunt experimento, quod spiritu polleret prophético. Haec mihi retulit beatae memoriae ⁸⁾ Walterus de Birbech ⁹⁾ monachus in Hemmenrode, qui ei familiarissimus fuit, et plura de illo recitare consuevit. Alio tempore videns quandam mulierculam peccatricem, hortabatur eam ad confessionem, dicens: Confitere me audiente. Quod cum fecisset, non sinebat eam aliquid per oblivionem sive per erubescenciam suppressere, ubique eius corrigens confessionem, sicut supra dictum est de clerico Romano, ac si illam peccasse vidisset. NOVICIUS: Considero in isto viro quiescisse spiritum Elisei, qui corpore absens et spiritu praesens, peccantem Giezi corripuit ¹⁰⁾. MONACHUS: Non alius spiritus operatur in iustis veteris testamenti, atque alius in sanctis ¹¹⁾ gratiae, sed idem, dividens singulis prout vult ¹²⁾. NOVICIUS: Si nosti adhuc aliqua de hoc converso, precor ut edisseras mihi, quia magis videtur miraculosum, occulta cor-

1) C nostrae. — 2) C et quaedam. — 3) et om BC; paulo post AD tali in loco. — 4) C eius gratiae; mox se add C. — 5) Reg. III, 10, 7. — 6) BC consilium. — 7) C interrogavit. — 8) C add nonnus. — 9) pro Birbach scripsi Birbech: in qua scriptura certe aliquot locis codices nostri consentiunt. Intelligit auctor villam Bierbais, Bierbec, in Brabantia prope Lovanium sitam. — 10) Reg. IV, 5, 26. — 11) C tempore; conf. IX, 30. — 12) Cor. I, 12, 11.

dium nosse, et cogitationum secreta revelare, quam mortuos suscitare. MONACHUS: Verum quidem dicis, quia scire interiora hominis, solius Dei est. Unde Apostolus: *Quis scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est*¹⁾? Solus hic excluditur spiritus divinus, qui ubique est et implet omnia, et cui ipse voluerit revelare²⁾. Tempore illo quo dominus Conradus, nunc Episcopus Portuensis³⁾ Cardinalis, novicius fuit in Vilario, contigit fratrem Simonem cum⁴⁾ Waltero monacho, nunc Abbate Vilariensi, et aliis quibusdam monachis atque conversis ordinis nostri in quadam ecclesia saeculari missam audire. Infra canonem vero eiusdem missae, vidit idem Simon spiritum iam dicti Conradi, corpore satis a se remoti, coram se stare, et coronam auream in capite gestare. Vidit et cogitationes cordis eius, atque orationes⁵⁾, in quibus tunc versabatur in Vilario. Finita missa, secrete locutus est⁶⁾ Waltero, dicens: Cum videritis nonnum Conradum novicium Vilariensem, dicite ei, ut caveat sibi, quia huiusmodi tentationes patietur hoc anno. Tales enim cogitationes, talesque orationes iam habuit in missa, et sciatis quia magna persona erit in ordine. Postea cum idem Walterus vidisset novicium, coepit per ambages illum interrogare, quid infra missas soleret orare, quidve cogitare. Respondente illo, sic et sic orare consuevi; adiecit: Rogo etiam, ut dicatis mihi, quae fuerit oratio, qualisve cogitatio vestra die illa Dominica infra missam. Cui cum diceret novicius: Cur tam diligenter investigatis de cogitationibus meis? respondit: Dicite mihi, quod quaero, et ego vobis postea causam exponam. Tunc recitans⁷⁾ ei novicius per ordinem, quid oraverit, vel⁸⁾ cogitaverit infra missam illam, in magnum eum vertit stuporem, quia nec in uno verbo discrepavit a verbis fratris Simonis. Mox ei insinuans, quid de illo viderit, simul et modum tentationis, monuit, ut cautus esset, ne forte sub specie boni a diabolo deciperetur. Mira res. Cum satis idem novicius admonitus, satisque praemunitus esset, non tamen evadere potuit tentationem praedictam, quin satis ab illa anno

1) Cor. I, 2, 11. — 2) Matth. 11, 27. — 3) Portus Romanus, vulgo Porto, urbs est Italiae ad Tiberidis ostium sita. — 4) C add nonno. — 5) atque orationes om D. — 6) C add domino; paulo post BD dominum. — 7) C recitavit, et infra et in. — 8) CD vel quid.

eodem vexaretur. Quam sublimis persona factus sit postea, non solum in ordine, sed et in Ecclesia, novimus omnes. Primo Prior factus est in Vilario, et ¹⁾ deinde ibidem electus est in Abbatem; postea in Abbatem Claraevallis; deinde promotus in Abbatem Cisterciensem. Nec in illo gradu stare potuit, sed a domino Honorio Papa ²⁾ vocatus est in Cardinalem et Episcopum Portuensem ³⁾. Quid adhuc de illo futurum sit, ignoramus. — Die quadam cum idem Simon in choro Vilariensi staret inter ceteros conversos, conversus quidam Evirgeldus nomine, frater carnalis beatae memoriae ⁴⁾ Ulrici eiusdem domus monachi, ex opposito eius stans coepit in eo scandalizari, et dicere in corde suo: Non videtur mihi talis esse conversus iste, sicut ab omnibus praedicatur; neque ea quae dicit, spiritu praedicere prophetico, sed tantum coniciendo; et coepit eum despiciere. Mox finita hora, frater Simon ⁵⁾ assumpto Ulrico monacho, coepit ei per ordinem replicare, quae ille tractaverat in corde suo, dicens: Monete fratrem vestrum, ne de cetero tam insipienter gratiam Dei in aliis iudicet, ne forte ex hoc vindictam sentiat. Quod cum fecisset, expavit Evirgeldus, discens experimento, quod aliis narrantibus credere non potuit de illo. Horum autem quae dicta sunt, testis est dominus Walterus Abbas Vilariensis, cuius superius feci mentionem, a cuius ea ore ⁶⁾ audiui. NOVICIUS: Stupenda sunt quae dicis. MONACHUS: Vix elapsi sunt anni quatuor, quod dominus Simon, nunc Abbas Foniacensis ⁷⁾, tunc Prior ibidem, locum nostrum visitans, eundem venerabilem conversum secum duxit ⁸⁾, nec tamen, ut aestimo, ipso converso petente; quamdiu apud nos fuit, quis esset, dicere noluit. Cui quaedam secreta, apud nos correctione digna, divinitus sunt revelata, quae recedens ipse cuidam seniorum nostrorum indicavit, et ipse nobis, quae postea vera esse comperimus. Eodem tempore veniens Coloniam, cum in monasterio sanctae Dei genitricis ⁹⁾ ad orationem staret, sororesque psallere

1) et om BC; paulo post est om AB. — 2) B Papa Honorio. — 3) et Episcopum Portuensem om AD. — 4) C add nonni. — 5) frater Simon om ADP; paulo post C nonno Ulrico. — 6) BC ore ea. — 7) C Funiacensis; sic et infra XI, 30. Intelligit auctor Fusniacum, Foigny, abbatiam ordinis Cisterciensis in territorio Laudunensi prope oppidum Vervins sitam. — 8) C adduxit. — 9) D add Mariae. Fortasse intelligit monasterium beatae Mariae virginis in Horto: de quo vid. Gelen. de Magn. Colon. p. 542.

audiret, ingemiscens ait: Heu quod in omni collegio harum sanctimonialium nec una est de adultis, quae caritatem habeat, id est, quae sit sine peccato mortali. Hoc eum posse¹⁾ nosse per spiritum praescientiae, non solum ex praecedentibus, sed et ex subsequentibus cognosces. Descendens cum praedicto Simone Priore frater Simon ad partes inferiores, simul venerunt ad dominam Methildam²⁾ de Smithusin, matronam valde honestam ac devotam, quae diu illum desideraverat videre³⁾, eo quod multa audisset de illo. Sedensque iuxta eam, per interpretem⁴⁾ cogitationes cordis eius ei revelavit, ita ut plurimum miraretur tantam in homine gratiam. Haec ab eiusdem matronae ore audivi. Vere, inquit, domine, ipse mihi dixit quaecunque⁵⁾ cogitavi. — Anno praeterito, cum⁶⁾ dominus Engilbertus Archiepiscopus Coloniensis Decanum Hermannum et Godescalcum eius concanonicum direxisset ad curiam Romanam pro absoluteione crucis⁷⁾, et invenissent eundem Simonem in quadam grangia, sciscitati sunt ab eo de processu negotii⁸⁾. Sicut eis evenit, ita de eis prophetavit. Nuncii, inquit, Episcopi parum in curia proficient, monachus vero bene negotium suum expediet. Utrumque rei exitus comprobavit. Nam illi infecto⁹⁾ negotio reversi sunt; monachus vero noster, quem cum eis misimus, ibi obtinuit quod voluit. Sunt adhuc alia multa et magna conversi huius opera, quae ad meam notitiam non pervenerunt. Ex quibus tamen quaedam audivi, quae scribere nolui, eo quod relata minus bene retinuerim. Satius¹⁰⁾ duxi etiam vera subticere, quam falsa scribere. **NOVICIUS:** Miror, si vir talis ac tantus aliquas pertulerit tentationes. **MONACHUS:** Sicut audivi a

1) posse om C. — 2) B Machtildam, C Mechtildem. Smit-husen, hodie Schmithausen, prope Cliviam est; conf. G. von Velsen: Die Stadt Cleve, etc. p. 270. — 3) B quae illum diu videre desideraverat; paulo post ADP de eo. — 4) id est, per Spiritum sanctum. — 5) C omnia quaecunque. — 6) C dum. — 7) Vit. S. Engelb. II, 8. p. 317: „sicut testis est magister Johannes Abbas sancti Trudonis, proposuerat ante mortem suam beatus Martyr renunciare negotiis regni, et pro peccatis suis cruce signari atque personaliter transfretare. Nam circa illud tempus, quo in Episcopum electus est, signatus fuerat. Sed propter necessitatem communem detentus, domino Honorio Papa dispensante, pro se milites misit cum sumtibus magnis.“ — 8) negotii om B et pr A. — 9) ADP imperfecto. — 10) D sanctius, C satius enim.

quodam eius familiari, ita eum vexabat, et forte adhuc vexare non cessat, spiritus fornicationis per incentiva carnis, ut dicere possit cum Apostolo: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet*¹⁾. Dicitur tamen adhuc corpore esse virgo. A pueritia enim in Alna nutritus pecora eiusdem monasterii pavit. Deinde factus conversus, adeo profecit, ut cuiusdam grangiae²⁾ magister efficeretur. Qui bene ac fideliter administrans exteriora, sicut bonus ac fidelis dispensator, dona meruit interiora. NOVICIUS: Utinam haberent omnes confessores conversi huius spiritum, quia tunc confitentes nullum eis, sive per erubescenciam, sive per ignorantiam, possent subtrahere peccatum. MONACHUS: Licet multis confessoribus desit spiritus prophetiae, inest tamen pluribus spiritus sapientiae atque prudentiae, per quem defectus ille suppleatur. NOVICIUS: Dic quaeso, prodest aliquid peccata confiteri, retenta voluntate peccandi?

CAPITULUM XXXIV.

De eo quod confessio, quae fit cum voluntate iterum peccandi, sit inutilis.

MONACHUS: Modicum prodest, quia Deus non proiicit³⁾ iniquitatem, nisi homo prius malam proiciat voluntatem. Qua proiecta, sequitur quod dicit Propheta Michaeas: *Deponet omnes iniquitates nostras, et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra*⁴⁾. Jubemur enim per alium Prophetam, scilicet⁵⁾ longe proicere iniquitates nostras, non iuxta nos ponere, sicut illi faciunt, qui ante Pascha peccata sua per confessionem, ut eis videtur, deponunt, et mox post octavam resumunt. *Longe, inquit, proiicite iniquitates vestras*⁶⁾. NOVICIUS: Estne melius sic confiteri, quam omnino tacere? MONACHUS: Melius, id est, utilius est, cum voluntate iterum peccandi confiteri, quam tacere. NOVICIUS: Quare? MONACHUS: Quia peccator in confessione a confessore per poenam, quae peccato debetur, terretur et avertitur, admonetur et in-

1) Cor. II, 12, 7. — 2) C add quae vocatur Colemies. — 3) ABD proiiciet. — 4) Michae. 7, 19. — 5) A per alium Prophetam, Isaiam scilicet, D per Prophetam Isaiam, C per alium Prophetam. — 6) Ezech. 18, 31.

struitur; et fit nonnunquam, ut tam verbis quam exemplis ab illo edoctus, ad se revertatur, et de sua perversa voluntate conteratur. Quod si confessor iustus est, et pro confitente orat, Deus illum aliquando pro meritis eius illuminat. Vides quantus sit fructus in confessione? NOVICIUS: Video et gaudeo, atque de his exempla requiro. MONACHUS: Quod quis a confessore territus, peccandi voluntatem deserat, exemplum hoc te doceat.

CAPITULUM XXXV.*)

De confessore, qui nummum proiecit in terga confitentis et poenitere nolentis.

Quidam veniens ad confessionem cuidam sacerdoti discreto, confessus est illi peccata quaedam criminalia. Admonitus ab eo, ut peccata confessa desereret, deserta defleret, et de reliquo ¹⁾ emendatius viveret, respondit: Confiteri possum, sed peccata dimittere non possum. Sacerdos hoc audito, poenitentiam illi iniungere recusavit. Oblatus est ei ab illo nummus. Quem quidem sacerdos recepit, sed in recedentis terga ²⁾ eundem cum clamore proiecit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem ³⁾. Ille vero tam de verbo quam de facto sui confessoris territus, in crastino rediit, confessionem ⁴⁾ iteravit, poenitentiam condignam suscepit et egit. Vides nunc quantum valeat prudentia confessoris? Si imprudens confitens tali modo non fuisset territus, fortassis nec ⁵⁾ esset iustificatus. Audi aliud exemplum, quantum confitentibus prosit consilium bonum.

CAPITULUM XXXVI.

De Abbate sancti Pantaleonis in Colonia, qui fratri carnali pecuniam ecclesiae suae tribuens depauperavit⁶⁾.

In monasterio sancti Pantaleonis in Colonia Abbas quidam fuit, fratrem habens carnalem ⁷⁾ eiusdem civitatis civem. Quem carnaliter diligens, saepe pecuniam monasterii illi occulte largiebatur. Quam propriae substantiae admiscens, et in ea

*) Homil. II. p. 14. — 1) C de cetero. — 2) B tergo. — 3) Act. 8, 20. — 4) ADP et confessionem. — 5) BC non. — 6) id est, ad paupertatem redegit, scilicet fratrem. — 7) carnalem add BC.

negotians, quocunqne perrexit, semper cum damno rediit. Factaque est ei, licet non adverteret, monasterii pecunia tanquam ignis, et substantia propria quasi stipula¹⁾. Et cum esset in mercationibus satis gnarus, atque circumspectior ceteris suis sodalibus, illorum prosperitatem suumque dispendium mirari non sufficebat. Compassus eius infelicitati Abbas, cum semper ei daret, et ille non proficeret, imo semper minus haberet, tandem ad paupertatem devenit. Cui Abbas: Quid est quod agis, frater²⁾? Quare tam viliter consumis substantiam tuam ad confusionem tuam atque meam? Respondit ille: Valde parce vivo, mercatum meum diligentissime custodio, et quid sit quod circa me agitur, penitus ignoro. Tandem in se reversus, venit ad sacerdotem, ei omnia circa se gesta aperiens per confessionem. Cui dixit sacerdos: Utere consiliis meis, et cito dives eris. Pecunia fratris tui furtum est, et ipsa substantiam tuam devoravit. De cetero nihil recipias ab eo, et de modico, quod adhuc superest, negociare, videbisque manum Domini bonam super te³⁾. Quicquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu vives, et hoc tamdiu facies, donec omnem pecuniam monasterii tibi datam illi restituas. Mira clementia Dei. Obediens homo confessoris sui consilio, in brevi adeo ditatus est, ut et ipse abundaret et fratri recepta restitueret. Cui cum Abbas diceret: Unde tibi istae divitiae, frater? respondit: Quamdiu substantiam fratrum tuorum recepi, semper pauper et miser fui, et tu graviter peccasti, non tua mihi largiendo, ego vero aliena recipiendo. Ex quo enim⁴⁾ de his poenitui, et furtum abhorruui, benedicente Domino abundavi. Ecce quantum valeat consilium bonum in confessione. Simile aliquid legitur in Vitaspatrum. Dicam tibi adhuc exemplum, quod mihi retulit Hermannus Decanus Bonnensis, asserens se audisse a sacerdote cui contigit.

CAPITULUM XXXVII.

De duobus mercatoribus in Colonia, quibus in confessione consultum est, ne iurarent et mentirentur, et facti sunt ditiores.

Duo cives Colonienses inter cetera sua peccata confessi

1) Isai. 47, 14. — 2) ADP frater, quod agis. — 3) Esdr. I, 7, 9. ADP super te bonam. — 4) C autem.

sunt duo peccatorum genera, quae quidem in se valde sunt magna, licet propter usum, mercatoribus maxime, parva videantur, et quasi nulla, mendacium scilicet atque periurium. Domine, inquiunt, pene nihil possumus emere, nihil ¹⁾ vendere, nisi oporteat nos mentiri, iurare, et saepe periurare. Quibus cum diceret plebanus: Peccata ista valde sunt gravia, et a Salvatore prohibita, ipso dicente: *Sit sermo vester, est, est; non, non* ²⁾; responderunt: Non possumus hoc praeceptum in negotiationibus nostris custodire. Ait sacerdos: Utimini consilio meo, et bene cedit vobis. Nolite mentiri, nolite iurare, sicut mercatum vestrum dare vultis, sic eum laudate. Et promiserunt ei, quia tentare vellent uno anno. Hoc enim petivit. Impediente eos Satana, qui semper saluti humanae adversatur, pene nihil anno illo vendere potuerunt. Reversique anno evoluto ad suum plebanum, dixerunt: Obedientia huius anni multum fuit nobis damnosa, homines a nobis defluunt, nec aliquid sine iuramento vendere possumus. Tunc sacerdos: Nolite timere, quia tentatio est. Fixum tenete in corde vestro, quod nulla adversitas, nulla vos paupertas a tali proposito avertat, et Dominus vobis benedicet. Promiseruntque ei Domino inspirante, quia custodire vellent eius consilium divinumque ³⁾ praeceptum per omnes dies vitae suae, etiamsi oporteret eos mendicare. Mira res. Statim Dominus immissam compescuit tentationem, et coeperunt eos homines plus quam ceteros mercatores frequentare; factique sunt in brevi divites, ita ut mirarentur. Et reversi ad suum confessorum, gratias egerunt, eo quod per eius salubre consilium a tam gravibus peccatis forent exonerati, et foris in rebus ditati. NOVICIUS: Huiusmodi exempla praedicari deberent in ecclesiis mercatoribus; forte expavescerent, de pecuniis male acquisitis ⁴⁾ negotiari, et in suis venditionibus iurare vel mentiri. MONACHUS: Verum dicis. NOVICIUS: Nunc audire delectat, quod quidam peccatores meritis sui confessoris iustificentur. ⁵⁾

1) C vel. — 2) Matth. 5, 37. — 3) que add BC. — 4) CD acquisitis. — 5) C iustificantur.

CAPITULUM XXXVIII. *)

De muliere iracunda, quae propter confessionem sancto Malachiae factam spiritum meruit mansuetudinis.

MONACHUS: In Vita sancti Malachiae Hiberniensis Episcopi, qui nostris fuit temporibus, beatus Bernardus Abbas Claraevallis scribit, mulierem quandam ita fuisse iracundam, ut animi eius furorem non vicini, non cognati, nec quidem ipsi filii ipsius¹⁾ possent sustinere. Ad sanctum Malachiam illam ducentes, et querimoniam de ea facientes, ut eius misereretur deprecantur. Hortatur vir sanctus miseram ad confessionem. Paret illa. Iniungit poenitentiam, orat Deum, ut impatienti tribuat patientiam. Et ecce facta est super eam mutatio dexteræ Excelsi²⁾. Tantam ab illa hora patientiam et tranquillitatem propter confessoris sui merita Dominus illi tribuit, ut quae prius omnes exasperare solita fuit, nullis damnis, sive contumeliis, deinceps³⁾ turbari posset. Item quod quidam ex sola Dei misericordia in confessione conterantur, dictum est in secunda distinctione capitulo secundo, de monacho apostata, qui duo millia annorum elegit in purgatorio. NOVICIUS: Quia tam multiplex est fructus confessionis, videtur mihi iustum, ut hi qui alios debent mundare, et ipsi sint mundi et sancti. MONACHUS: Ausculta.

CAPITULUM XXXIX.

Qualis esse debeat confessor.

Confessor ut sit perfectus, debet esse timoratus, prudens et literatus, discretus et misericors, affabilis, paratus volentibus confiteri. Quantum exinde boni proveniat, si haec habeat; mali vero, si eis careat, exempla varia te doceant⁴⁾.

*) Homil. III. p. 103. Vide etiam S. Bernardi Vit. S. Malach. cap. 25. — 1) CP eius. — 2) Psal. 76, 11. — 3) BC deinde. — 4) B docebunt. Subsequens capitulum, usque ad Novicii verba, abest a libris excusis et a codice D; in A autem deletum est, ita ut ne vestigium quidem literae appareat.

CAPITULUM XL.

De sacerdote avaro, qui duobus sibi confitentibus, uni pro incontinentia, alteri pro continentia, eandem iniunxit poenitentiam.

Juxta Susaciam, quae est civitas Dioecesis Coloniensis, sacerdos quidam parochiam regit, Hegennairdus nomine, satis quidem in literatura exercitatus, sed modicum timoratus ¹⁾. Ad hunc quidam ex parochianis suis venit tempore Quadragesimae, inter cetera confitens quod per illos ²⁾ sacros dies frena laxasset incontinentiae. Quem cum dure satis corripisset sacerdos, dicens, sacrum illud tempus deputatum esse orationibus, ieiuniis, continentiae ³⁾ ceterisque operibus misericordiae, adiecit: Iniungo tibi pro satisfactione huius peccati, ut des mihi decem et octo denarios ad totidem missas decantandas ad diluendum ⁴⁾ culpam incontinentiae tuae. Ille vero dare spondit ⁵⁾. Quo recedente, et alio ad confessionem accedente, dum eum de statu suo interrogasset, et ⁶⁾ quia per totam Quadragesimam continens esset intellexisset ⁷⁾, ait: Valde male fecisti, tempore tanto ab uxore tua te cohibendo. Prolem illa poterat ⁸⁾ de te concepisse, quam per tuam continentiam exclusisti. Territus homo, sicut mos est simplicibus, cum ab eo consilium quaereret pro tali delicto, respondit confessor: Tu mihi dabis decem et octo denarios, et ego totidem missis Deum pro te placabo. Et ipse ⁹⁾ promisit, quod certo tempore daret ei ¹⁰⁾ pecuniam. Post paucos dies nutu Dei contigit, ut illi duo homines simul cum saccis singulis pergerent ad forum, et saccus equi unius ob dispendium viae caderet in lutum. Accurren-¹¹⁾te altero ut socium iuvaret, iratus ille clamavit: Diabolus remuneret nostrum sacerdotem, quia propter ipsum hunc tolero laborem. Sciscitante illo causam, respondit: Ego ei confessus sum meam incontinentiam, et ipse mihi huiusmodi iniunxit poenitentiam ¹²⁾, unde nunc ante tempus compellor annonam meam vendere, et pe-

1) C In Episcopatu Coloniensi, sicut ex cuiusdam relatione didici, sacerdos quidam manebat parochiam regens, vir satis literatus. — 2) B inter hos. — 3) continentiae om C. — 4) C diluendam. — 5) C spondit dare. — 6) et om B. — 7) C cognovisset. — 8) C poterat illa prolem. — 9) ipse om B. — 10) C ei daret. — 11) C illo. — 12) C poenitentiam iniunxit.

cuniam postulatam ¹⁾ deferre. Ad quod alter respondit: Quid est quod audio? Ego illi contrarium sum confessus, et tamen simili poena mulctatus. Scias me ob eandem necessitatem modo ²⁾ ad forum venire. Certe male sacerdotati sumus ³⁾. Intransesque civitatem, accusaverunt illum apud Decanum et canonicos sancti Patrocli, magnam ei facientes confusionem. Ecce si aliquid timoris Dei esset in hoc sacerdote, nequaquam avaritiae suae consulens tam horrenda praesumsisset, maxime in confessione. Non iste fecit, sicut sacerdos, de quo supra dictum est capitulo tricesimo quinto, qui pecuniam in terga ⁴⁾ nolentis poenitere proiecit ⁵⁾. NOVICIUS: Puto quod multum detestetur in sacerdotibus avaritiam Dominus.

CAPITULUM XLI.

De avaritia et luxuria sacerdotum.

MONACHUS: De hoc non meam, sed ipsius Domini sententiam audias per os Jeremiae Prophetae: *Extendam, inquit, manus meas super habitatores terrae; a minimo usque ad maximum, omnes student avaritiae; et a propheta usque ad sacerdotem, omnes faciunt dolum* ⁶⁾. Item per Ezechielem: *Propter pugillum hordei, et fragmen panis violabant me ad populum meum, ut interficiant animas, quae non moriuntur, et vivificent, quae non vivunt* ⁷⁾. NOVICIUS: Sicut audiavi, quidam confessores pro uno gallinacio ⁸⁾ et vini sextario multorum poenam peccatorum ⁹⁾ vel relaxant vel dissimulant. MONACHUS: Idcirco eis per Ozee dicitur: *Peccata populi mei comederunt* ¹⁰⁾. Et hoc scias, quod non solum vitium avaritiae, sed etiam vitium luxuriae in sacerdotibus reprehendat Dominus, dicens per Prophetam: *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariae* ¹¹⁾. Samaria interpretatur custodia, habitatores Samariae sacerdotes sunt, qui semper in sui et aliorum sibi commissorum custodia manere debent. Hi vaccas Bethaven colunt, dum luxuriose vivunt. Horum domus inutilis est, quia hoc Bethaven interpreta-

1) B postulatam pecuniam. — 2) modo om B. — 3) pr C sacerdoti confessi sumus. — 4) C tergo. — 5) B pecuniam proiecit in terga nolentis confiteri. — 6) Jerem. 6, 12. 13. — 7) Ezech. 13, 19. — 8) sic libri. — 9) BC peccatorum poenam. — 10) Ose. 4, 8. — 11) Ose. 10, 5.

tur. Vaccae, quae animalia sunt lasciva, luxuriam designant, sive ipsas sacerdotum concubinas, quas heu multi hodie sine timore colunt. Quanta mala mali sacerdotes Deum non timentes braxent¹⁾ in confessionibus, plurimis exemplis tibi possem ostendere, sed parcendum est ordini, parcendum sexui, parcendum religioni. Unum tamen tibi dicam ex remoto, quod quidam mihi sacerdos recitavit.

CAPITULUM XLII.

De matrona, quae pupillo a se nutrito, et in sacerdotem provento, peccata sua confessa est, et ab illo prodita.

Matrona quaedam dives et honesta, peccata quaedam commiserat tam inhonesta, ut nulli ea confiteri posset sacerdoti prae verecundia. Die quadam infantem reperiens destitutum, levavit, et loco filii illum nutriens, literis imbui fecit, atque in sacerdotem ordinari. Tunc demum fiduciam sumens de exhibita caritate, confessa est ei peccata diu latentia. Quibus auditis stultus ille, immemor Dei, immemor impensi beneficii, ex hoc sumens audaciam, quia si quod peteret negaret, minaretur se eius vitia debere²⁾ propalare, coepit illam ad consensum suae libidinis sollicitare. Cuius verba cum femina iam iustificata abhorreret, et ille contradicentem diffamaret, illa fiduciam habens de confessione, ne apud homines notae perpetuae subiaceret infamiae, sufficienter se expurgans, beneficio confessionis liberata est, et criminator de provincia eliminatus est. NOVICIUS: Duo haec exempla mihi sufficiunt de confessoribus malis; nunc aliquod³⁾ mihi dicas de confessoribus timoratis.

CAPITULUM XLIII.

De matrona, quae confessorem suum ad libidinem incitavit.

MONACHUS: Dum⁴⁾ quaedam matrona nobilis cum quodam Abbate ordinis nostri sub typo confessionis de secretis conscientiae suae loqueretur, dixit se in eius amore graviter

1) braxare dictum pro conficere; proprie valet cerevisiam coquere, Gallice brasser. — 2) debere om BC. — 3) CD aliquid. — 4) ACD cum.

succensam. Ille, sicut sacerdos iustus ac timens Deum, cor suum signavit, male ad se conversam verbis quibus potuit avertit, dicens se monachum esse, senem, pannosum ac neglectum. Et sicut ipse dixit cuidam monacho, qui mihi recitavit, femina eadem tam praeclara ¹⁾ fuit, et tam potens, ut si essem, inquit, in saeculo, sicut aliquando fui, nunquam illi de tali re nec in minimo verbo facere auderem mentionem. Cernis, inquit, quomodo nobis iam mortuis saeculo diabolus insidietur? Fuerat enim idem Abbas ante conversionem miles in armis strenuus, pulcher, satisque nominatus; et si vis scire, ipse erat dominus Karolus Abbas Vilariensis. NOVICIUS: Vtinam haberent omnes confessores timorem Domini, ut vir iste. MONACHUS: Non solum necessarius est eis timor Domini, quo se a peccato custodiant, sed etiam prudentia, per quam inter peccata discernant, ut cum clave potentiae in usu habeant clavem scientiae, ut sciant differentiam inter scabiem et lepram, id est, inter veniale et mortale; item inter lepram et ²⁾ lepram, id est, inter mortale et criminale, quia peccata peccatis sunt graviora, sive venialia sint, sive mortalia; et secundum hoc satisfactio debet extendi, et de scabie sive lepra iudicari.

CAPITULUM XLIV.

De indiscreto sacerdote, qui sibi confitentibus iniungere solet poenitentiam anni praeteriti.

Quidam sacerdos et plebanus in provincia nostra est, qui in Quadragesima venientibus sibi ad confessionem dicere consuevit: Qualis poenitentia iniuncta fuit vobis ab antecessore meo, talem vobis modo iniungo. Aliis dicebat: Quod vobis iniunxi anno praeterito, hoc et isto anno servetis, non attendens quid postea peccaverint, vel qualiter pro praeteritis satisfecerint. Hoc ³⁾ nobis recitavit unus de parochianis eius ⁴⁾.

- 2) BCP clara. — 2) AD et non. Homil. III. p. 91: „lepra mortale peccatum est. Diversas species in Levitico distinguuntur leprae, per quas varia peccata animae figurantur. Lepra est idolatria, alia species periurium, tertia homicidium, quarta adulterium, et sic de ceteris. Quantum enim distat inter scabiem et lepram, tantum differt inter peccatum veniale et mortale.“ — 3) P h a e c. — 4) CD suis.

CAPITULUM XLV.

Item de plebano, qui pluribus confiteri volentibus, generalem, praedicens confessionem, omnibus eandem iniunxit poenitentiam.

Alius quidam plebanus, sicut audivi ab eius successore, hanc habebat consuetudinem, ut in Quadragesima confluentibus ad ecclesiam confessionis gratia parochianis suis, ipse sex vel octo simul duceret ante altare, et stola collis eorum imposita, Teutonice generalem eis praediceret confessionem, singula verba illis post eum iterantibus. Quibus omnibus similem atque eandem iniungens poenitentiam, simul abire praecepit. Sic faciebat omnibus, non considerans quid fecerint, quis plus, quisve minus peccaverit. Defuncto eo, cum quidam ex parochianis, vir grandaevus, et in saecularibus prudens, pro successore eius mitteret, postulans sacram communionem, eo quod infirmaretur usque ad mortem, veniens sacerdos dixit: Prius debetis facere confessionem. Respondit ille: Vos mihi eam facite. Notabat enim consuetudinem supradictam. Cumque sacerdos monendo illum instaret, commotus ille dixit: Certe, domine, nunquam mihi talia fecit praedecessor vester. Et cum negaret ei communionem, tandem in haec verba prorupit: Confiteor me peccasse in adulteriis, furtis, rapinis, homicidiis, periuriis, aliisque multis criminibus ¹⁾. Tunc sacerdos: Fecistis haec omnia? Respondit ille: Vere, domine, nihil horum commisi. Ex antiqua tantum consuetudine sic confitebatur. Et non poterat eum ²⁾ inducere, ut peccata a se commissa confiteretur. Vides quales confessores, quales doctores, quales animarum rectores. Unde tanta negligentia, unde tam stulta iudicia, nisi ex divinae legis ignorantia? Vis nosse quantum prosint confitentibus confessores literati? NOVICIUS: Volo et ³⁾ desidero.

1) P criminibus multis. — 2) D eum ad hoc. — 3) D et multum.

CAPITULUM XLVI.

De muliere in confessione se iustificante, cui prudens confessor ostendit plura mortalia peccata habere.

MONACHUS: Hermannus Decanus Bonnensis, quando plebanus fuit apud ¹⁾ sanctum Martinum in Colonia, venit ad eum mulier quaedam tempore quadragesimali peccata sua confiteri. Flectens coram eo genua, quicquid se boni meminerat commisisse, coepit enumerare, et cum Pharisaeo evangelico iustificare se, dicens: Domine, tot sextis feriis soleo per annum in pane et aqua ieiunare, eleemosynas meas dare, ecclesiam ²⁾ frequentare, et multa in hunc modum. Cui plebanus dixit: Ad quid, domina, venistis? Numquid pro istis operibus vultis suscipere poenitentiam ³⁾? Quare non dicitis peccata vestra? Respondente illa: Nihil mihi conscia sum; ait plebanus: Cuius estis officii? Respondit mulier: Ferrum vendere soleo. Ad quod ille: Soletis ⁴⁾ aliquando minores ferri particulas in ligaturis maioribus intermiscere, ut sic totum simul vendatis? Dicente illa, soleo; respondit: Ecce hoc mortale peccatum est, quia dolus. Et adiecit: Soletis aliquando mentiri, iurare, periurare, aemulis vestris maledicere, aliis plus vendentibus invidere? Respondit illa ⁵⁾, quia in talibus saepe excedo. Plebanus dixit: Et ista omnia peccata sunt mortalia, et nisi poenitentiam egeritis condignam, ocius ibitis in gehennam. Territa illa in verbis ⁶⁾ eius, peccasse se recognovit, et quid de cetero confiteri deberet, didicit ⁷⁾. Bene iste, utpote vir prudens et literatus, novit fodere parietem, et ostendere idola in corde mulieris depicta. NOVICIUS: Quid est fodere parietem? MONACHUS: De peccatis eorumque ⁸⁾ circumstantiis interrogare confitentem. Verba sunt Ezechielis, et a sancto Gregorio plene et excellenter exposita ⁹⁾. Cavere ¹⁰⁾ debet confessor, ne sic incaute parietem, id est, confitentis conscientiam per interrogationem fodiat, ut eum peccare doceat.

1) AP ad. — 2) CP ecclesias, D et ecclesiam. — 3) D poenitentiam suscipere. — 4) C soletisne. — 5) BC respondente illa. — 6) VI, 2: in simplicitate eius motus. — 7) C ibi didicit. — 8) ABCPKR de peccatis, eiusque, D de peccato eiusque. Peccatorum circumstantiae sunt tempus, peccandi modus, et loca cum personis: Homil. IV. p. 22. — 9) Ezech. 8, 8. Gregor. Regul. Pastor. II, 10. — 10) D cavere tamen.

CAPITULUM XLVII.

Quod confessor non debet de ignotis peccatis investigare, et exemplum de virgine in hoc scandalizata.

Virgo quaedam religiosa in partibus Brabantiae sacerdoti cuidam confessionem fecit. Ille, sicut imprudens, incaute coepit conscientiam eius fodere, id est, de quibusdam peccatis ignotis, quae nunquam fecerat vel audierat, interrogare. Quae mox de eisdem peccatis coepit tentari, et in ¹⁾ tantum turbari, ut diceret sacerdoti: Male habeat caput vestrum, quod hodie fecistis mihi horum mentionem. Et, sicut alteri postea confessa est sacerdoti, non sine maximis laboribus ab eisdem peccatis se ²⁾ continuit. Ita fodiendus est paries, ne domus deiiciatur, sic quaerenda ³⁾ idola sub stramentis, ut tabernaculum non evertatur. Debet tamen confessor valde esse sollicitus de peccatis sibi commissorum, eosque ad confessionem provocare tam verbo ⁴⁾ quam exemplo.

CAPITULUM XLVIII.

De Abbate, qui alterum Abbatem suo exemplo provocavit ad confessionem.

Abbas quidam ordinis nostri scire volens conscientiam alterius cuiusdam Abbatis filii sui, sicut ab eius ore audivi, generalem illi de peccatis suis fecit confessionem. Deinde dixit: Domine Abbas, si vos aliquid vultis dicere, libenter ⁵⁾ audiam. Verecundatus ille, confessus est ei versa vice peccata sua contra propositum, provocatus illius exemplo magis quam verbo. Non enim tenebatur ei confiteri. NOVICIUS: Ut video, prudentia confessoribus satis est necessaria. MONACHUS: Hoc amplius in subiecto probabis exemplo. Quod autem dicturus sum, didici a quodam venerabili sacerdote et ⁶⁾ Priore ordinis Praemonstratensis.

1) in add BC. — 2) D se peccatis. — 3) CP quaerenda sunt. — 4) B de verbo, P verbis. — 5) C ego libenter. — 6) et om R.

CAPITULUM XLIX.

Item de Abbate, qui cum monachis suis in vase ex industria carnes comedens, eosdem ad confessionem suo provocavit exemplo.

Abbas quidam nigri ordinis, vir bonus et disciplinatus, monachos habebat satis mirabiles ac dissolutos. Die quadam quidam ex eis praeparaverant ¹⁾ sibi diversi generis carnes et vina delicata. Quibus cum uti non auderent in aliqua officina timore Abbatis, congregati sunt in vas vinarium maximum et vacuum, quod vulgo dicitur tunna ²⁾, illuc deferentes praeparata. Dictum est Abbati, quod tales monachi in vase ³⁾ tali convivium celebrarent. Qui statim cum magno moerore animi accurrens, et introspiciens, convivantium laetitiam sua praesentia convertit in tristitiam. Quos cum territicos aspiceret, iocunditatem simulans, intravit ad illos, et ait: Eia fratres, voluistis sic sine me comedere et bibere? Non ⁴⁾ hoc arbitror iustum. Credite mihi, ego vobiscum prandebo. Lavitque manus, cum illis comedens et bibens, exemplo tali territicos confortans. Die sequenti, Priore tamen praemonito, et quid facere deberet instructo, Abbas ⁵⁾ monachis illis praesentibus in Capitulo coram illo surgens, et veniam petens cum multa humilitate, tremorem ac timorem ⁶⁾ simulans, in haec verba prorupit: Confiteor vobis, domine Prior, fratribusque meis universis, quod vitio gulae victus, ego peccator heri in absconso loco, et quasi furtive in vase vinario, contra praeceptum et regulam patris mei ⁷⁾ sancti Benedicti, carnes manducavi. Statim residens, cum se inciperet praeparare ad disciplinam, Priore ne ⁸⁾ hoc fieret prohibente, respondit: Sinite ut vapulem, quia melius est ut luam hic quam in futuro. Qui cum accepta disciplina, nec non et poenitentia, reversus fuisset in locum suum, praedicti monachi timentes ab eo proclamari, si dissimularent, ultro surgentes, eundem confessi sunt excessum. Quibus Abbas, a monacho ad hoc praeordinato, dari iussit bonas ac fortes disciplinas, durius illos corripiens, et

1) A praeparant, D praeparabant. — 2) B tunna dicitur, C tonna dicitur. — 3) B in tali loco et in vase, C tali in loco et vase. — 4) C fratres, quod sic sine me voluistis comedere et bibere, non. — 5) Abbas om ABD. — 6) C timorem ac tremorem. IX, 10: tremens ac timens. — 7) C nostri. — 8) AP ut.

ne unquam de cetero talia praesumerent, sub interminatione magnae vindictae praecipiens. Sicque prudens medicus, quos verbo minus emendare potuit, exemplo correxit. NOVICIUS: Placet quod dicis. MONACHUS: Audi nunc exemplum, quod prudentia confessoris discretionem temperanda sit.

CAPITULUM L.

De peccatore, qui de modica poenitentia gradatim ascendit ad maiorem.

Peccator quidam magnus cum pro suis peccatis nullam condignam suscipere vellet poenitentiam, quia confessor valde prudens ac discretus fuit, ait illi: Potes pro peccatis istis magnis saltem unam orationem Dominicam per singulos dies dicere? Respondente illo, possum; eandem ei iniunxit. Mira clementia Dei. Ita eadem oratio coepit ¹⁾ homini dulcescere, ut rediens amplius peteret, hocque tamdiu faceret, quousque ad condignam poenitentiam perveniret. Ad discretionem confessoris pertinet, ut pro peccatis magnis magnam, et pro parvis parvam iniungat poenitentiam. Et quia omnis poenitentia arbitraria est, secundum qualitatem personae, moderari poterit qualitatem seu quantitatem poenae. Misericordiam semper superexaltet iudicio ²⁾, sive secreta, vel ³⁾ manifesta sit confessio, ut idem ipse consequatur a Deo.

CAPITULUM LI.

De Abbate Gisilberto, qui iracundis in Capitulo parcens, ad satisfactionem ampliorem provocavit.

Dominus Gisilbertus Abbas in Hemmenrode tantae fuit misericordiae, ut si aliquando quis monachorum sive conversorum coram eo proclamatus fuisset in Capitulo, et ille neglecta virtute patientiae ⁴⁾ extra se fieret, infirmitati illius compassus diceret: Bone frater, vade modo sedere, et cras eandem culpam recognosce. Qui datis induciis ad tranquillitatem animi reductus, et de commotione verecundatus, in crastino rediit, seque peccasse recognoscens, duram poenitentiam cum multa patientia suscepit. Quantum etiam ⁵⁾ boni

1) C coepit eadem oratio. — 2) Jac. 2, 13. — 3) C sive. —
4) C patientiae virtute. — 5) C enim.

conferat poenitentibus confessoris affabilitas, sequens declarabit exemplum.

CAPITULUM LII.

De plebano, qui usurarium et homicidam dulcibus verbis in confessione ad satisfactionem provexit.

Supradictus Decanus Bonnensis, cum tempore quodam¹⁾ Quadragesimae sedens in ecclesia sancti Martini²⁾, in qua erat plebanus, audiret confessionem cuiusdam vetulae, vidit eminus contra se duos ex parochianis suis in fenestra sedere, et fabulis vacare. Ex quibus unus erat usurarius, alter vero homicida manifestus. Vetula recedente, cum accessisset ad eum confessionis gratia idem usurarius, ait illi plebanus: Amice, ego et tu hodie bene decipiemus diabolum. Tu tantum verbo tenus confitere peccata tua, voluntate peccandi³⁾ deposita, et acquiesce consilio meo, et ego tibi vitam aeternam promitto. Sic tibi temperabo poenitentiam, ut non fiat tibi onerosa. Bene noverat vitium, in quo⁴⁾ laborabat. Respondit ille: Si hoc quod promittitis mihi constaret, libens uterer consilio vestro⁵⁾. Et promisit ei. Qui cum confessus fuisset, et abiurata usura poenitentiam suscepisset, socio suo iam dicto homicidae occurrens, ait: Vere dulcissimum habemus sacerdotem; nam pietate verborum suorum ad poenitentiam me adduxit. Cuius exemplo ille provocatus, ad confessionem venit, et similia circa se pietatis sentiens⁶⁾ indicia, poenitentiam suscepit et explevit. NOVICIUS: Ex multis, quae iam dicta sunt, considero, quod confessio multam requirat perfectionem, tam in confitente quam in confessore. MONACHUS: De uno adhuc superest dicendum, per quod omnes confessoris virtutes consummantur, scilicet ut promptum et hilarem confiteri volentibus se exhibeat. De hoc habes exemplum in distinctione prima capitulo sexto, vbi angelus Domini Priori de Alna in specie monachi⁷⁾ improperavit, quod eundem monachum confiteri volentem, signo suspenderat. Si confessor ad hoc fuerit paratus, quantum placeat Deo, et quantum peccatoribus expediat, sequens sermo declarabit.

1) quodam om B; mox P quadragesimali. — 2) BC add Coloniae. — 3) BC peccandi voluntate. — 4) B quo ipse. — 5) BCD promittis — tuo. — 6) C sentiens pietatis. — 7) BC monachi apparens.

CAPITULUM LIII.*)

*De monacho Claraevallis, qui fratrum adiutus orationibus
Priori conscientiam suam revelavit.*

Ante hoc biennium, cum dominus Wilhelmus Abbas Claraevallis cum ceteris Abbatibus contra Galonem Cardinalem profectus fuisset Romam, quidam ex monachis eius cuidam ex confessoribus peccatum quoddam criminale confessus est. Cui ille ¹⁾ dixit: Bene te audio, bene consilium do, sed absolvere te non potero, quia confessio haec debita non est; consulo et rogo, ut confitearis Priori, qui potestatem habet. Illo respondente: Hoc nunquam faciam; confessor dolens ac fluctuans corde, tacita persona atque peccato, periculum confitentis domino Sigero Priori revelavit. Qui multum dolens, et de salute periclitantis cogitans, magni consilii angelum cum lacrimis invocavit. Eodem tempore, cum conversus quidam ex eis perversus multa furaretur, Prior Dei nutu, nacta occasione, in Capitulo monachorum vitio ²⁾ furti exprobrans, hoc adiecit: Si forte aliquis est inter vos ³⁾, cauteriatam habens conscientiam ⁴⁾, ita ut non possit eam suo praelato aperire, pro tali tribus diebus tales vobis iniungo orationes. Omnibus orantibus, cuidam iuveni sacerdoti, nomine Wilhelmo, in vigilia Omnium Sanctorum cum lacrimis oranti, vox divina respondit: Monacho pro quo oras, confessio sua, quia debita non fuit, nihil profuit; sed dic Priori, ut cras, dicta prima, post missam ante Capitulum stet; ipse enim ad eum veniet. Sicque factum est. Exhibente se Priore coram Capitulo, ecce monachus venit, signumque confessionis Priori faciens, cum eo intravit, et facta confessione cum multo gemitu ac lacrimis poenitentiam condignam suscepit ⁵⁾.



*) Homil. III. p. 92. — 1) ille om ADP. — 2) R vitium. I, 6 p. 14: „ut ex ipso facto illius negligentiae exprobraret.“ — 3) ABD nos. — 4) Tim. I, 4, 2. — 5) AD recepit.

DISTINCTIO QUARTA DE TENTATIONE.

CAPITULUM I.

De eo quod vita religiosorum sit tentatio; et exemplum de Rege Karlomanno ¹⁾, et de fure a sancto Bernardo a suspendio liberato.

ASCENDENTES filii Israel de Aegypto, mox tentati sunt in deserto. Aegyptus designat mundum sive peccatum, desertum monasterium. Respectu enim multitudinis a multis deseritur, et a paucis incolitur. Aegyptus interpretatur tenebrae, vel tribulatio, vel angustia, vel persecuens. Et ubi maiores tenebrae, tribulationes, angustiae et persecutio, quam in mundo et in peccato? Nusquam. Filii Israel sunt electi quique, qui statim ut ²⁾ egressi fuerint de saeculo per conversionem, et de peccato per contritionem atque confessionem, vix esse potest, quin in monasterio quasi in deserto, circa principium maxime, multimodam incurrent ³⁾ tentationem. Et congrue videtur in quarta distinctione tractandum esse de tentatione, quia quaternarius stabilitatis numerus est; corpus enim quadratum in quaecunque partem vergat, stationem naturalem servat. Cum peccator ad Dominum corpore, deserendo saeculum ⁴⁾, fuerit conversus, corde pro peccatis suis contritus, et oris confessione iustificatus atque confirmatus, tunc ad pugnam tentationis procedet securius, et cum hoste dimicabit efficacius. Unde Salvator post baptismum, non ante, permisit se tentari a diabolo. Confessio oris cum contritione cordis, secundus baptismus est. Hinc est quod Apostoli post adventum Spiritus sancti persecutionibus exponuntur, in cuius

1) ACP Karlomannorum, B Karolo Romanorum, D Karolo Francorum. — 2) C statim cum, B mox ut; paulo post C fuerint de Aegypto, id est, de saeculo. — 3) D incurrunnt, CR incurrant. Hroswitha Opp. p. 9: nec dubito, quin divinae inspiratione gratiae ad credendum estis perventurae. — 4) BC saeculum deserendo.

figuram mox post Pentecosten libri Regum leguntur, in quibus bella fidelis populi cum gentibus, id est, virtutum cum vitiis, commemorantur. NOVICIUS: Videtur is rectus esse ordo iustificationis, ut sicut contritionem confessio, ita confessionem sequi debeat satisfactio. MONACHUS: Juste quidem moveris, sed tentationis vim non intelligis. Quod apud religiosos et maxime in ordine monastico, satisfactio pro peccatis sive poenitentia sit tentatio, facile tibi ex verbis bene experti, id est, sancti Job probabo. Ait enim: *Militia est vita hominis super terram* ¹⁾. Alia translatio habet: *Tentatio est vita hominis*. Et militia est et tentatio; militia propter exercitium, tentatio propter laborem et periculum. Et nota, quod non dicit, tentatio est vita animalis, sed hominis, id est, humane et rationabiliter viventis, qualis est vita religiosorum, qui secundum spiritum vivunt, et carnis desideria non perficiunt ²⁾. Saeculares vero atque carnales, qui secundum carnem ambulant, improprie tentari dicuntur, quia mox ut tentamenta sentiunt, vel consentiunt, vel tepide resistunt, similes equo et mulo, quibus non est intellectus ³⁾. Si ergo tentatio est religiosorum vita, qui vigilando, ieiunando, orando, in prosperis et adversis obediendo, et propter Christum nihil in hoc mundo terreni possidendo, semper vitiis et concupiscentiis contradicunt, necesse est, ut ipsam tentationem concedas pro peccatis illorum satisfactionem. Venientibus ad ordinem nostrum, etiamsi innumera et gravissima commiserunt peccata, nihil eis aliud ⁴⁾ iniungitur pro satisfactione, nisi ut ordinem servent. Hinc est quod sanctus Bernardus, cum tempore quodam quendam Regem Francorum in ordinem recepisset ⁵⁾, illi solummodo post factam confessionem, Dominicam orationem iniunxit. Quo turbato, putans sibi a sancto illudi, respondit Abbas beatus: Tu tantum hanc orationem dicito, et ordinem custodi, et ego pro peccatis tuis rationem reddam in die iudicii ⁶⁾. Item: Cum alio tempore idem sanctus transiret casu, ubi homo reus erat suspendendus, et peteret eum sibi dari, iudexque diceret: Domine, fur est, et suspendio dignus; respondit Abbas: Da mihi eum, et ego illum suspendam; ordinis distractionem suspendium appellans ⁷⁾. Hoc indultum est ordini a Sede Apostolica, ut

1) Job 7, 1. — 2) Galat. 5, 16. — 3) Psal. 31, 9. — 4) AD nihil aliud eis. — 5) B in ordine suscepisset. — 6) de simili Arnulphi cuiusdam conversione vide in Vita S. Bernard. VII, 22. — 7) Vit. S. Bern. VII, 15.

eius observatio pro qualibet satisfactione peccatoribus sufficiat. NOVICIUS: Si religio nostra pro peccatis nostris est satisfactio, et eadem satisfactio exterior est tentatio, nosse vellem, in quibus et a quibus tentemur. MONACHUS: In quibus tentamur, innumerabilia sunt; a quibus vero tentamur, quatuor sunt, Deus scilicet, caro, mundus et ¹⁾ diabolus. Quod a Deo tentamur, testis est Moyses, qui dicit: *Tentavit Deus Abraham* ²⁾. Item Judaeis: *Tentat vos Dominus Deus vester*, et cetera ³⁾. Deus vero, secundum quod Apostolus Jacobus dicit, *intentator est malorum* ⁴⁾. Tres residui tentatores, sunt hostes, et ideo ut hostes cavendi. Cedendo eis confundimur; resistendo meremur; vincendo coronamur. Quantum sit in tentatione labor, quantum timor, quantum dispendium, quantumve meritum, sequentia declarabunt exempla.

CAPITULUM II.

De septem vitis principalibus.

Septem sunt vitia principalia de una virulenta radice, superbia scilicet, pullulantia, ex quibus pene universa procedunt tentamenta. Primum vitium superbiae succedens est inanis gloria, secundum ira, tertium invidia, quartum accidia ⁵⁾ vel tristitia, quintum avaritia, sextum gula vel castrimargia ⁶⁾, septimum luxuria. Ex his quaedam spiritualia sunt, ut inanis gloria, ira, invidia; quaedam corporalia, ut gula, luxuria; quaedam mixta, ut accidia, avaritia. Accidia, in quantum pertinet ad dolorem cordis, vitium spirituale est; in quantum ad torporem corporis, corporale est. Septem istae pestes, septem sunt rivuli, quibus irrigatur terra Aegypti, id est, tenebrosus cor peccatoris. Et sicut Nilus, ex cuius dividuntur abundantia ⁷⁾ septem rivuli, fluit ex paradiso, et derivatur per Aegyptum, ita Lucifer propter superbiam eiectus de coelo, per haec septem vitia se diffundit per cor humanum peccatis mortalibus tenebrosus. Septem haec vitia designant septem illae gentes immundae ⁸⁾, quas Dominus a facie Israel de terra promissionis delevit ⁹⁾. Designantur et per septem daemones, quae Salvator de corde

1) et om ADP. — 2) Genes. 22, 1. — 3) Deut. 13, 3. — 4) Jac. 1, 13. — 5) R acedia. — 6) R gastrimargia. — 7) CDP abundantia dividuntur; mox septem rivuli om ABC. — 8) CR illas gentes immundas. — 9) Deut. 7.

Mariae Magdalenae eiecit ¹⁾). Ex quatuor rotis hujus septenarii Johel Propheta quadrigam construit Pharaoni ²⁾), dicens: *Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo* ³⁾). Per erucam beatus Gregorius notat libidinem, per locustam inanem gloriam, per bruchum ingluviem ventris, per rubiginem iram ⁴⁾). Multi domant libidinem, sed inde eriguntur in superbiam; de superbia ruunt in ingluviem; de nimia comestione et ebrietate in iram vertuntur. Tres equi currum hunc trahentes, tria vitia sunt residua, invidia scilicet, tristitia, avaritia. Ecce tria et quatuor scelera, quibus diabolus vehitur, secundum Amos Prophetam, in Damascum, in Gazam, in Tyrum, in Edom, in Amon, in Moab, etiam in Judam, et in Israel ⁵⁾). NOVICIUS: Cum vitiis istis tentamur, sunt in nobis, vel extra nos? MONACHUS: Post ingressum virtutum non sunt in nobis per habitum et usum, sed secundum fomitem. Sicut in ingressu filiorum Israel septem illae gentes non sunt omnino deletae, sed tributis subactae, sic ingressis virtutibus in terram cordis nostri, vitia non prorsus extinguuntur, sed restringuntur. Et sicut postea filii Israel saepius a reliquiis earundem gentium impugnabantur, ita per fomitem vitiorum frequenter virtutes nostrae tentantur et exercitantur. NOVICIUS: Rogo, ut de viribus horum septem vitiorum me expedias, et quam acriter nos tentent, subiunctis exemplis ostendas.

CAPITULUM III.

De superbia et filiabus eius.

MONACHUS: Superbia, quae primum locum tenet inter vitia, est singularis excellentiae super alios quidam appetitus. Unde dicta est superbia, quasi supra ⁶⁾ bria, id est, mensuram, se extollens. Sub hoc vitio in praedicto septenario a quibusdam inanis gloria comprehenditur. Duo enim genera sunt superbiae, unum intus est in cordis elatione, alterum foris in operis ⁷⁾ ostensione. Primum proprie dicitur superbia, alterum iactantia vel inanis gloria. Superbiae propagines et vires sunt inobe-

1) Marc. 16, 9. — 2) id est, diabolo. Conf. S. Bernard. in Cant. Serm. 39. p. 276. — 3) Joel 1, 4. — 4) Gregor. Moral. XXXIII, 39. — 5) Amos 1 et 2. — 6) BC super. — 7) B operum.

dientia, inconstantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, novitatum praesumptiones. Quantum per vitium superbiae caro, mundus et diabolus, non solum saeculares, sed et personas claustrales tentent, sequentia declarabunt.

CAPITULUM IV.

De converso a spiritu superbiae tentato et per angelum per ostensa cadavera mortuorum liberato.

In Hemmenrode conversus quidam fuit natione Coloniensis, nomine Liffardus, vir satis humilis ac mansuetus. Huius erat officii sues monasterii custodire ¹⁾. Circa finem vitae eius, sicut mihi retulit dominus Hermannus tunc Abbas illius, tali ordine tentatus est a spiritu superbiae. Cum esset senex, et diu porcos pavisset, talia coepit in cogitationibus suis tractare: Quid est quod ago? Homo sum bene ²⁾ natus, sed propter hoc vile officium omnibus amicis meis despectus. Non ero diutius in hoc loco subulcus ad illorum confusionem. Ex quo mihi non parcitur, recedam hinc. Qui cum fixum teneret in animo, quod mane recederet de monasterio, tentationes diutius non valens sustinere, nocte eadem, cum in lecto suo sederet et vigilaret, persona quaedam reverenda illi apparuit, et ut se sequeretur, manu signavit. Mox ille surgens, calciamenta induit, et praecedentem secutus, ad ostium dormitorii venit. Quo coelitus patefacto, simul ad ianuam accesserunt ecclesiae ³⁾, quam eadem potentia considerans apertam, simul ingressi sunt. Ita ei signis erat importunus, ut non posset non ⁴⁾ sequi praecedentem. Cumque duceretur per medium chororum conversorum, et coram altari sancti Johannis Baptistae ⁵⁾ transiens, profunde inclinaret et ordinate, inclinavit et ille, dicens: Bene fecisti, sic profunde inclinando. Venientesque ad meridionale ostium ecclesiae, per quod itur in claustrum, viderunt illud apertum similiter ostium quod ducit ad cimiterium. Universa ostia haec ⁶⁾ noctibus etiam clavibus firmantur. His visis, frater Liffardus miratus est valde, nec tamen ausus

1) B sues custodire monasterii, C monasterii sues custodire. — 2) BC bene sum. — 3) B ecclesiae accesserunt, C ecclesiae pervenerunt. — 4) non om B, in D erasum est. — 5) Baptistae om ABCD; sed vide infra IX, 28. — 6) CP haec ostia.

fuit illum interrogare: Tu quis es, vel quo me ducis? Ingressis eis cimiterium, statim aperta sunt sepulchra omnia mortuorum, et cum conversum duxisset ad hominem recenter sepultum, dicebat illi: Vides hunc hominem? Cito talis eris. Quo ergo vis ire? Quem cum adhuc ducere vellet ad alia corpora putrida multumque foetentia, coepit conversus reniti et clamare: Parce mihi, domine, parce, non enim illa possum videre. Respondit ductor: Si non potes hoc quod cito futurus es videre, ut quid propter modicam superbiam vis de portu salutis recedere? Si ergo vis, ut parcam tibi, promitte mihi, quod non recedas ab hoc loco. Et promisit ei. Quem cum reduceret, mox clausa sunt sepulchra, clausa sunt post eos ostia singula. Et cum transiret ante altare conversorum, ibique inclinaret, denuo de hoc eum commendavit, satis ostendens quod Deo placeret inclinatio profunda. Ingressis eis dormitorium, statim post eos clausum est ostium. Mox vero ut conversus in suum lectum se reclinavit, persona ducentis disparuit, et ab illa hora tentatio immissa cessavit. NOVICIUS: Puto angelum Domini fuisse personam illam, quae ¹⁾ conversum superbientem tam horrenda visione erudiret, et ad statum humilitatis reduceret. MONACHUS: Bene sentis. Tanta enim est clementia Redemptoris, ut licet sinat suos aliquando servos gravibus tentationibus pulsari, non tamen eosdem permittit, tentationibus cedendo, mercede suorum laborum ²⁾ fraudari. NOVICIUS: Timeo enim ³⁾, quod saepe inanis gloria religiosorum merita impediatur. MONACHUS: Vana gloria virtutibus nimis est importuna, et de sanctitate ⁴⁾ nascitur.

CAPITULUM V. *)

*De casto monacho, quem diabolus dixit se non timere,
eo quod esset superbus.*

Obsessum quendam amici sui ad quoddam coenobium ordinis nostri spe liberationis traxerunt. Ad quem egressus Prior, assumpto secum monacho magnae opinionis adolescente, quem noverat virginem corpore, ait daemone: Si praeceperit tibi monachus iste, ut exeas, quomodo audebis manere? Respondit daemon: Non eum timeo; superbus est enim ⁵⁾. NO-

1) BP qui. — 2) BC laborum suorum. — 3) enim om BCR. —
4) D superbia. — *) Homil. I. p. 139. — 5) BC enim est.

VICIUS: Ex hoc loco satis intelligo, quod ex virtute corporalis innocentiae in mente huius monachi natum sit vitium inanis gloriae. MONACHUS: Nec Deo placet, nec diabolus timet sine humilitate virginitatem, cum tamen Deo placeat, et diabolus timeat sine virginitate humilitatem. Ecce exemplum.

CAPITULUM VI.

De Theobaldo novicio, qui immunditias bibendo motus superbiae restrinxit.

Apud nos monachus quidam fuit, Theobaldus nomine ¹⁾, ante conversionem leccator ²⁾ opere, vino et tesseribus deditus totus, et propter suam scurrilitatem in tota civitate Coloniensi notissimus. Saepe illum nudum per plateas eiusdem civitatis incedere vidi. Tandem de scurrilitate sua compunctus, ad intercessionem Priorum ³⁾ Coloniensium a domino Gevardo Abbate nostro susceptus, in domo nostra novicius est effectus. Cum esset in probatione, sperans Deo nihil esse acceptabilius operibus humilitatis, ut sibi lavare concederetur panniculos cauteriorum petivit, et obtinuit. Quod cum fecisset per dies aliquot, tentator affuit, et sagitta superbiae cor eius vulnerans, huiusmodi cogitationes immisit: Quid agis, o stulte? Quid ad te pertinet horum immunditias, quorum tu forte natione maior es ⁴⁾, lavare? Dum huiusmodi cogitationes aliquanto tempore in eius corde versarentur, a diabolo illas esse intelligens, qui rex est super omnes filios superbiae ⁵⁾, die quadam panniculos solito ⁶⁾ diligentius lavit, et ut diabolus amplius confunderet, immissamque superbiam retunderet, ipsam ablutionem bibit. Vidit haec diabolus, et invidit, et quem per spiritum superbiae prosternere non potuit, terroribus aggressus est. Haec quae dicta sunt, retulit mihi dominus Henricus Abbas noster, asserens se ab eius ore audivisse ⁷⁾ sub typo confessionis. Ex ipsa enim immunda et foe-

1) CP nomine Theobaldus. — 2) hoc est, scurra; conf. XII, 5. — 3) Priores hoc loco sunt presbyteri priores, ut sunt Praepositi et Decani. IX, 23: „statim Coloniā cūcurrit, Conradum, nunc Praepositum maiorem, tunc Decanum, ceterosque Priores convenit.“ Conf. VI, 27. VII, 39. IX, 25. 65. — 4) B natione superior es, C superior es natione. — 5) Job 41, 25. — 6) solito om BC. — 7) C audisse.

tida potatione ita in ventre tortionibus fortissimis torquebatur, ut omnia eius interiora dirumpi ¹⁾ viderentur. Nocte quadam, cum natura cogente iret ad privatam, duos homines in trabe eiusdem camerae suspensos vidit. Erant enim corpora eorum ²⁾ nigra, vestimenta laniata, facies velatae, ut nihil aliud quam fures putarentur ³⁾. Quos ut novicius ex improvise conspexit ⁴⁾, valde territus, et pene extra mentem factus, ad dormitorium recurrit, et iuxta lectum Henrici monachi, postea maioris cellerarii ⁵⁾, anhelus resedit. Et, sicut mihi idem Henricus recitavit, ita contremuit, ita crebris singultibus pectus pulsavit, ut valde miraretur, quid haberet vel quid vidisset. Cui cum signasset ut iret dormitum, eo quod frigus esset, et ille in sola tunica sederet, non acquievit. Tunc scapulis eius partem operimenti sui ⁶⁾ iniecit, sicque usque ad signa matutinalia sedere permisit. NOVICIUS: Mirum quod paries novus tam valide impulsus, subsistere potuit. MONACHUS: Diu non stetit, quia crebris tentationum ictibus quassatus, tandem sub specie boni deceptus est et deiectus. Factus vero monachus, ut sibi liceret visitare cognatos suos in Francia, quos ante conversionem in viginti annis non viderat, nec videre curaverat, et illic esse per annum in quadam domo ordinis nostri, ab Abbate cum multa importunitate extorsit. Ivit et rediit, ac deinde apostasiam incurrens, extra ordinem defunctus est. Retulit nobis quidam vagus clericus, qui fini eius interfuit, quod cuidam saeculari sacerdote ⁷⁾ fuerit confessus, et ab eo inunctus atque communicatus ⁸⁾, sicque in bona contritione defunctus est ⁹⁾. NOVICIUS: Ex nimis importuna daemonum tentatione hic disco, plus eos timuisse novicii huius humilitatem, quam supradicti monachi virginitatem. MONACHUS: Quam contraria sit illorum superbiae vera humilitas, ex sequenti capitulo plenius agnosces. Quod ¹⁰⁾ dicturus sum, de sancto Bernardo gestum ¹¹⁾ audivi, et quia nusquam scriptum inveni, scripto mandare dignum duxi.

1) BP dirumpi. — 2) D erant enim corpora, ACP erant eorum corpora. — 3) dictum pro viderentur. V, 5: „in quo quicquid erat vivere putabatur.“ — 4) C aspexit. — 5) A ceclerarii. — 6) sui om BD; conf. XII, 19. — 7) sacerdoti om ADP. — 8) C communicatus atque inunctus. — 9) A sit; conf. IV, 43. — 10) ABC quae. — 11) C gesta, et paulo post inveni scripta.

CAPITULUM VII.

*De sancto Bernardo Abbate, quem calcios suos inungentem
superbiae spiritus subsannavit.*

Die quadam humilitatis causa sanctus Abbas Bernardus¹⁾ a ferrario sibi iussit unguentum dari, et in calefactorio ignem fieri. Qui super se ostium claudens, ne ex opere despecto laudem quaerere videretur, calcios suos inungere coepit. Invidens tantae humilitati superbiae spiritus, officinam humilitatis in forma honesti hospitis intravit, et ubi esset Abbas clare voce requisivit. Ad quem cum vir sanctus oculos levasset²⁾, daemon clamavit: Vach³⁾ qualis Abbas! Certe magis deceret illius honestatem hospitibus occurrere, quam ad confusionem fratrum suorum in calciis inungendis occupari. Statim vir sanctus per sanctum Spiritum⁴⁾ illum intelligens spiritum esse immundum, rursus ad opus humilitatis oculos reflexit, et spiritus ille ventosus in aerem resolutus, nusquam comparuit. NOVICIUS: Si viri iusti in operibus despectis timent elationem, vel quod minus est, notari ob illa⁵⁾, multum nobis cavendum est de vana gloria, quando opera exercemus sancta et honesta. MONACHUS: Quid appellas opera sancta et honesta? NOVICIUS: Orare, cantare, praedicare, hisque similia. MONACHUS: Nobis, qui iusti nondum⁶⁾ sumus, ut dicis, plurimum cavendum est de inani gloria, quia orantes frequenter etiam nolentes extollit ipsa lacrimarum gratia et devotio cordis; cantantes sive psallentes dulcedo vel sonoritas vocis; praedicantes saepe tentat et inflat scientia, eloquentia et sublimitas sermonis. Alii, quod omnino stultitiae deputandum est, cum non habeant gratiam orandi, vel vocem cantandi, sive scientiam facundiamque praedicandi, quasi de habitis gloriantur. Quod etiam maioris dementiae est, quidam ad hoc tantum orant, cantant et praedicant, ut laudem humanam atque temporale emolumentum ex eis consequantur. De talibus Salvator dicit: *Amen, dico vobis, receperunt mercedem suam*⁷⁾,

1) B Bernardus Abbas; paulo post CD iussit sibi. — 2) B cum oculos levasset vir sanctus, C cum oculos vir sanctus levasset. — 3) vach dictum, pro vah. Eiusdem generis sunt ach, och, proch, quae passim occurrunt in hoc Dialogo. — 4) BC Spiritum sanctum. — 5) ADPKR notari ab illa, BC ab illa notari. — 6) BC nondum iusti. — 7) Matth. 6, 5.

id est, hoc quod quaesierunt, laudem scilicet hominum et lucrum. In iam dictis operibus sanctis quosdam tantum superbia ad meritum ¹⁾ tangit; alios per delectationem iam ²⁾ angit; plurimos, ut hypocritas, per consensum et desiderium victos fortiter premit. Vis nunc aliqua de talibus audire exempla? NOVICIUS: Hoc dudum desideravi. MONACHUS: De extollentia orationis habes exemplum in secunda distinctione capitulo vicesimo secundo, ubi diabolus ad monachi lacrimas respexit, cum eum gratia eadem ³⁾ extulisset. Quantum sit periculum in vocis extollentia, exempla te instruent ⁴⁾ subsequantia.

CAPITULUM VIII. *)

De monacho Montis Cassini, qui in vigilia Paschae, benedicto cereo, translatus est.

Sicut didici, non ex lectione, sed ex cuiusdam magni, tam vita quam doctrina, viri relatione, monachus quidam erat in Monte Cassino vocem habens suavissimam. Hic cum in vigilia Paschae in veste levitica cereum benediceret, et voce dulcissima dulcissimam eiusdem benedictionis melodiam resonaret, et esset ⁵⁾ vox eius in auribus omnium tanquam musica in convivio vini ⁶⁾, benedicto cereo, nusquam comparuit ⁷⁾. Et nescitur usque in hodiernum diem, a quo sit translatus, vel in quem locum depositus. NOVICIUS: Quid si illum translulit angelus Domini? MONACHUS: Hoc non est visum fratribus eius, qui vitam illius ⁸⁾ noverant. Magis timetur, quod causa raptus eius fuerit vitium subortae elationis, quam meritum devotionis. Audi quid Augustinus dicat: Quotiens plus me delectat, inquit, cantus, quam res quae cantatur, totiens me graviter peccare confiteor ⁹⁾. Et organum illud sancti Spiritus ¹⁰⁾, beatus scilicet Papa Gregorius etiam dicit: Cum blanda vox quaeritur, vita sobria deseritur. Ecce exemplum.

1) C superbia, non meritum. — 2) iam add BC. — 3) C earum. — 4) D instruant. — *) Homil. I. p. 101. — 5) esset add BC. — 6) Eccli. 49, 2. — 7) P aliorum translatus nusquam comparuit. — 8) B fratribus eius, qui vitam eius, C fratribus, qui eius vitam, P eis, qui vitam illius. — 9) Augustin. Confess. X, 33, 3. — 10) sic de S. Bernardo in eius Vita V, 2. p. 944: „dulcissimum sancti Spiritus organum.“

CAPITULUM IX. *)

De clericis superbe cantantibus, quorum voces diabolus in saccum misit.

Tempore quodam clericis quibusdam in ecclesia quadam saeculari fortiter, id est, clamose, non devote, cantantibus, et voces tumultuosas in sublime tollentibus, vidit homo quidam religiosus, qui forte tunc affuit, quendam daemonem in loco eminentiori stantem, saccum magnum et longum in sinistra manu tenere, qui cantantium voces dextera latius extensa capiebat, atque in eundem saccum mittebat. Illis expleto cantu inter se gloriantibus, tanquam qui bene et fortiter Deum laudassent, respondit ille, qui viderat ¹⁾ visionem: Bene quidem cantastis, sed saccum plenum cantastis. Mirantibus illis, et interrogantibus cur hoc diceret, visionem eis exposuit. Haec mihi retulit Abbas ordinis Cisterciensis, vir summae gravitatis. His exemplis non reprehenditur ²⁾ devotus clamor, quo Deus laudatur in cantu et psalmodia, sed tantum inanis gloria. Memini Prophetam dixisse: *Circuibō et immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo et psalmum dicam Domino* ³⁾. Quantum ei devota placeat ⁴⁾ vocum exaltatio, satis audies in sequenti distinctione capitulo quinto. Ibidem invenies, quantum ex hoc daemones laentur, si sine humilitate in psalmodia voces exaltentur. Audi nunc exemplum satis terribile de superba et lucrativa praedicatione.

CAPITULUM X.

De sacerdote signato, quem diabolus, edito sermone a quodam praedicatore crucis, invasit.

Eo tempore quo Oliverus Scholasticus Coloniensis, cuius in secunda distinctione mentionem feci, crucem praedicavit inter Brugge ⁵⁾ et Gint, civitates Flandriae, venit ad fratrem Bernardum monachum nostrum, qui tunc comes erat verbi, et collega eiusdem Oliveri, sacerdos quidam Sigerus nomine, in habitu religioso, cappam habens in pectore signatam, quasi Templarii.

*) Homil. I. p. 101. — 1) ADP vidit. — 2) CR confunditur. — 3) Psal. 26, 6. — 4) CR placeat devota. — 5) B Brug, D Bruck, C Brugis; mox BP Ghent, C Gandavum.

Erat autem facie pulcher, et statura procerus, atque in suo idiomate satis facundus. Hic cum obtulisset iam dicto Bernardo diversi coloris gemmam¹⁾, et dixisset se illam attulisse de Septia²⁾, et tantae esse virtutis, ut victoriosos efficeret, qui ea uterentur; respondit ille: Domine, vestra non recipiam; si potero vos apud magistrum rationabiliter promovere, bene experiemini. Ad hoc videbatur laborare, ut haberet auctoritatem ab illo praedicandi. Eadem die concessum est ei sermonem facere ad populum. Sequenti die cum praefatus Bernardus in proxima statione verbum exhortationis proposuisset turbis, et Sigerus adesset, finito sermone idem Sigerus pronus in terram corruit, et quasi obsessus, sicut revera fuit, omnes sui corporis gestus formavit. Mox accurrens magister Oliverus cum clericis, hominem signavit, et in ecclesiam tractum coram altari deposuit, ubi multas blasphemias et verba quaedam horribilia miser ille in Deum et in eundem Oliverum evomit. Tunc coreo³⁾ ligatus, curruque impositus, ad notos suos deportatus est. Quem, ut aiunt, daemon quinta die, prout ei promiserat, exstinxit. Ex cuius vexatione seu morte satis datum est⁴⁾ intelligi, quod eius praedicatio non fuerit devotionis, sed magis ambitionis. Dicitur et apostata fuisse, et a domino Papa literas, ut eum provincia toleraret, obtinuisse. Alii dicebant, quod etiam fuerit in nave illa excommunicata, quae Sarracenis arma bellica vendiderat in Septia. **NOVICIUS:** Miror, quare Dominus in isto huiusmodi contemptus tam acriter vindicaverit, cum tales sint hodie⁵⁾ plurimi sacerdotes Christi sacrosancta mysteria indignissime tractantes, et tantum per occasionem illum praedicantes. **MONACHUS:** Ad terrorem arbitror factum⁶⁾ aliorum sacerdotum, tum ne fermentarent illam purissimam praedicationem crucis, quae tantum fiebat⁷⁾ ad honorem Christi, tum propter merita iam dicti Oliveri. Quam dure Christus tunc temporis vindicaverit dolos et iniurias sibi in praedicatoribus irrogatas⁸⁾, habes exemplum in distinctione secunda capitulo septimo de Godescalco usurario, qui dispensatorem dolose circumvenit; habebis et aliud in

1) CDR gemmam diversi coloris. — 2) Ceuta; urbs Mauritaniae. D et corr A Seucia; sic et infra. — 3) ACDP corio; paulo post iidem libri curruque. — 4) CR datur. — 5) hodie om ADP. — 6) CR esse factum. — 7) CR fuit. — 8) CR illatas. X, 20: „quicquid eius imagini iniuriae vel contemptus irrogatur.“ Homil. III. p. 110: „iniuriam, quam irrogavit Dei genitrici.“

capitulo sequenti de superba vetula, quae magistrum Arnoldum, praedicti Oliveri discipulum, praedicantem subsannavit.

CAPITULUM XI.

De vetula, quae per choream verbum crucis a magistro Arnoldo prolatum impediens et irridens, infra triduum defuncta est.

Cum ¹⁾ esset idem Arnoldus Pastor in Burgende, quae est villa Duentiae²⁾, et in die Apostolorum Petri et Pauli, eius parochiani quendam ludum³⁾ annuum in choreis et musicis instrumentis recolerent, ipse iam habens praedicandi auctoritatem, cum cruce ad choream accessit, et ut a ludo diaboli recederent, omnes monuit, rogavit et praecepit. Qui cum in eodem loco praedicare coepisset, quidam obedientes ad praedicationem eius venerunt; alii cum indignatione recedentes, contra choream steterunt; nonnulli in sua pertinacia permanserunt⁴⁾. Inter quos erat vetula una stulta ac superba, quae quotiens ad⁵⁾ sacerdotem Domini in chorea circueundo venisset, contra eum⁶⁾ respiciens cantando subsannavit. Quae infra triduum subito defuncta est. Quam vir sanctus sic deflevit, ac si manibus suis⁷⁾ illam exstinxisset. Per vitium superbiae multos diabolus tentat. Unde studendum est omnibus, maxime religiosi⁸⁾ et claustralibus, ut sic se in verbis, in gestibus, in vestimentis, et in ceteris omnibus, quae ad usum exteriorem pertinent, exhibeant, ne apud saeculares in vitio superbiae notabiles fiant.

CAPITULUM XII.

De Philippo Rege Francorum, qui nigrum monachum ob stricta calciamenta reprehendit.

Nobilis quidam monasterium quoddam in Francia spoliavit. Erat enim de ordine Nigrorum. Placuit Abbati et fratribus, ut unus ex monachis ad Regem Philippum, qui tunc regnabat, mitteretur, per quem ei violentia militis exponeretur. Missus

1) B dum. — 2) Duentia, vulgo Twente, pars est provinciae Transisalanae, id est, Over-Yssel. — 3) CR ludum quendam. — 4) AP remanserunt. — 5) CR ante; conf. V, 4. — 6) BCR illum. — 7) manibus suis om BCR; mox CR eam. — 8) CR religiosis maxime.

est iuvenis, sanguine nobilis, tanquam qui apud Regem propter cognatos aliquid amplius posset impetrare quam ceteri¹⁾. Veniens ad Regem ait: Domine, vir ille nobilis multum indebite monasterium nostrum damnis et iniuriis vexat; saepe fratres ac familiam nostram minis ac²⁾ contumeliis molestat; rogat maiestatem vestram humilis conventus noster, quatenus, intuitu divinae remunerationis, eundem nobilem ab iniuriis tantis compescatis, et ad satisfactionem condignam de ablatis compellatis. Considerans Rex gestus et habitum monachi, ait: Domine, quis, vel unde estis? Cui cum iuvenis diceret: Domine, filius sum illius, patrem suum nominans; respondit Rex: Bene nobilis estis. Cumque Rex post haec nescio quid diceret, monachus subiunxit: Vere, domine, omnia quae habemus rapit, et iam pene³⁾ nihil nobis dimisit. Ad quod respondit Rex: Vere, domine, hoc bene apparet in calciis vestris. Si aliquid dimisisset vobis⁴⁾ corei, non essent tam stricti. Quanto estis ceteris nobilior, tanto esse debetis humilior. Tunc volens post correptionem illum placare, adiecit: Non vos gravare debet correctio⁵⁾ mea, quia ad bonum vestrum facta est⁶⁾. Revertimini ad claustrum vestrum, et de cetero non molestabit vos nobilis ille.

CAPITULUM XIII.

De Philippo Rege Romanorum, qui Abbatem ordinis Cisterciensis eadem de causa notavit.

Philippus Rex Romanorum simile verbum, nescio si habuerit a iam dicto Rege Francorum, in quendam Abbatem ordinis nostri iaculavit. Ad quem cum Abbas in equo accessisset, de necessitate domus suae cum illo locuturus, Rex eius calciamenta, quae nimis erant stricta, consideravit. Quem cum interrogasset, unde esset; respondit ille: Domine, de paupere domo. Et Rex: Bene apparet in calciis vestris, quod domus vestra pauper sit; nam coreum⁷⁾ ibi carum est. De quo verbo valde confusus est Abbas. NOVICIUS: Merito superbia confunditur.

1) B cognatos aliquid ceteris posset impetrare, C cognatos posset amplius aliquid ceteris impetrare. Mox B veniensque. — 2) BC et. — 3) B rapuit et pene. — 4) BC vobis dimisisset; mox C corii. — 5) BC correptio. — 6) ADP factum est. — 7) ACD corium.

CAPITULUM XIV.

Item de Abbate, qui sedens in equo superbo, Frederico Regi Romanorum propinquare non potuit.

MONACHUS: Anno praeterito Abbas quidam de ordine nostro, bene notus mihi, cum occurreret Frederico Regi Romanorum, qui avunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illo loqui aliquid, ita coepit equus eius hinnire, lascivire et in saltus se dare, ut Regi in equo satis mansueto sedenti, nullo nisu posset propinquare. NOVICIUS: Quid posset tunc tantus Princeps cogitasse¹⁾? MONACHUS: Puto illum non modice fuisse scandalizatum. Nam simile ei in equo eodem contigit mecum, et ego scandalizatus fui in eo propter equum. Recedens vero a Rege cum multa erubescencia, equo illo effreni uti noluit de cetero²⁾. Abbas iste homo erat senex, simplex satisque humilis ac disciplinatus, licet in hac equitatura minus fuisset circumspectus. NOVICIUS: Quod iuste in religiosis saecularibus displicet, Deo placere non potest. MONACHUS: Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, famam hominibus. Omnibus Christianis dicitur a Christo: *Discite a mē, quia mitis sum et humilis corde*³⁾. Ut enim taceam de scandalo saecularium in superbia religiosorum, cum Judaei et pagani superbiam vel signa superbiae vident in Christianis, religionem Christianam horrent, et blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi referam verba cuiusdam Sarraceni, memoria valde dignissima.

CAPITULUM XV.

De pagano, qui apud Achonem dicebat Christianos propter superbiam et gulam de terra sancta eiectos.

Frater Wilhelmus aliquando camerarius noster, ante conversionem canonicus fuerat apud Traiectum inferius⁴⁾. Hic tempore adolescentiae suae cruce signatus, gratia Dominici sepulchri transfretavit. Antequam navis, in qua erat, portum Achonis⁵⁾ attigisset, ignem facularum ante ortum aurorae

1) BC quid poterat (C poterit) tunc tantus Princeps cogitare, R quid putas tantum Principem tunc cogitasse. — 2) BC de cetero uti noluit. — 3) Matth. 11, 29. — 4) Ultraiectum, Utrecht. — 5) Saint Jean d'Acre.

circa civitatem in diversis locis tam ipse quam ceteri viderunt. Qui cum interrogassent nautas causam ignis, responderunt: Tempus est aestivum, et cives propter calorem tentoria sua ob refrigerium circa civitatem metati sunt. Hoc ita esse putantes, in portum Achonis devenerunt, et tunc primum quia Sarraceni obtinuissent civitatem cognoverunt. Eodem tempore, peccatis nostris exigentibus, data fuerat terra sancta in manus Salatini ¹⁾ Regis Syriae, regnante Frederico Romanorum Imperatore. Noradinus autem filius Salatini, vir naturaliter pius et beneficus, tunc erat in civitate. Hic cum navim ²⁾ Christianam in portu vidisset, et eum causa adventus eius, eo quod esset sola ³⁾, non lateret, misertus Christianorum, quendam nobilem paganum, in lingua Gallica satis expeditum, ad navem ⁴⁾ cum galea misit, per quem ne timerent mandavit. Usque ad illam horam fuerant in suspenso positi, ignorantes utrum essent occidendi vel capiendi. Interim nobilis quidam Christianus de Alemannia oriundus, in extremis laborans, omnia sua arma valde decentia, cum tribus dextrariis per eundem paganum Noradino misit, pro vita fratrum illi supplicans. Ego, inquit, tribus annis voveram Christo in his armis servire, sed ut video, non est eius voluntas. Destinati sunt et nuncii Christiani, ex quibus unus erat frater Wilhelmus propter scientiam linguae Gallicae, qui munera Principi praesentarent. Noradinus vero, ut vidit xenia ⁵⁾ transmissa, cum multa devotione suscepit, et singula, id est, loriam, clipeum, galeam, gladium, nec non et dextrarios deosculans, quia per semetipsum visitare vellet infirmum, remandavit. Interim milite mortuo, et caute lapide appenso ⁶⁾, eiecto ac demerso, alioque milite aegrotante, aequae nobili viro, in loco ⁷⁾ infirmitatis eius reposito, Rex mane cum multis diversi coloris galeis egressus advenit, navem ⁸⁾ intravit, et de transmissis gratias referens, ante infirmum sedit, atque cum medico, quem secum adduxerat ⁹⁾, de convalescentia illius disputavit. Obtulit ei et quaedam nobilissimi generis poma, quae crevisse dicebat in horto patris sui apud Damascum. Deinde ait infirmo: Propter te omnibus Christianis

1) CR Saladini. — 2) CD navem. — 3) BC sola esset. — 4) B navim. — 5) B encaenia. — 6) ACP appenso lapide. — 7) forte lecto, ut X, 12: „rediit ad lectum infirmitatis suae.“ Paulo post B posito. — 8) B navim. — 9) BC duxerat.

benefaciam. A quo cum peterent conductum ad civitatem sanctam Jerusalem, quam adhuc tenebant Christiani, respondit: Non esset vobis tutum, neque mihi honestum, si latrunculi, qui modo per omnes vias illius vagantur, vos laederent, et conductum meum violarent. Egressus vero de navi, tam aegroto quam ceteris valedixit, dans eis licentiam repatriandi, contra impetus Sarracenorum signo teli regalis illos muniens. Tunc supradictus nobilis paganus reducens secum in civitatem fratrem Wilhelmum, interrogavit eum dicens: Dic mihi, o iuvenis, quomodo servant Christiani legem Christianam in terra tua? Ille dicere nolens quod verum fuit, respondit: Satis bene. Ad quod Admiraldus ¹⁾: Ego dicam legem Christianorum ²⁾ terrae huius. Pater meus erat vir nobilis et magnus, et misit me ad Regem Jerosolymitanorum, ut Gallicum discerem apud illum, ipse vero versa vice misit patri meo filium suum ³⁾ ad discendum idioma Sarracenicum ⁴⁾. Unde omnis vita Christianorum bene et optime mihi nota est. Non fuit aliquis civis adeo dives in Jerosolyma, quin pro pecunia sororem, filiam, vel, quod exsecrabilius erat, luxuriae peregrinorum uxorem propriam exponeret ⁵⁾, sicque illos mercedibus laborum suorum evacuet ⁶⁾. Ita omnes gulae et carnis illecebris dediti erant, ut nihil omnino a pecoribus differrent. Superbia vero sic in eis regnavit, ut excogitare ⁷⁾ non sufficerent, quali modo vestimenta sua incidere, stringerent ⁸⁾ atque cultellarent. Idem dico de calciamentis. Et adiecit: Considera vestimenta mea, calciamenta mea, quam sint rotunda, quam ampla, quam simpliciter et humiliter formata. Sicut nobis retulit idem Wilhelmus, manicas habebat laxas et amplas, sicut monachus. Nulla erat in vestibus plicarum multiplicitas, curiositas nulla, licet ipsa vestium materia foret satis pretiosa. Ecce, inquit, ista sunt vitia propter quae eiecit Deus Christianos superbos et luxuriosos de terra ista; non enim diutius potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas quia nostris viribus obtinuerimus illam? Nequaquam. Novissime etiam hoc adiecit: Neminem ex Regibus vestris timemus, neque ipsum Imperatorem ve-

1) C Admiraldus. — 2) AC Christianam, D Christiani. — 3) AP suum filium. — 4) BC Sarracenorum. — 5) AP qui — non exponeret. — 6) Homil. I. p. 4: „ut labor meus non vacuetur a mercede.“ — 7) ADP cogitare. — 8) stringerent om B; mox BC et corr D cutellarent; conf. V, 45. X, 11.

strum Fredericum; sed, sicut legimus in libris nostris, Christianus ¹⁾ Imperator quidam cito ²⁾ surget, Otto nomine, qui terram hanc cum civitate Jerusalem cultui Christiano restituet. Nos ista ³⁾ audientes, sperabamus quia prophetia illa implenda esset in Ottone Imperatore Saxone, qui ante hos duos annos ⁴⁾ defunctus est. Eodem tempore Salatinus humanitatem exhibuit Christianis satis magnam. Cum esset exercitus Christianorum partim ab eius exercitu occisus, partim captus atque dissipatus, reliquias civitatum, quae se ultro reddiderunt, in civitatibus eisdem ⁵⁾ esse permisit, sub bona tamen custodia. Diebus aliquot elapsis, cum requisisset a suis, quomodo se haberent Christiani, responderunt illi: Domine, non aliter vivunt quam pecora, ludis tantum, gulae et ⁶⁾ illecebris servientes. Tunc iratus iussit eos de civitatibus expelli. NOVICIUS: Proch dolor. Quod abhorret Judaeus et quod exsecratur paganus, hoc quasi pro lege habet Christianus. MONACHUS: Haec de tentatione superbiae dicta sint; nunc ad iram accedamus.

CAPITULUM XVI.

De ira.

Ira est irrationabilis perturbatio mentis; vel, ira est, secundum aliam descriptionem, strictus concitati furor animi, ulciscendi libidine fervens. De ira nascuntur rixae, tumor mentis, contumeliae, clamor, indignatio, blasphemiae. Ira in corde latet, in verba prorumpit, iniurias exercet. Unde Salomon in Proverbiis: *Vir iracundus provocat rixas; et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior* ¹⁾. Item Ecclesiasticus: *Ira et furor, utrumque exsecrabile est* ⁸⁾. Et in Epistola sua Jacobus Apostolus: *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum* ⁹⁾.

1) Christianus om BC. — 2) cito add B. — 3) ADP ita. —
4) C ante hos annos duos, ADP ante aliquot annos. —
5) BR eiusdem. — 6) BC et gulae. — 7) Proverb. 29, 22.
— 8) Eccli. 27, 33. — 9) Jac. 3, 16.

CAPITULUM XVII.

De eo, qui conservum propter verbum contentiosum occidit.

Duo servi ex familia nostra verbis inter se contenderunt. Ex quibus unus ita est ira inflammatus, ut quasi in furorem versus, alterum, minus talia suspicantem, extra monasterium ei occurrens occideret. Valida erat huius tentatio. Ecce quam modica scintilla in magnum ignem profecit. Scintilla ira, ignis sequens homicidium. Novi aliquos ita propter verbulum unum tentatos, ut apostasiam incurrerent. Hos revera tetigerat sexta plaga Aegypti, scilicet vesicae bullientes¹⁾, id est, ira cum insania. Apostatare, insanire est. Naturale est irasci, sed cum motus idem immoderatus est, pro vitio reputatur. NOVICIUS: Vellem aliqua nunc audire exempla de viris religiosis, quae nobis iram temperarent, et ad patientiae virtutem amplius accenderent. Nam apud saeculares irasci et indignari quasi pro nihilo habetur, et nisi provocati se ulciscantur, a ceteris despiciuntur. MONACHUS: Vis audire exempla, per quae cognosces, quam sit periculosum, Deoque contrarium, subiectis irasci, et indignari suis praelatis, etiam ab illis provocatis²⁾? NOVICIUS: Volo. MONACHUS: Dicam tibi sicut ab eius ore audivi, cui contigit.

CAPITULUM XVIII.

De Priore, cui Christus in cruce nocte per visum apparuit spinis ligatus.

Prior quidam ordinis nostri, vir bonus et disciplinatus, ab Abbate suo plus quam necesse esset et quam meruisset, exacerbatus est, et hoc saepius. De qua re satis tentatus, non tam aequanimiter illius verbum³⁾, sicut debuit, tolerare potuit. Volens illi Dominus exemplo suae passionis temperare fervorem tentationis, ostendere etiam, quod praelati inaequales aequaliter propter ipsum forent supportandi, tali exemplo eum⁴⁾ informavit. Visum est ei nocte quadam levi⁵⁾ somno presso, quod ipse simul cum Abbate suo crucifixum portaret, ille in brachio dextro, ipse vero in sinistro. Dum sic illum inter

1) Exod. 9, 9. — 2) PK provocatus, R provocati. — 3) BC verba. — 4) BC eum exemplo. — 5) B leni.

se ¹⁾ tenerent aequaliter, brachium crucis quod Prior tenebat, de manu eius est elapsum, et alterum erectum, factaque est inaequalitas. Mox Prior evigilans visum intellexit, dicens ²⁾: Quid agis, o miser? Non aequè portas corpus ³⁾ cum Abbate tuo, rancorem adversus illum servans in corde tuo. Interpretatus est, sicut revera fuit, corpus Christi esse congregationem, crucem, cui fratres per obedientiam affixi sunt, ordinis rigorem. Ad Abbatem enim et Priorem specialiter spectat conventum, qui Christi corpus est, portare, tenere et ⁴⁾ sustentare. Portare per orationem, tenere per disciplinam, sustentare per consolationem. Abbas loco patris, Prior vice matris. Cum Prior cum Abbate suo minus bene concordat, non aequali lance cum illo Christi corpus portat. Idem Prior cum hac visione, eiusque, ut iam dictum est, interpretatione minus esset correctus, nec a concepto rancore diductus ⁵⁾, alteram ei ostendit, tanto efficaciorē, quanto terribiliorem. Nocte quadam, licet in somnis, non in pictura, non in sculptura, sed in carneo corpore, manifesta visione vidit Salvatorem contra se in cruce pendentem. Eratque vinculis spineis in quinque corporis sui partibus eidem cruci alligatus. Unum vinculum ambiebat caput eius, frontem scilicet et tempora ⁶⁾; aliud erat circa pectus; tertium circa manum dexteram; quartum circa sinistram; quintum erat in pedibus circa talos et lignum. Ac si diceret illi Dominus: Ego propter te passus sum cruciamina tam dira, et tu aequanimiter ab Abbate tuo propter me tolerare non potes, non dico verbera, sed verba. Te gravat quae cordi tuo non sapit obedientia, et ego factus sum propter te obediens Patri usque ad mortem crucisque opprobria, quae sunt quasi vincula spinosa. Sicut ipse mihi retulit, Dominus mox dedit ei intelligere visionem hoc modo: In hoc, inquit, quod Christus, qui caput est Ecclesiae, ligatus fuit spinis, ostendit tibi ⁷⁾, quod capiti tuo, id est, Abbati, obedire debeas etiam in adversis. Quod ligatus fuit in pectore, docet te, quia tuum velle Abbatis tui voluntati debeat ⁸⁾ concordare. Cor in pectore est, et in corde voluntas. In tantum

1) inter se om ADP. — 2) B intelligens dixit. — 3) BC add Christi. — 4) et om BC. — 5) BCR deductus. — 6) P tempora. Sic etiam in Vit. S. Engelb. II, 8. p. 317 temporibus pro temporibus legendum est. — 7) tibi om BC. — 8) BD debet.

enim tentatio eius processerat, ut locum mutare, si posset, firmiter proposuisset. Vincula, inquit, manuum eius insinuant, te nihil aliud debere facere, nisi quod ipse praecipit. Quod autem spinis pedibus se ad crucem ligatum ostendit, significat ¹⁾, quod tibi non liceat sine eius consensu ²⁾ locum mutare, sed secundum illius arbitrium stare vel ambulare. Ex his duabus visionibus territus simul et edoctus, de cetero studuit verba sive facta sui Abbatis aequo animo propter Christum sustinere. **NOVICIUS:** Ut video, non est nobis tutum, cum praelatis nostris contendere.

CAPITULUM XIX.

*De cellerario, quem crucifixus per visum a se removit,
quia durius responderat Priori suo.*

MONACHUS: Anno praeterito cellerarius quidam maior cum Priore suo de rebus exterioribus verbis contendit, et videbatur ei, quia valde rationabiliter moveretur. In ipsa nocte Salvator ei in cruce apparuit iacens in terra, eratque velamen tenue ac perspicuum super corpus illius expansum. Cuius cum vellet vulnera retracto panno deosculari, imago manu aversa indignabunde illum amovit, tanquam diceret: Non es dignus tactu corporis mei, qui sero me in Priore tuo provocasti. Ille mox evigilans, et causam repulsae non ignorans, dictis matutinis, me praesente, ad pedes Prioris se prostravit, veniam pro excessu suo postulans. **NOVICIUS:** Si dignus est iudicio, qui irascitur fratri suo ³⁾, iam non ambigo, quin maioris poenae sententiae subiaceat, qui iratus fuerit patri suo, id est, praelato. **MONACHUS:** Ita est, ut dicis, quia maiorem reverentiam debemus patribus, quam fratribus, sive carnales sint, sive spirituales. **NOVICIUS:** Quid si ex commotione animi verbum irae ⁴⁾ iaculetur in sanctos, vel quod maius ⁵⁾ est, in ipsum Deum? **MONACHUS:** Tale verbum dicitur blasphemia, quae ex ira nascitur, et saepe multum acriter a Deo vindicatur.

1) BP signat. — 2) B concessu. — 3) Matth. 5, 22. — 4) irae om C. — 5) R magis; paulo post AP Dominum.

CAPITULUM XX.

De scholare, qui tertio die defunctus est, eo quod maledixisset sancto Abrahae.

Scholaris quidam Parisiis, eo tempore quo Abbas noster ibi studuit, verbum contumeliosum in sanctum Abraham evomit. Quo die tertio defuncto, cognoverunt omnes, qui verbum audierant, quod per poenam mortis Dominus sanctum suum vindicasset.

CAPITULUM XXI.

De milite, cuius filium tonitruum occidit, eo quod ob intemperiem aeris in blasphemiam prorupisset.

Ante hoc quinquennium, quando valida illa erant tonitrua, et pene a quotidiana aeris intemperie messis impediabatur, miles quidam provinciae nostrae, homo liber, de villa satis nobis ¹⁾ vicina, videns a parte occidentali aerem obscurari, nubesque imbriferas oriri, iratus dixit: Ecce ubi ²⁾ iterum diabolus ascendit. Vix sermonem finierat, et ecce orta tonitrua filium eius in sinu nutricis percusserunt, ipsa incolumi permanente. Sed et in aliis, aedificiis scilicet et iumentis, blasphemus ille satis flagellatus est, ut disceret de cetero non blasphemare. Haec eodem tempore gesta sunt, quando fulminata est curtis nostra in villa Cassele ³⁾. Unde stultum est valde, ut homo mortalis, cinis et vermis, ponat in coelum os suum ⁴⁾. Ecce huiusmodi mala aliaque innumera parit ira ⁵⁾. NOVICIUS: Si Deus tam terribiliter peccatum irae vindicat in praesenti, puto quod huic vitio subiectos acriter puniet in futuro. MONACHUS: Hoc ex capitulo sequenti cognosces.

1) BC nobis satis. — 2) BC ibi. X, 67: „ecce, inquit, ubi diabolus ille.“ — 3) sic emendavi. PK fulminata est turris villae nostrae Cassele, ABCDR fulminata est turris villae nostrae in Cassele. Obiter moneo, in Vita S. Engelb. I, 5. p. 301: „in quibusdam civitatibus et turribus suis turrata satisque pulchra construxit palatia,“ pro turribus, non terris, sed potius curtibus esse legendum. — 4) Psal. 72, 9. — 5) BC ira parit.

CAPITULUM XXII.

De virgine iracunda, quam sepultam ignis ab umbelico et supra devoravit.

Narravit mihi anno praeterito scultetus ¹⁾ proximae villae, quae Wintere ²⁾ dicitur, rem satis terribilem. Non est diu, inquit, quod homo quidam religiosus et peregrinus in ecclesia nostra ad missam stetit. Stabant iuxta eum matronae delicatae, quorundam militum uxores, fabulis vacantes, quae ³⁾ illum orare non sinebant. Expleta missa, quosdam ex militibus seorsum ducens, dixit illis: Vos domini, orationis causa ad ecclesiam hanc diverti; et ecce, diabolo instigante ⁴⁾, tantus erat circa me clamor et susurrium illarum matronarum, ut omnino orare non possem. Dicam vobis rem terribilem, quae meis temporibus in villa mea contigit. Erat ibi puella quaedam bene nata, et divitum filia, sed ita iracunda, ita contentiosa atque clamosa, ut ubicunque esset, sive in domo, sive in ecclesia, ibi rixas suscicaret, odia nutriret, et beatum se iudicaret, qui evadere posset flagellum linguae illius. Tandem defuncta est, et in atrio ecclesiae sepulta. Mane venientes ad ecclesiam, vidimus tumbam eius ad instar fornacis fumum eructuantem. Unde exterriti, et videre volentes quid hoc portenderet, terram eiecimus; et ecce, medietatem corporis superiorem ignis consumserat, inferior vero pars ab umbelico ⁵⁾ et deinceps illaesa apparuit. NOVICIUS: Quid hoc significabat? MONACHUS: Quod homines qui noverant illius vitam dixerunt, hoc et ego dico: Voluit Deus in eius corpore ostendere, quantum ei placeret virtus castimoniae, et quantum abhorreret vitium iracundiae. Quia virgo fuit, castitatis gratia crura eius cum femoribus illaesa servavit; et quia iracunda erat nimis, fel, cor, linguam, manus cum suis sedibus ignis devoravit. Ira ignis est. Unde Ecclesiasticus: *Ne struas ligna in ignem iracundi* ⁶⁾, id est, ne des illi materiam et occasionem irascendi. Item: *Homo iracundus incendit ignem* ⁷⁾. Et Apostolus Jacobus: *Lingua ignis est,*

1) AC scoltetus. — 2) Königswinter. — 3) AD qui; unde suspirator auctorem scripsisse: fabulis atque rumoribus vacantes, qui. Sic alibi dicit: „confabulationibus atque rumoribus vacantes.“ — 4) B excitante. — 5) sic B constanter. Conf. Homil. I. p. 21. — 6) Eccli. 8, 4. — 7) Eccli. 28, 11.

universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quae maculat totum corpus nativitatis nostrae, inflammata a gehenna ¹⁾. NOVICIUS: Ita me tua terret oratio ²⁾, ut proponam omnino non irasci fratribus meis. MONACHUS: Tunc beatus eris. *Qui autem, ut ait idem Apostolus, putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio* ³⁾, id est, inutilis et immunda. *Lingua inquietum malum est, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt* ⁴⁾. Unde alibi scriptum est de illa: *Mors et vita in manibus linguae* ⁵⁾. NOVICIUS: Qua similitudine dicitur lingua habere manus? MONACHUS: Quia saepe causa mortis efficitur corpori et animae, si fuerit dura; vitae vero utrique, si fuerit mollis et gratiosa. Unde Salomon: *Responsio mollis mitigat iram; sermo durus suscitatur furorem* ⁶⁾. Hoc impletum est in David. Sermo durus Nabal in necem propriam gladium eidem porrexit, quem sermo sensatus Abigail retraxit ⁷⁾. Et quia in manibus linguae mors est, Creator prudentissimus duplicem ei murum, osseum scilicet et carneum, id est, dentes et labia, anteposuit; propter vitam vero utrumque pervium fecit. Loqui de bonis ⁸⁾ vitale est. NOVICIUS: Placet quod dicis. MONACHUS: Haec de ira dicta sint.

CAPITULUM XXIII.

De invidia et filiabus eius.

Irae succedit invidia, et de ipsa nascitur. Est enim invidia ira inveterata, odium videlicet ⁹⁾ felicitatis alienae. Huius filiae sunt, odium ¹⁰⁾, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis eiusdem. Hoc vitium de angelo diabolum fecit. Hoc vitium hominem de paradiso eiecit. Invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum ¹¹⁾. Quam grave et periculosum sit hoc vitium, in Epistola sua Johannes brevi sermone concludit dicens: *Qui odit fratrem*

1) Jac. 3, 6; conf. Homil. III. p. 101 sq. — 2) B terret tua oratio, C terret oratio tua. — 3) Jac. 1, 26. — 4) Jac. 3, 8. 9. — 5) Proverb. 18, 21. — 6) Proverb. 15, 1. — 7) Reg. I, 25. — 8) C loqui debemus quod. — 9) BC scilicet. — 10) ADP odia. — 11) Sapient. 2, 24.

suum, homicida est ¹⁾. Hoc vitium quanto est occultius, tanto periculosius.

CAPITULUM XXIV. *)

*De monacho, qui ab altero ob invidiam criminatus et
incarceratus est, et gloriose eductus.*

Non est diu, quod monachus quidam stimulis invidiae agitatus et superatus, quendam ex fratribus suis adolescentem accusavit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima. Cui cum minus Abbas crederet, ille ad maiorem vindictam usque ad Visitoris praesentiam suam accusationem reservavit. Quid plura? Tantum ²⁾ apud illum invidi machinatio profecit, ut ipse Visitor iuveni vitia relata in Capitulo coram omnibus obiiceret, neganti et Deum innocentiae suae testem invocanti non crederet, sed habitu truncato carceri manciparet. Post cuius discessum, Deus iudex iustum infirmitate peremptoria flagellavit. Timens vero mori, confessus est iuvenem ex invidia se ³⁾ accusasse. Quod cum ex consilio confessoris senioribus propalasset, statim pro Visitatore missum est. Qui territus ad monasterium ocius rediit, per se ipsum carcerem intravit, ad pedes monachi se prostravit, et ut sibi ignosceret, quod ignoranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctantem cum gloria eduxit. Haec mihi relata sunt a quodam Abbate, qui visitationi eidem interfuit. NOVICIUS: Puto monachum istum multum in tam grandi tentatione meruisse. MONACHUS: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uvae torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Servavit enim in tribulatione patientiam. Invido autem sua erat ⁴⁾ invidia, quod venenum stomacho, quod tineae vestimento, quod aerugo flori ⁵⁾, quod tabes corpori. NOVICIUS: Si nosti adhuc aliqua de tentationibus invidiae exempla, precor ut mihi recites illa. MONACHUS: Quia latens morbus est invidia, nullum ad praesens occurrit exemplum, quod vel memoria sit dignum, sive aedificationi necessarium. Referam tibi tamen quandam sanctam invidiam, quam te audire delectet.

1) Johan. I, 3, 15. — *) Homil. II. p. 22. — 2) ADP tanta. — 3) BC se iuvenem ex invidia (B per invidiam). — 4) BD erat sua. — 5) Psal. 77, 46.

CAPITULUM XXV.

De puella, quae invidebat studio consororis.

Anno praeterito in monasterio quodam ordinis nostri iuxta Frisiam¹⁾, quod Yesse dicitur, duae parvulae puellae²⁾ ad literas positae fuerunt. Quae cum magno fervore discentes, satis inter se contenderunt, ut una alteri in studio et scientia superior haberetur. Interim contigit unam infirmari. Quae comparis suae³⁾ profectui invidens, satis coepit tentari, timens quod interim multa discere posset. Vocansque Priorissam, coepit illi supplicare, dicens: Bona domina, quando venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex denarios, quos vobis dabo, ut non patiamini discere sororem meam, donec convaluero. Timeo enim, ne⁴⁾ praecellat me. Ad quod verbum subrisit Priorissa, puellae fervorem satis admirans. NOVICIUS: Dic obsecro, quae est medicina contra invidiam. MONACHUS: Obsequia caritatis.

CAPITULUM XXVI.

Exemplum contra invidiam a magistro Rudolpho prolatum.

Magister Rudolphus Scholasticus Coloniensis, quem ego bene novi et frequenter audivi, discipulos suos instans⁵⁾ exemplum contra invidios docuit, dicens: Frater aliquis quendam ex fratribus suis ita exosum habuit, ut non sine cordis sui cruciatu illum respicere posset⁶⁾. Quod ille sentiens, et vulnus cordis eius sanare cupiens, fratrem tam periculose tentatum, imo in ipsa tentatione omnino superatum, obsequiis caritatis ad suum amorem, quantum⁷⁾ potuit, inclinavit. Capitale⁸⁾ eius vertit et mollificavit, vestes excussit, calciamenta circa lectum composuit, et quicquid ad illius commodum esse noverat, in quantum licuit et potuit, exhibuit. Sic ille invidios obsequiis eius devictus, et ad cor reductus, conceptum invidiae venenum exspuit, et quem prius aequo oculo respicere non potuit, plus postea

1) accuratius infra VII, 46: „in introitu Frisiae, iuxta civitatem Gruningen.“ — 2) BC puellae parvulae. — 3) ADP sui. — 4) D quod. — 5) P instituens. — 6) ADP ut sine — non posset. — 7) B in quantum. — 8) hoc est, cervical.

ceteris dilexit. Haec de vitio invidiae pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia ceteris Deo, qui caritas est ¹⁾, plus videtur esse contrarium, idcirco ab omni homine magis ceteris vitiis est vitandum.

CAPITULUM XXVII.

De accidia et filiabus eius.

Quarto loco ponitur accidia, quae viris religiosis solet esse satis importuna. NOVICIUS: Quia nomen huius vitii aliquantulum barbare sonat, quid sit accidia, vel unde dicatur, scire desidero. MONACHUS: Accidia est ex confusione mentis nata tristitia, sive taedium, et amaritudo animi immoderata, qua iocunditas spiritalis exstinguitur, et quodam desperationis praecipitio mens in semetipsa subvertitur. Dicitur autem accidia, quasi acidia, eo quod opera ²⁾ spiritualia nobis acida reddat et insipida. De qua per Salomonem dicitur: *Manus remissa tributis serviet* ³⁾. Item: *Pigrum deicit timor a bono opere; animae autem effeminatorum esurient* ⁴⁾. Dicit etiam de ea Seneca: *Magna iactura est, quae per negligentiam fit* ⁵⁾. Accidiae sive tristitiae propagines sunt, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta, evagatio mentis circa illicita. Accidia multos tentat, et multos per desperationem praecipitat. NOVICIUS: De tentatione huius vitii exempla subiungas. MONACHUS: Audi quam sit periculosum accidia vexari.

CAPITULUM XXVIII. *)

De monacho, quem accidia non sinebat surgere ad vigiliis.

Monachum quendam diabolus, sicut exitus probavit, ita accidiosum reddiderat, ut quotiens esset ad matutinas surgendum, statim ex quadam pusillanimitate et timore vigiliarum sudore perfunderetur. Putans esse ⁶⁾ ex infirmitate, iacuit, vestibus se operuit, et sicut ostium, secundum Proverbium Salomonis, volvitur in cardine suo, sic piger ille vertebat

1) Johan. I, 4, 8. — 2) B omnia. — 3) Proverb. 12, 24. — 4) Proverb. 18, 8. — 5) Senec. Epist. I. — *) Homil. III. p. 118. — 6) C hoc esse.

se in lecto suo 1). Nocte quadam ad signa nolarum surgentibus ceteris omnibus, festinantibusque ad divinum officium, cum ille surgere tentaret, audivit de sub lecto, quando iterum vetante accidia se reclinaret 2), vocem quandam incognitam clare satis sibi dicentem: Noli surgere, noli sudorem tuum interrumpere, quia non expedit tibi. Tunc primum sentiens sibi a diabolo per vitium accidiaie esse illusum, a phantastico illo sudore se excussit, nec postea tanto torpori facile consensit. Hoc scias, quia non permittitur diabolus nos tentare quantum vult, et quamdiu vult, ne decepti ab illo pereamus. Saepe invitus, virtute divina compulsus, his quos tentat fallaciam suam manifestat.

CAPITULUM XXIX.

*De sacerdote, cui in oratione dormitanti crucifixus
dorsum vertebat.*

Sacerdos quidam ex monachis nostris solitus fuit dictis matutinis in illo intervallo, quo fratres solent vacare orationi vel psalmis, super unam sedium se deponere, et inter orationis verba dormire. Volens illi Dominus ostendere, quia tali hora, et maxime in tali loco, non esset dormitandum, sed in oratione vigilandum, apparuit in cruce ei 3), verso dorso ad illum, ut dicere videretur: Quia tepidus es et accidiosus, non es dignus faciem meam intueri. Et hoc sibi saepius contigisse 4) testatus est.

CAPITULUM XXX.*)

*De tentationibus et visionibus Christiani monachi
Vallis sancti Petri.*

Alius quidam monachorum nostrorum, Christianus nomine, aetate quidem iuvenis, sed vitae tam sanctissimae fuit, ut unus crederetur de sanctis, qui sunt in terra Domini. Hic corpore tam debilis erat, ut eum vivere taederet. Nocte quadam dictis matutinis usque ad laudes, capiti suo parcere volens, super lignum ante quoddam altare se prostravit, sub

1) Proverb. 26, 14. — 2) IX, 9: „quando iuvenula eram, et hortum excolendum suscepissem.“ Mutato quando in et, verba iterum — reclinaret in BC ante audivit posita sunt. — 3) C in cruce illi, ABD ei in cruce. — 4) B accidisse. — *) Homil. I. p. 135. III. p. 184.

forma orationis ibi dormitans. Mox ut oculos clauserat, affuit gloriosa Domina nostra virgo Maria, et veste eum feriens excitavit, dicens: Christiane, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Statim ille evigilans, apertis oculis posteriora feminae recedentis vidit, et vocem femineam iam dictum sermonem concludentem audivit. NOVICIUS: Quantum ex isto iuvene considero, non omne taedium boni operis ex vitio est, sed aliquando ex corporis infirmitate. MONACHUS: Ex vitio primi hominis omnis tentatio est et infirmitas. Septem ex culpa illius contraximus poenalitates, esuriam videlicet, sitim, frigus, calorem, lassitudinem, infirmitatem, mortem. Quando motus harum poenalitatum ordinatus est, poenam habet, sed non culpam; quando vero immoderatus ¹⁾ est, poenam habet et culpam. NOVICIUS: Quid appellas lassitudinem? MONACHUS: Somnolentiam, et alium quemlibet laborem, unde homo fatigatur. Caveamus ergo, ne hoc quod est naturae, vertatur in vitium; quia non solum ex naturalibus per usum malum gignuntur vitia, sed etiam ex virtutibus. Verbi gratia: Justitia dum modum excedit, vertitur in crudelitatem; nimia pietas in dissolutionem; indiscretum zeli studium iudicatur iracundia; nimia mansuetudo segnitia ²⁾ dicitur et accidia. Sicque sentias de ceteris. NOVICIUS: Puto praedictum iuvenem non parvi fuisse meriti, quem beata Virgo sic familiariter excitavit. MONACHUS: Quanti fuerit meriti, quam dilectus coelestis patriae civibus, sequentia declarabunt. Cum propter nimiam capitis infirmitatem ³⁾, generalem habuisset in Capitulo licentiam manendi ⁴⁾ de vigiliis sollempnibus, quotiens voluisset, vix, nisi compulsus, de choro exivit. Dictis vero matutinis infirmorum, in oratorium rediit, et moram longiorem, quam ordo concederet, illic ex consuetudine fecit. Cui cum diceret die quadam dominus Henricus Abbas noster ⁵⁾, tunc monachus simplex: Bone frater Christiane, vos frequenter nobis exponitis debilitatem capitis vestri, et tamen non vultis uti gratia vobis indulta; respondit: Non possum manere. Stans enim extra chorum, et alios psallere audiens, quia intrare non licet, corde crucior, eo quod recorder ⁶⁾ consolationum, quibus Deus inter illos laetificat animam meam. Audito hoc verbo, dominus

1) R inordinatus. — 2) C segnitias. — 3) C debilitatem. — 4) C remanendi. — 5) C noster nunc. — 6) BCD recorder.

Abbas de speciali praesumens amicitia, quae essent illae consolationes inquisivit, et ¹⁾ ut sibi diceret, cum multa precum instantia obtinuit. Confessus est ei, quia saepius in choro tempore psalmodiae beatos angelos videret circuire, et quod multo fuit excellentius, ipsum Regem angelorum hominem Christum Jesum. NOVICIUS: Magna dona concessa sunt huic iuveni. MONACHUS: Et merito. Ex quo enim ad ordinem venit, nunquam sine tentatione fuit, tum propter nimiam debilitatem capitis, tum ob desiderium patriae coelestis. Flagellum Domini in tanta patientia sustinuit²⁾, ut omnes eius fratres mirarentur. Tempore quodam Dominus, qui intentator est malorum³⁾, gratiam lacrimarum, quam illi copiose contulerat, subtraxit, unde satis tentabatur. NOVICIUS: Antequam procedas, nosse vellem, cur Deus huiusmodi gratias viris iustis subtrahat. MONACHUS: Quatuor de causis videtur illa subtractio fieri, ne videlicet gratia assiduitate vilescat; ne mens de usu illius superbiat; ut cum maiori desiderio quaeratur, et recuperata diligentius custodiatur; quarta causa est culpa venialis. NOVICIUS: Placet quod dicis. MONACHUS: Christianus vero de amissa gratia satis dolens, et peccatis suis hoc imputans, cum die ac nocte pro illius recuperatione oraret, nec proficeret, recordatus est ligni Dominici, dixitque in semetipso: Si facultatem haberes deosculandi lignum pretiosum, in quo Salvator sanguinem suum fudit, gratiam tibi refunderet lacrimarum. Tali suspensus desiderio, in quadam sollemnitate dicta missa ad altare accessit, sacrumque lignum deosculans, cum augmento subtractam⁴⁾ gratiam recepit. NOVICIUS: Duae cruces sunt apud nos; quae harum fuerit expediri volo. MONACHUS: Illa, in qua est lignum nigri coloris, quae de Apulia venit. Alteram, quae rubei coloris est, nondum habuimus, quam de ecclesia sanctae Sophiae apud Constantinopolim sublatam, contulit nobis Henricus de Ulme⁵⁾. NOVICIUS: Vellem scire, quali fine vir tantae gratiae migraverit ab⁶⁾ hoc saeculo. MONACHUS: Saepe ex manibus suis sentiebat tam aromaticum odorem, ut miraretur, et dicere posset cum sponsa,

1) et om C. — 2) B pertulerat. — 3) Jac. 1, 13. — 4) ADP susceptam. — 5) Ulme, Ulmen, Ulmene, Olmen, castrum et oppidulum Eifliae. De Henrico vide et Gelén. de Magn. Colon. p. 367. — 6) BC de.

cuius membrum fuit, etiam ad literam: *Manus meae stillaverunt mirram; digiti mei pleni sunt mirra probatissima* 1). NOVICIUS: Forte manus habebat impollutas. MONACHUS: Noveris eum non fuisse carne virginem, ut scias odorem eundem fuisse magis 2) ex virtute mentis, quam ex integritate corporis. Accedens vero ad mensam corporalem, gratiam perdidit spiritualem. Licet semper debilis esset et infirmus, tamen ante obitum suum per dies multos amplius in camino aegritudinis excoctus 3), et sicut aurum in igne probatus est. Nocte quadam in somnis sancta Agatha martyr et virgo illi apparens, dixit inter verba consolatoria: Christiane, non sit tibi onerosa infirmitas haec, quia isti sexaginta dies reputantur tibi pro sexaginta annis. Expergiscens, quia visionem intelligere non potuit, quibusdam eam revelavit. Quam quidam ita interpretati sunt, quod tantum eum purgaret a peccatis infirmitatis illius acredo, quantum sexaginta anni in purgatorio. Aliis videbatur, quod verius fuit, quia infirmitas illorum sexaginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito sexaginta annorum. Nam in nocte sanctae Agathae spiritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte, qua haec audivit. Consummatus in brevi, explevit tempora multa 4). Et ut scias esse verum sermonem propheticum, qui dicit: *Filius non portabit iniquitatem patris* 5), noveris monachum hunc filium fuisse clerici et Bonnensis ecclesiae canonici. NOVICIUS: Audivi de quibusdam, quod nimis timeant, eo quod de legitimo thoro nati non sint. Illis expediret ista audire. MONACHUS: Sive sint filii legitimi, sive fornicarii, adulterini, vel incestuosi, id est, de incestu nati, omnes ante baptismum eadem catena astricti tenentur. Omnes quidem nati sumus filii irae; per baptismum vero effecti sumus filii gratiae; sed soli illi beati, qui per vitam bonam et gratiam finalem computabuntur inter filios gloriae. Revocat mihi ad memoriam oratio tua conversum quendam sanctum, sancti sacerdotis filium, qui de sua conditione ita erat tentatus, ita tristis et turbatus, ut pene missus 6) esset in desperationem. NOVICIUS: Scire vellem exitum tentationis eius. MONACHUS: Dicam tibi quod

1) Cant. 5, 5. — 2) BC magis fuisse. — 3) Isai. 48, 10. — 4) Sapient. 4, 13. — 5) Ezech. 18, 20. — 6) R lapsus. VIII, 57: „ut omnes mitteret in desperationem.“ Homil. IV. p. 104: „pondus tentationis multos mittit in desperationem salutis.“

audivi ab ore cuiusdam Abbatis, qui illum novit et familiaris fuit. Sed et ego illum novi.

CAPITULUM XXXI.

De Henrico converso Vilariensi, qui graviter tentatus fuit, eo quod non esset filius legitimus.

Nomen converso Henricus fuit, in Vilario professus, et domini Christiani monachi de Claustro filius. De hoc Christiano mira tibi dicam in distinctione septima capitulo sexto decimo. Ministrabat autem idem Henricus in hospitali pauperibus, vir multae humilitatis, patientiae et compassionis; et quanto plus Deum timuit, tanto plus ab illo separari formidavit. Immiserat enim diabolus quandam desperationem cordi eius, ita ut diceret: Quia non es filius legitimi thori, non eris heres coelestis regni. Quae cogitatio in corde eius adeo creverat¹⁾, ut a confessoribus tam de scripturis quam de exemplis prolatam nullam prorsus reciperet²⁾ consolationem. Misertus eius Dominus, nocte quadam, cum tentatio esset validissima, in domum amplam et longam illum transtulit, in somnis tamen. In qua vidit de utroque sexu multitudinem magnam. Et facta est ad eum vox: Henrice, vides hanc multitudinem? Omnes quidem de legitimo thoro sunt nati, sed omnes reprobi sunt praeter te. Evigilans statim, laetificatus est valde, intelligens visionem propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessavit, et ipse quamdiu vixit, Deo, qui non deserit sperantes in se³⁾, gratias egit. NOVICIUS: Estne accidia, in choro dormire? MONACHUS: Consuetudo vitium accidiae ex se gignit⁴⁾, quod quidam per infirmitatem palliant, cum idem vitium magis ex diabolica operatione, quam ex infirmitate sit.

CAPITULUM XXXII.

De serpente, quem vidit frater Conradus in dorso conversi dormitantis in choro.

Loquente me die quadam cum viro valde religioso ex

1) C crevit. — 2) C expeteret. Conf. II, 35. — 3) Judith 13, 17. — 4) C Somnolentia vitium gignit ex se accidiae.

conversis nostris, de his qui frequenter in choro nostro¹⁾ dormiunt, ipse mihi respondit: Sciatis pro certo, quod somnolentia illa ex diabolo est. Die quadam tempore aestivo, eum laudes decantarentur, vidi in dorso fratris Wilhelmi, qui libenter ibi dormit, clara die serpentem serpere, et statim intellexi quia diabolus esset, qui in eius somnolentia pascebatur. Huiusmodi visionem, teste fratre Richardo, dicebat se de eodem converso saepius vidisse. Conversus, qui haec vidit, vocabatur Conradus, vir bonus et iustus, de quo multa excellentiora tibi in distinctione octava²⁾ recitabo. Multos per somnolentiam tentat diabolus et vexat, et hoc in diversis formis.

CAPITULUM XXXIII.

De converso, cui cattus visus est oculos claudere, cum in choro dormitaret.

In Hemmenrode conversus quidam valde accidiosus fuit in choro, pene semper ibi dormitans. In cuius capite alter quidam conversus frequenter cattum sedere vidit, qui mox³⁾ ut pedes suos oculis conversi superposuit, statim ille oscitare coepit. Quod cum intellexisset ex relatione eius, qui hoc videre meruit, ne diutius illuderetur a diabolo, sedem stalli sui sic paravit, ut dum dormitaret, illa in partem declinando⁴⁾, sedentem praecipitaret. Sicque somnolentiae daemon per artem excussus est, et frater accidiosus ferventior in Dei servitio factus est. Haec mihi a quodam converso eiusdem coenobii relata sunt. Quantum daemones illic dormitantes irrideant, ex subiecto cognosces exemplo.

CAPITULUM XXXIV.

De Frederico monacho, cui in choro dormitanti diabolus nodum stramineum in oculos iecit.

Quidam ex senioribus nostris, Fredericus nomine, licet alias fuerit vir bonus, de vitio tamen somnolentiae satis fuerat notatus. Hic nocte quadam, antequam emissus esset conventus

1) nostro om BC. — 2) cap. 20. — 3) mox add BC. — 4) C inclinando.

noster, cum staret ad psalmodiam matutinarum in Hemmenrode, et dormitaret, vidit ante se, in somnis tamen, virum longum et deformem stantem, qui in manu nodum stramineum¹⁾ et lutosum, unde equi terguntur, tenebat. Qui cum monachum proterve intuitus fuisset, et dixisset, quid hic tota nocte stas²⁾ et dormitas, magnae fili mulieris? ipso fimoso stramine in faciem³⁾ eum cecidit. Mox ille territus evigilavit, et ut ictum ferientis evaderet, caput retrahendo ad parietem dure satis allisit⁴⁾. Vide quanta subsannatio.

CAPITULUM XXXV.

De monacho, circa quem in choro dormitantem porci videbantur.

Nuper audivi, quod silere non debeo. In eodem monasterio monachus quidam est, qui in choro saepe dormitat, et raro vigilat, multum tacens, et parum psallens. Circa istum saepe porci videntur, et porcorum grunitus audiuntur. Puto quia colligant siliquas de ore eius cadentes. NOVICIUS: Quid sunt siliquae, vel quid significant⁵⁾? MONACHUS: Siliquae sunt folliculi leguminum, significantque verba psalmodiae a virtute vacua, quae somnolenti sine intentione proferunt, et eadem semiplene prolata porcis, id est, daemonibus, colligenda proiiciunt. Hi vero qui vigilant, et libenter devoteque cantant, et psallunt intente, medullam⁶⁾ comedunt, quia gratiam, quae in verbis latet prophetis, percipiunt. Tales in futuro, cum laudatoribus coelestis Jerusalem, adipe frumenti Dominus satiabit⁷⁾, id est, visione suae deitatis⁸⁾. NOVICIUS: Satis ex his quae dicta sunt colligo, quod taedium exercitii spiritualis sit a diabolo. MONACHUS: Ut dicis ita est, quia quidam sunt, qui statim ut coeperint⁹⁾ psallere, orare vel legere, mox dormire incipiunt. Vigiles in lecto, somnolenti in choro. Idem dico de audiendo verbum Dei. Cum verba saecularia audiunt, bene vigilant; cum verbum Dei eis proponitur, mox dormitant.

1) hoc est, peniculum stramineum, Germanice Strohwisch. — 2) CD stas tota nocte. — 3) ACDP facie. — 4) P illisit. — 5) BP signant; sic et paulo post. — 6) C cantant, psal-morum intente medullam. — 7) Psal. 147, 14. — 8) C divinitatis. — 9) B coeperunt.

CAPITULUM XXXVI.

De domino Gevardo Abbate, qui monachos in sermone dormitantes per fabulam Arcturi ¹⁾ excitavit.

In sollemnitate quadam cum Abbas Gevardus praedecessor huius, qui nunc est, verbum exhortationis in Capitulo ad nos ²⁾ faceret, et plures, maxime de conversis, dormire, nonnullos etiam stertere conspiceret, exclamavit: Audite, fratres, audite, rem vobis novam et magnam proponam. Rex quidam fuit, qui Artus ³⁾ vocabatur. Hoc dicto, non processit, sed ait: Videte, fratres, miseriam magnam. Quando locutus sum de Deo, dormitastis; mox ut verba levitatis inserui, evigilantes erectis auribus omnes auscultare coepistis. Ego eidem sermoni interfui. Non solum personas spirituales, sed et saeculares diabolus per somnolentiam tentat et impedit.

CAPITULUM XXXVII.

De Henrico milite apud nos carenam faciente, et de lapide, in quo dormiebat tempore orationis.

Miles quidam Bonnensis, Henricus nomine, tempore quodam quadragesimali carenam ⁴⁾ fecit apud nos. Postquam reversus est in domum suam, die quadam occurrens praedicto Gevardo Abbati, ait ad illum: Domine Abbas, vendite mihi lapidem illum, qui iuxta talem columnam oratorii vestri iacet, et ego dabo pro illo quicquid postulaveritis. Cui cum diceret: Ad quid vobis est necessarius? respondit: Ego illum ponere volo ad lectum meum, quia talis est eius natura, ut qui dormire non potuerit, et caput super illum posuerit ⁵⁾, statim dormiat. Illam confusionem fecerat ei diabolus tempore poenitentiae, ut quotiens veniens ad ecclesiam se super eundem lapidem causa orationis reclinaret, mox ei somnus subriperet ⁶⁾. Simile verbum nobilis quidam, qui ob similem poenitentiam fuerat ⁷⁾ in Hemmenrode, fertur dixisse: Molliores, inquit, sunt lapides oratorii Claustrum omnibus lectisterniis

1) Arcturi add ABD; conf. XII, 12. — 2) D ad nos in Capitulo, BC nobis in Capitulo. — 3) sic omnes libri. — 4) hoc est, castigationes orationesque in ieiunio quadragesimali. — 5) BC ponat. — 6) R obreperet. Conf. VII, 11. Dani. 6, 6. — 7) C similem causam poenitentiam fecerat.

castri mei. Non poterat se continere, quin tempore orationis in illis dormiret. NOVICIUS: Si non esset gravis culpa accidia in servitio divino, non nos ita diabolus ad illam sollicitaret. MONACHUS: Quanta sit culpa huius vitii, poena te doceat unius accidiosi.

CAPITULUM XXXVIII.

De monacho in choro frequenter dormitante, quem crucifixus in maxilla percussit et exstinxit.

Vix sunt duo menses elapsi, quod dominus Abbas Campensis retulit nobis de quodam monacho, qui semper in choro solebat dormire, rem valde terribilem ¹⁾. Nocte quadam, cum ex more dormiret aliis psallentibus, crucifixus de altari venit, dormitantem excitavit, et cum tanto nisu maxillam eius percussit, ut infra tertium diem moreretur. NOVICIUS: Stupenda sunt quae dicis. MONACHUS: Monachus accidiosus nauseam Deo provocat et angelis sanctis. Unde cuidam accidioso in persona omnium per Johannem dicitur a Christo: *Utinam esses calidus aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo* ²⁾. NOVICIUS: Recordor te superius dixisse, idem esse vitium accidiam et tristitiam. MONACHUS: Verum est, quia accidia est ex confusione mentis nata tristitia. Ex hac nascitur malitia et desperatio, sicut subiecto tibi ostendam exemplo.

CAPITULUM XXXIX.

De puella reclusa, quae Deum et angelos esse dubitans, de corpore egressa, per spiritum vidit angelos scilicet et animas, sicque ad corpus regressa est.

Abbas de Brunisbach ³⁾ anno praeterito retulit Abbati nostro tentationem quandam ex tristitia natam, terribilem satis, sic dicens: In provincia nostra quaedam exstitit puella nubilis ac formosa, divitumque filia. Quam cum parentes tradere vellent marito, renuit illa dicens: Non nubam alteri viro, nisi

1) P terribilem valde. — 2) Apoc. 3, 15. 16. — 3) BCP Brumbach. Intelligit Brumbach abbatiam prope Wertheim in Dioecesi Herbipolitana.

sponso coelesti Domino meo Jesu ¹⁾. Tandem virginis pertinacia parentes taediati, propriae illam relinquere voluntati. Quae Christo, quasi de victoria gratias agens, cellam sibi fieri fecit, in qua ab Episcopo velata et reclusa ²⁾, ipsi soli sola satis devote ³⁾ per dies aliquot servivit. Invidens tantae virtuti diabolus, variis illam tentationibus conquassavit, et veneno tristitiae innocuum virginis pectus inficiens, sanam infirmavit. Mox illa coepit variis cogitationibus ⁴⁾ fluctuare, in fide nutare, de perseverantia desperare. Invasit eam et defectus cordis, tabitudo corporis, torpor in oratione, dolor de reclusionione. Interim dum sic periculose puella nutaret, supradictus Abbas ordinis Cisterciensis, cuius curae ab Episcopo commissa fuerat, visitationis gratia advenit, et quomodo viveret, vel quomodo haberet ⁵⁾ inquisivit. Respondit illa: Male vivo, male valeo, et quare vel propter quem hic reclusa ⁶⁾ sim, prorsus ignoro. Cui cum Abbas diceret: Propter Deum et propter regnum coelorum; illa ⁷⁾ respondit: Quis scit, si Deus sit ⁸⁾, si sint cum illo angeli, animae, vel regnum coelorum? Quis ista vidit? quis inde rediens visa nobis manifestavit? Huiuscemodi sermones ut Abbas audivit, totus contremuit, conversusque ad virginem ait: Quid est quod loqueris, soror? Signa cor tuum. Respondit illa: Ego loquor sicut mihi videtur. Nisi videam ista, non credam. Rogo ut sinas ⁹⁾ me exire, quia reclusionem hanc diutius sustinere non valeo. Tunc Abbas intelligens ¹⁰⁾, ex immissione diaboli tam repentinam esse tristitiam, et ex tristitia desperationem, ait: Soror, inimicus gloriae tuae invidens, periculose te tentat, tu sta in fide, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum ¹¹⁾. Amicis et cognatis contradicentibus, tu sanctam hanc elegisti vitam, tu istam desiderasti reclusionem. Quae cum surda aure monentis et exhortantis verba perciperet, rogavit eam Abbas, ut saltem septem diebus ibi sustineret, donec ad claustrum iens et rediens, denuo eam visitaret. Quod ut promitteret cum vix obtinuisset, ad monasterium pergens periculum virginis fratribus exposuit, et ut orationes speciales per hebdomadam pro illa devote ad Deum funderent, omni-

1) BC add Christo. — 2) C inclusā. — 3) C devota. — 4) ADP tentationibus. — 5) C se haberet. — 6) B inclusa. — 7) B iterum illa, C rursus illa. — 8) BC sit Deus; paulo post B cum eo, C cum ipso. — 9) ABCP sinatis. — 10) C cognoscens. — 11) Psal. 26, 14.

bus praecepit. Ipse vero in propria persona, quantum valuit, Domino supplicavit pro illa. Hebdomada completa, reversus ad eam ait: Quomodo modo 1) habes, filia? Respondit illa: Optime, pater. Nunquam melius 2). Infra hos dies septem plus sum laetificata, plus consolata, quam ante tuum discessum fuerim contristata vel desperata. Sciscitante eo causam consolationis, ait illa: Pater, oculis meis vidi de quibus dubitavi. Post discessum tuum anima mea de corpore fuit educta, et vidi sanctos angelos, vidi animas beatorum, vidi praemia iustorum. Corpus autem meum vidi oculis animae in pavimento cellulae meae ita exsanguie iacere et pallidum, sicut herbam sine succo et arefactam. Interrogata ab Abbate, qualis esset effigies animae; respondit: Anima substantia spiritualis est, et in sui 3) natura sphaerica, ad similitudinem globi lunaris. Ex omni parte videt. Quando vero animae existenti in corpore angelus sive anima apparet, in liniamentis corporeis se ostendit. Quando anima existens in carne a carne libera est, animae consimili sicuti est apparet 4). NOVICIUS: Huic visioni satis concordat quod Abbas Morimundi 5) animam suam, a mortuis rediens, similem esse dixit vasi vitreo, et ex omni parte oculatam, sicut memini te dixisse in distinctione prima capitulo tricesimo secundo. MONACHUS: Quaedam 6) etiam retulit eadem sanctimonialis de adventu Antichristi, quae hic ponere nolo, eo quod multi de illo 7) prophetando decepti sint. NOVICIUS: Satis me terret, quod Dominus mentem tam sanctam, tam mundam et virginalem, tam immundis et tam nefandis tentationibus vexari permisit. MONACHUS: Incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius 8), sicut audies de tentatione alterius cuiusdam sanctimonialis, cuius tentatio tanto est periculosior, quanto incertum est quali sit fine terminanda.

1) C quomodo te modo, BDP quomodo. VIII, 42: quomodo habes modo, soror? — 2) C add habui. — 3) C sua. — 4) VII, 16: „anima educta a corpore quando non est revertenda, reliquas animas sive spiritus angelicos videt sicuti sunt. Quando vero reversura est ad corpus, non ei datur animas sive angelos contemplari, nisi sub aliqua similitudine et liniamentis, propter viventes.“ — 5) ACP et pr D Morimundis, B in Morimundis. — 6) BDP quoddam. — 7) C eo. — 8) Rom. 11, 33.

CAPITULUM XL.

*De sanctimoniali, quae in fide dubitans ¹⁾ et desperans,
in Mosellam se praecipitavit.*

Infra paucos menses quaedam sanctimonialis, femina pro-
vectae aetatis, et magnae ut putabatur sanctitatis, a vitio
tristitiae in tantum est turbata, a spiritu blasphemiae, dubie-
tatis et diffidentiae adeo vexata, ut caderet in desperationem.
De his quae ab infantia credidit et credere debuit, omnino
dubitare coepit, nec ab aliquo induci potuit, ut divinis com-
municaret sacramentis. Quam cum interrogassent sorores,
nec non et neptis eius carnalis ²⁾, cur ita esset indurata? re-
spondit: Ego sum de reprobis, de illis scilicet, qui damnan-
di sunt. Quadam die commotus Prior dixit ad illam:
Soror, nisi resipiscas ab ista infidelitate, cum mortua fueris,
in campo te faciam sepeliri. Quo verbo illa audito ³⁾ tunc
tacuit, sed verbum bene retinuit. Die quadam, cum quaedam
ex sororibus nescio quo essent iturae, illa latenter post eas
exiens ad litus Mosellae, super quod ⁴⁾ situm est monasterium,
venit, et cum navis, quae sorores portabat, amota esset, de
litore ⁵⁾ in fluvium se praecipitavit. Hi vero qui in navi
erant, sonum aquae motae audientes, et respiciendo ⁶⁾, corpus eius
canem putantes, nutu Dei unus cognoscere volens certius
quid esset, ad locum ocius cucurrit, et ut hominem vidit,
flumen intravit et extraxit. Tunc considerantes quod supra-
dicta foret sanctimonialis, iam pene suffocata, territi sunt
omnes, et curam ei adhibentes, postquam aquam evomuit,
et loqui potuit, interrogaverunt eam dicentes: Quare tam
crudeliter egisti, soror? Respondit illa: Dominus iste, digito
Priorem ostendens ⁷⁾, minatus est mihi, quia me mortuam sepe-
lire deberet in campo. Unde magis elegi gurgitem hunc
supernatando descendere, quam bestialiter in campo sepeliri.
Tunc ad monasterium illam reducentes, diligentiore ei custo-
diam adhibuerunt. Ecce quanta malitia nascatur de tristi-
tia. Femina ista ab infantia nutrita est in monasterio, virgo

1) C dubitavit. — 2) BC neptes eius carnales. — 3) C
audito illa. II, 2. p. 59: talibus sacerdos auditis. — 4) B su-
pra quam. — 5) BCD esset a litore. — 6) P respi-
cientes. — 7) B demonstrans, ut III, 31. VII, 16. XI, 62. XII, 29.

casta, devota, rigida, religiosa ¹⁾, et, sicut mihi retulit vicini monasterii magistra, omnes puellae ab ea educatae ceteris virginibus magis sunt disciplinatae, magis devotae. Spero tamen quod Deus, qui multum est misericors, qui multis modis electos suos tentat, qui tam misericorditer de flumine illam liberavit, pristinos eius labores attendens, finaliter perire non sinet. Multa tibi possem huiusmodi tristitiae exempla recenter gesta referre, sed timeo quod infirmis non expediat talia legere vel audire. NOVICIUS: Ego iam satis didici nihil fieri sine ratione; forte ideo Deus talia permittit, ne aliquis, quantumlibet sit perfectus, de suis virtutibus vel virtutum operibus praesumat, sed Deo totum, a quo est bonum velle, posse, facere et perficere, attribuat. MONACHUS: Verum dicis. Idcirco uxor Loth inobediens versa est in statuum salis ²⁾, ut sit malis exemplum, bonis condimentum.

CAPITULUM XLI.

De converso, qui ex desperatione in piscina se suffocavit.

Vix sunt tres anni elapsi, quod conversus quidam ex nimia tristitia finalem incurrit desperationem miserabiliter ³⁾. Loquendo vel scribendo de huiusmodi tragoediis nefandis, invitus exprimo nomina locorum vel personarum, sive ordinis qualitatem, ne per hoc aliquam religiosi inferre videar ⁴⁾ verrecundiam. Idem frater bene mihi ⁵⁾ fuit notus, vir a iuventute usque ad senectutem laudabiliter et sine querela inter fratres conversatus, ita ut nullus illo videretur in ordinis observatione districtior, et in virtutibus superior. Raro loquebatur, raro indultis consolationibus utebatur. Nescio quo Dei iudicio ita tristis et pusillanimis effectus est, ut tantum de peccatis suis timeret, et ⁶⁾ omnino de vita aeterna desperaret. Non quidem dubitavit in fide ⁷⁾, sed tantum desperavit de salute. Nullis scripturarum auctoritatibus poterat erigi, nullis exemplis ⁸⁾ ad spem veniae reduci. Modicum tamen creditur peccasse ⁹⁾. Cui cum fratres dicerent, quid habetis unde

1) BC et religiosa. — 2) Genes. 19, 26. — 3) D finalem desperationem miserabiliter finivit. — 4) BR videar inferre. — 5) BC mihi bene. — 6) B ut, C quod. — 7) C de fide. — 8) C exemplis poterat. — 9) D peccavit, ut creditur.

timetis, quare desperatis? respondit: Non possum dicere, sicut consuevi, orationes meas, et ideo timeo gehennam. Quia tristitiae vitio laborabat, idcirco accidiosus erat, et ex utroque nata est in corde eius desperatio. Positus in infirmatorio ¹⁾, quodam mane ad mortem praeparatus ad magistrum suum venit, dicens: Non possum diutius contra Deum pugnare. Illo verba eius minus considerante, ad piscinam monasterio proximam abiit, et in eam se praecipitans suffocatus est.

CAPITULUM XLII.

De sanctimoniali, quae a quodam maligno converso dementata, in puteum se praecipitavit.

In alio quodam monasterio sanctimonialium ²⁾ anno praeterito similis pene casus contigit, licet causa impellens dissimilis fuerit. Puella quaedam, sicut mihi retulit quaedam sanctimonialis eiusdem ordinis, a quodam homine misero, habitu quidem religioso, non animo, ita magicis artibus est dementata, ut tentationes ab illo conceptas sustinere non posset. Nemini tamen suam passionem aperire voluit, sed solummodo dixit: Exire volo, quia poenitet me huc venisse. Quae dum ³⁾ exire non permetteretur, tristitia urgente, in puteum ⁴⁾ se nullo vidente praecipitans exstincta est. Quam dum ⁵⁾ ubique quaerent, nec invenirent, recordatae sunt quaedam sorores eam dixisse: Ego suffocabo me in puteo. Quaesita est ibi et inventa, sed mortua. Eodem tempore quidam ⁶⁾ homo miserabilis, alterius cuiusdam monasterii sanctimonialem simili extraxit malitia ⁷⁾, et impraegnavit, quae in saeculo mortua est.

CAPITULUM XLIII.

De iuvenula, quae ex tristitia se suspendit, ab amasio suo contemta.

Ante hos annos tredecim, conventus noster veniens de messione, cum navigio Rhenum ascenderet, et in villam Coloniae vicinam, quae Rodinkirge dicitur, veniret, iuvenula quaedam in ipsa hora vitam finierat, adhuc iacens in terra.

1) BP infirmatorio. — 2) C monialium. — 3) C cum. — 4) B puteo. — 5) C cum. — 6) BC idem. — 7) BC malitia extraxit.

De qua dicebatur, quod a quodam viro genuisset prolem, et quia ab eo fuerat repudiata, ex tristitiae vehementia talem sibi infixerat mortem.

CAPITULUM XLIV.

De adolescente, qui vestibus suis delusis, ex tristitia se suspendit.

Ante illud tempus adolescens quidam Coloniae vestes suas deluserat. Pro quo infortunio ita tristis effectus est, ut solarium domus suae ¹⁾ ascenderet, et laqueo vitam finiret. Vides nunc, quam periculosa sit tristitia, quae non est secundum Deum? NOVICIUS: Quid sentiendum est de animabus istorum? MONACHUS: Si sola tristitia et ²⁾ desperatio, non phrenesis, aut mentis alienatio, in causa fuit ³⁾, haud dubium quin damnati sint. De furiosis et fatuis, in quibus ratio non vivit, quaestio non est quin salventur, quocumque modo moriantur, si tamen prius habuerunt ⁴⁾ caritatem. De supradicto converso quidam vir sapiens, qui illum bene novit, me audiente sic ait: Non credo quod unquam perfecte fecerit confessionem suam. Deus enim iustos et timentes se, licet ex eis aliquando quosdam, iusto suo iudicio, permittat in sensu periclitari, non tamen illos sinit tam miserabili morte finire. Ecce exemplum.

CAPITULUM XLV.

De Baldewino monacho quandoque in Brunswich advocato.

In Saxonia civitate Brunswich miles quidam nobilis fuit, nomine Baldewinus, eiusdem civitatis advocatus. Iste inspirante Deo saeculum deserens, in domo quadam ordinis nostri, quae Relaxhusen ⁵⁾ dicitur, habitum suscepit. Qui toto anno probationis ita sibi rigidus exstitit, ut tam ab Abbate quam a magistro suo saepe argueretur. Factus vero monachus, tanti fuit fervoris, ut non sufficerent ei communia, imo etiam communibus superadderet multa specialia, et praeponeret privata. Ceteris quiescentibus, ipse laboravit;

1) suae om BC. — 2) B vel. — 3) P fuerit. — 4) C habuerint. — 5) intelligit Riddagshausen, Rittershausen iuxta urbem Braunschweig. Eiusdem abbatiae mentionem facit infra XI, 36.

aliis dormientibus, ipse vigilavit. Tandem ex nimis vigiliis et labore, exsiccato iam cerebro, tantam capitis incurrit debilitatem, ut nocte quadam, antequam conventus ad matutinas surgeret, oratorium intraret, formam noviciorum ascenderet, et fune campanae collo suo circumligata¹⁾, desiliret, ipsamque campanam mole corporis trahendo crebris ictibus pulsaret. Territus custos, festinavit in oratorium; sed multo amplius territus est, dum sic pendere²⁾ videret monachum. Accurrens tamen funem incidit, et adhuc palpitantem, et pene strangulatum deposuit atque refocillavit. Ab illo tempore nunquam sensum pristinum recuperare potuit. Adhuc dicitur vivere, nec est ei curae quando vel quid comedat, sive quamdiu dormiat. Sic quandoque de indiscreto fervore nascitur vitium accidia. NOVICIUS: Dictum est superius, de accidia sive tristitia etiam nasci pusillanimitatem. Haec non videtur mihi esse vitium. MONACHUS: Arbor mala non potest facere fructum bonum³⁾. Licet pusillanimitas ceteris filiabus accidia sive tristitiae minor videatur esse malitia, satis tamen tentatio illius est periculosa. Ipsa converti volentes ad bonam vitam, saepe avertit; conversos ne proficiant impedit. NOVICIUS: Da exemplum⁴⁾.

CAPITULUM XLVI.

De Scholastico, qui annum probationis complevit in nigro ordine timore silentii.

MONACHUS: Abbas quidam nigri ordinis, modo monachus in ordine nostro, narravit mihi, quod magister quidam Parisiensis ad ordinem nostrum venire desiderans, silentium primi anni ex quadam pusillanimitate mentis ita timuit, ut ordinem Nigrorum intraret, ibique probationis annum completeret. Qui mox ut factus est monachus, dixit ad conventum: Gratias vobis ago⁵⁾, domini mei, de beneficiis mihi a vobis exhibitis, quia ad quod veni, hoc apud vos explevi. Modo cum licentia vestra migro ad ordinem Cisterciensem. Non enim veni ut vobiscum manerem, sed ut inter vos tentationes quas timui mihi temperarem. Veniensque ad quandam domum ordinis nostri, non ut novicius probationem intravit, sed habitum tantum mutavit.

1) CR circumligato; conf. VII, 38. — 2) D pendentem. —
3) Matth. 7, 18. — 4) AD exempla. — 5) CP ago vobis.

CAPITULUM XLVII.

De praelato, qui ordinem vocavit tentationem.

Recordor nunc cuiusdam viri valde literati et cuiusdam nobilis ecclesiae praelati. Huic cum nuper dicerem, quare non venitis, ut quid tamdiu exspectatis? respondit mihi: Non audeo intrare in tentationem; distractionem ordinis tentationem appellans. Ex multo enim tempore voluntatem habuit veniendi ad ordinem, sed quadam pusillanimitate impeditus est usque adhuc. Huic congruit illud Salomonis: *Qui observat ventum, nunquam seminat*¹⁾. Ventus est tentatio, seminatio conversio. Qui nimis timet in ordine tentari, vix poterit ad ordinem converti. Novi plures in saeculo, tam clericorum quam laicorum, qui a multo tempore votum fecerunt, nec tamen audent converti timore tentationum. Semper ante oculos habent tentationes, sed non considerant multimodas quae in ordine sunt consolationes. Ecce exemplum.

CAPITULUM XLVIII.

De milite, qui ordinem vitavit timore pediculorum.

Retulit mihi²⁾ Daniel Abbas Sconaviae, militem quendam honestum et in militia nominatum, in Campo factum fuisse monachum. Hic cum alium quendam militem, aequè in armis strenuum, in saeculo amicum habuisset, et die quadam ad conversionem eum hortatus fuisset; respondit ille magnae pusillanimitatis verbum: Vere, amice, ego forte venirem ad ordinem, si non esset una res quam timeo. Interrogante monacho, quaenam esset res illa; respondit miles: Vermiculi vestimentorum. Pannus enim laneus multos vermiculos nutrit. Tunc ille subridens ait: Och fortem militem! Qui in bello diaboli non timuit gladios³⁾, in militia Christi timere debet pediculos? Auferent tibi nunc pediculi regnum Dei⁴⁾? Ille licet ad haec verba tunc tacuerit, tempore tamen modico emenso⁵⁾, effectu respondit. Nam et ordinem tam verbis quam exemplo illius provocatus intravit. Contigit ut postea hi duo

1) Eccles. 11, 4. — 2) C add dominus. — 3) B gladium. — 4) P coelorum. — 5) BC emerso.

convenirent ¹⁾ Coloniae in ecclesia beati Petri. Monachus vero Campensis cum alterum regulariter salutasset, subridens adiecit: Quid est, frater? Timesne adhuc vermiculos? Ille bene recordans unde talis interrogatio haberet originem, et ipse subridendo respondit verbum bonum, verbum ²⁾ memoria dignum: Crede mihi, frater, et hoc pro certo scias, quia si essent omnes vermiculi omnium monachorum in uno ³⁾ corpore, non me de ordine morderent. Quo verbo audito, ille multum aedificatus est, multis illud ad aedificationem recitans. Vides quantae fortitudinis factus sit is, qui ante conversionem nimis fuerat pusillanimis? Unde hoc, nisi ex divinis consolationibus, quae sunt in ordine? Haec de his dicta sint, quos vitium pusillanimitatis ne convertantur avertit. Nunc audi aliqua exempla de his, quos post conversionem ne proficerent tentavit et impedivit.

CAPITULUM XLIX.

De tentationibus Godefridi Scholastici sancti Andreae in Colonia.

Scholasticus sancti Andreae in Colonia Godefridus, cum esset vir debilis et decrepitae aetatis, ad ordinem cum multa animi constantia ⁴⁾ venit. Ego vero cum ipso in probatione fui. De quo etiam plurima quibus vexabatur tentationum genera vidi et audivi. Die quadam cum ad chorum festinaret, et cappam suam induere conaretur, diabolus conatum eius impedivit, cappamque fortiter retraxit ⁵⁾. Tandem post non modicam ⁶⁾ fatigationem ad se reversus, a diabolo se impediri considerans, cappam induere cessavit, et signans se fugavit inimicum, nec aliquod deinceps passus est impedimentum. Cum iam ad finem tenderet annus probationis, coepit ei diabolus ad mentem reducere diversa, quae in saeculo habuerat commoda, proponere etiam plurima, quae in ordine esse videntur incommoda, pondus videlicet vestimentorum, longas vigiliis et silentium, calorem in aestate et frigus in

1) B postea convenirent hi duo, C hi duo convenirent postea. — 2) ADP et. III, 21: „verbum bonum, verbum sanctum, verbum memoria dignissimum.“ Conf. IV, 64. VI, 5. — 3) KR meo. — 4) ADP instantia. — 5) P extraxit. — 6) C post modicam, B non post modicam.

hyeme, regulare ieiunium et ¹⁾ tenuem diaetam, et cetera his similia ²⁾). In quorum omnium consideratione ita pusillanimis effectus est, ut omnino de perseverantia desperaret. Et dixit mihi: Non putabam ordinem tantae esse ³⁾ districtiois. Usque ad hoc tempus aestimavi, quod minuti carnes comederent, et quod monachi sine cucullis suis dormirent. Poenitet me huc venisse. Propositum meum est, ut per memetipsum cantem in ecclesia mea in Herlisheim ⁴⁾, cuius Pastor sum, quae satis male modo locata est; et spero per Dei gratiam, quod honeste et sine querela regere debeam in ea plebem mihi commissam. Cui respondi: Tentatio diaboli est, qui vos sub specie boni eiicere conatur. Tunc ait: Si istud non est bonum, revertar ad praebendam meam, et in ambitu claustricameram aliquam mihi ⁵⁾ eligam, ubi tam canonice vivam, ut alii exemplo meo aedificentur. Chorum frequentabo, et quicquid mihi subtrahere potero, pauperibus erogabo. Ad quod iterum respondi: Et hoc consilium diaboli est. Si reversus fueritis, omnibus eritis derisui, et qui haec ⁶⁾ suasit, ipse in peccata pristina vos praecipitabit. Sic eo fluctuante, cum die quadam ego ad latus eius sederem, et verba consolationis impenderem, codicem Psalmorum arripuit, aperuit, et ait: Videamus quid de me dicturi sint fratres mei, si reversus fuero. Primus autem versiculus qui occurrit, iste erat ⁷⁾: *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, et in me psallebant, qui bibebant vinum* ⁸⁾). Statimque exclamavit: Verum praenosticum ⁹⁾! Ego, inquit, tibi exponam prophetiam istam: Si rediero ad sanctum Andream, concanonici mei, quotiens in porticu ecclesiae suae sedebunt, ipsi adversus me loquentur, me iudicantes, et de salute mea ¹⁰⁾ disputantes. Noctibus vero, quando sedebunt ad ignem, et vacabunt potationibus, ero psalmus eorum. Sicque Dei misericordia ad mentem reductus, et a se ipso confortatus, monachus effectus est, et non multo post in bona contritione defunctus, migravit ad Dominum.

1) et om BC. — 2) sic emendavi librorum lectionem, cetera huiusmodi similia. Conf. III, 26. — 3) BC esse tantae. — 4) Herlisheim est oppidulum in Alsatia Superiore prope Colmar situm. — 5) CD mihi aliquam. — 6) BD et pr C hoc; paulo post ipse add BC. — 7) BD erat iste. — 8) Psal. 68, 13. — 9) BC pronosticum; conf. X, 24. — 10) AD mea salute.

CAPITULUM L.

Item de tentatione Reneri successoris eiusdem.

Renerus iam dictae ecclesiae sancti Andreae Scholasticus, et fratris Godefridi successor, cum post eius mortem fieret apud nos novicius, in tantum coepit variis tentationibus turbari ¹⁾, ut pusillanimis effectus, die quadam domino Gevardo Abbati diceret: Non possum hic diutius manere, quia nec ordinem valeo diutius sustinere. Quem cum interrogasset, quo vultis ire? respondit ille: Ad praebendam meam oportet me redire. Tunc Abbas, quasi vir prudens, quandam severitatem simulans, coepit nescio ad quem clamare: Afferte mihi securim. Cui cum diceret novicius, quid debet securis? respondit: Ut praecedentur²⁾ pedes vestri. Credite mihi, magis volo vos sine pedibus semper pascere, quam vos sinam abire, et confundere domum nostram. Tunc ille subridens ait: Melius est ut maneam. Sicque per verba iocosa cessavit tentatio satis dura. NOVICIUS: Ut considero, novicius facile tentatur, et facile sanatur. MONACHUS: Hoc plenius scies in sequenti capitulo.

CAPITULUM LI.

De novicio, qui anno probationis completo, se radi non permisit.

Novicius quidam cum in Hemmenrode satis tranquille annum peregisset probationis, et voluntate stabilitatis expressa in Capitulo, radendus esset in monachum, atque is, qui eum radere debebat³⁾, rasorium in corrigia corrigeret, diabolus eadem hora sic iuvenem contristavit, sicque pusillanimem reddidit, ut mutato animo rasorem non admitteret. Quo viso, dominus Hermannus Abbas Loci sanctae Mariae, tunc ibidem Prior, simulata quadam iocunditate accurrit, collum iuvenis utroque brachio strinxit, et quia eadem tristitia ex immissione esset diaboli docens, fluctuantem ocius ad tranquillitatem perduxit. Tentatione vero sedata, mox adolescentis facies, non sine assistentium admiratione, est serenata, et permisit se radi.

1) P vexari et turbari. — 2) BC praecedantur. — 3) C deberet.

Sicut mihi retulit iam dictus Abbas, ita vultus novicii subito fuerat immutatus, ut nigredo maxillarum et tremor labiorum satis ostenderent, quid corde concepisset. NOVICIUS: Ecce istud est quod iam dixi, quia noviciis tentatio facile veniat, et facile recedat. MONACHUS: Quaedam tentationes noviciorum ¹⁾ tam durae sunt et tam validae, ut illas compescere valeant non verba, non exempla, sed sola potentia atque consolatio divina.

CAPITULUM LII.

De novicio a spiritu blasphemiae tentato, et in contemplatione crucifixi liberato.

Novicius quidam tempore probationis suae ex quadam tentatione diabolica, quam nunquam ante conversionem senserat, gravissime turbabatur. Erat enim eadem tentatio de incarnatione Verbi, non quod de illa male sentiret, sed diabolus per spiritum blasphemiae fervorem mentis illius nitebatur extinguere, ut dum de ea dubitaret, tantos pro Christo subire labores recusaret. Die quadam cum staret ad primam in choro noviciorum contra altare, contemplatus est oculis corporeis imaginem crucifixi in aere venire ad se, ac si diceret: Quare dubitas? Respice in me. Ego sum ille, qui natus et passus sum propter te. Per aliquam horam ante faciem eius pendens erat ipsa imago, quam tantum videre potuit ab umbelico et supra. Interrogatus a me, si sciret quid hoc significaret ²⁾, respondit: Dominus mihi contulit gratiam illam, ut nihil impudicum, et quod laedere possit verecundiam meam, cogitare possim de illo. Et ideo intellexi, quod tantum partes corporis sui superiores, non inferiores ostendere mihi ³⁾ dignatus est. Ab eadem hora omnis illa cessavit tentatio, quam ante nulla confessio, nulla sanare potuit oratio. Et licet iam dicta tentatio cessaverit, non tamen tentator cessavit. Quem enim deiicere non potuit per blasphemiam, fugare conatus est per accidiam. Nam per plurimos dies, quotiens ire debebat ad ecclesiam ad horas canonicas, venissetque ad ostium cellae, sensibiliter et tam graviter scapulis diabolus illum depressit, ut compelleretur resi-

1) BE noviciorum tentationes. — 2) P signaret. — 3) P mihi ostendere.

dere et quiescere. Factusque monachus, tam fortis et tam fervens est in ordine effectus, ut taedere nesciret, quacun- que specie accidia impugnatus.

CAPITULUM LIII.

De novicio tentato, et per nocturnam visionem duarum viarum ad viam reducto.

Abbas Philippus de Ottirburg ¹⁾ retulit Abbati nostro de quodam suo novicio tentationem satis gravem, et sola Dei revelatione sedatam. Cum enim idem novicius tam graviter esset tentatus, ut a nullo hominum posset consolari, et firmum concepisset ²⁾ propositum recedendi, eadem nocte, qua de mane ad saeculum redire voluit, tale somnium vidit. Visum est ei, quia staret ante ostium portae, de qua duas hinc inde consideravit vias exire. Una ex illis vergebat ad dexteram, altera ad sinistram; utraque tamen ducebat in ³⁾ silvam oppositam. Stante novicio in bivio, cum dubitaret quam illarum eligeret, senem quendam cominus stare conspexit. Cui sic ait: Bone vir, si nosti, ostende mihi quae ex his duabus viis sit rectior, ad ⁴⁾ ambulandum commodior. Ad quod ille respondit: Ego plene et bene te expediam. Via haec, quae est a dextris, in nemore per breve spatium spinosa est, inaequalis, lutosa et aspera. Postea sequitur campus amoenissimus, longus, planus, variisque floribus decoratus. Via vero quae est a sinistris, in silva quidem commoda est, plana, sicca, lata, et bene trita, satisque deliciosa, sed non longa. Cui campus mox continuatur longus, scopulosus, lutosus et asperimus, etiam ipso visu ⁵⁾ horrendus. Ecce totum praedixi tibi; quodcumque volueris elige. Hoc dicto, novicius expe- rfectus est, non dubitans visionem propter se factam, utpote bene suae tentationi congruentem. NOVICIUS: Vellem scire interpretationem huius visionis. MONACHUS: Via ad dex- teram, vitam significat monasticam et spiritualem; via ad sinistram, vitam saecularem atque carnalem. Silva praesens vita est, in qua more arborum homines crescunt per aetatem,

1) Ottirburg, Ottenburg, abbatia haud procul a Lutra Caesarea dis- iuncta. — 2) P cepisset, C recepisset. — 3) BD ad. — 4) BC et ad. — 5) ADP ipso visui, KR ipsi visui. Vit. S. Malach. cap. 30: „morbum ipso horrendum visu.“

et succiduntur per mortem. Utraque vita brevis est, sive monastica sit, sive saecularis. Illa in praesenti spinosa est, per ordinis rigorem, inaequalis per multimodam tentationem, lutosa per humilitatem subiectionis, angusta per raritatem voluntariae paupertatis. Angusta est via, quae ducit ad vitam ¹⁾, quae per dexteram designata est. Campus vero longus et amoenus, paradisi est, quam ²⁾ per multas tribulationes oportet nos introire ³⁾. Econtra vita saecularis atque carnalis, quam sinistra designat, eo quod ad sinistram Christi in se gradientes ducat, cum haedis iudicandos, in praesenti commoda est, ob carnis necessaria, plana propter prospera, sicca propter inobedientiam, lata et bene trita, eo quod multi ambulent per eam, deliciosa propter concupiscentiam oculorum. In hunc modum visum interpretans, a tentatione apostasiae liberatus est atque a pusillanimitate spiritus et tempestate ⁴⁾. NOVICIUS: Satis est mirabile, quod Deus tam efficaciter spiritum instruit hominis dormientis. MONACHUS: Recordor nunc cuiusdam novicii, vigilando quidem satis tentati, et per visum nocturnum non minori virtute ab eadem tentatione liberati.

CAPITULUM LIV.

Item de Gerardo novicio in Alna, qui per Alleluia in somnis auditum ⁵⁾, a tentatione sua liberatus est.

Alna domus est ordinis nostri in Flandria ⁶⁾ sita, cuius mentionem feci in distinctione prima capitulo sexto. In hac ante non multos annos miles quidam nobilis Gerardus nomine de castro Tuino oriundus, conversus est. Cumque novicius in choro noviciorum staret, et clamores monachorum in choro superiori ⁷⁾ super caput suum cantantium frequenter exciperet, tentari coepit. Amplius tamen caput eius turbabatur, quotiens Alleluia cantabatur. In illo maxime voces exaltari solent. Et factus ex hoc pusillanimis, accessit ad Priorem, et ait: Domine Prior, caput meum doleo ⁸⁾, nec diutius tantum clamorem super caput meum tolerare potero. Cui Prior verba

1) Matth. 7, 14. — 2) BC quem. — 3) B intrare, iuxta Act. 14, 21. — 4) Psal. 54, 9. — 5) ACDP audito. — 6) imo, in Brabantia. C in Episcopatu Leodiensi. — 7) BC in superiori choro. — 8) VII, 24: „non dolebis caput.“ Vit. S. Engelb. III, 45: „frater adeo doluit dentes.“

quaedam consolationis impendit, sed parum illi profuit. Nocte quadam cum maxime de hoc novicius tentaretur, vidit se in somnis a quibusdam militibus, aliquando inimicis suis, undique vallatum, nec aliquod refugii superesse subsidium. Cumque putaret celerius se ¹⁾ esse capiendum vel interficiendum, clamavit ad Dominum dicens: Domine, libera me in hac hora. Et circumpiciens, mox vidit exercitum candidatorum de longe venientem, sibique in auxilium properantem. Signifer autem, qui praecedebat, pro signo militari Alleluia azinaliter ²⁾ clamavit, crebro id repetens, qua vociferatione hostes territi et dispersi fugam inierunt, novicius solum relinquentes. Qui expergefactus, non solum gavisus est se fuisse liberatum ab eis ³⁾ qui eum circumdederant in nocturna visione, sed, quod magis eum angebat, praedicta videlicet tentatione. Mane accedens ad Priorem, dixit ei satis hilariter: Rogo vos, domine Prior, ut adhuc altius et fortius cantetis Alleluia super caput meum. Non me amodo turbabit clamor divinae laudis; et recitavit ei visionem per ordinem. Ista nobis retulit sanctae recordationis Walterus de Birbech, qui eundem Gerardum et ⁴⁾ vidit et agnovit. NOVICIUS: Puto etiam nonnullos monachos de apostasia tentari. MONACHUS: Multi de ea tentantur, et viriliter reluctantur. Alii tentantur, et tam voluntate quam opere prorsus superantur. Quidam vero tentantur, et concepta voluntate, divinis revelationibus sive ordinatione ante casum revocantur. Nonnulli vero flagellis cohibentur. NOVICIUS: De his mihi dicas exempla. MONACHUS: De primis et secundis, quia tentatio eorum satis est usitata, non est necesse tibi dicere exempla. De novissimis vero tibi dicam quod audivi.

CAPITULUM LV. *)

De monacho in Ottirburg, qui per versiculum: Diabolus egredietur ante pedes eius, a tentatione apostasiae liberatus est.

Monachus quidam de Ottirburg, teste domino Philippo Abbate eius, qui haec retulit, tam duras ⁵⁾ tentationes incur-

1) BP se celerius. — 2) PKR finaliter, A szivalir, B szivaler, C vivaliter, in D vocabulum rasura deletum est. — 3) BC his. — 4) et add AD. — *) Homil. III. p. 166. — 5) tam duras add BC.

rit, ut redire proponeret ad saeculum. Nocte quadam cum staret in choro, et mente tractaret, quando vel quomodo de monasterio exiret, prae taedio cantare non potuit. In laudibus vero, dum¹⁾ canticum sancti Abacuc psalleretur, eo quod esset feria sexta, iam dictus Abbas ad excitandum fratres circuivit. Qui cum venisset ad monachum illum fluctuantem, et non cantaret, putans eum dormire, se ad illum inclinavit, et versiculum, qui eadem hora psallendus erat, in aurem vigilantis fortiter clamavit, dicens: *Egredietur diabolus ante pedes eius*²⁾. Qua voce audita, satis territus est ille, putans Abbatem per aliquam revelationem cogitationes suas perversas scire, quibus tam manifeste sententia³⁾ prophetica visus est respondere. Nec aliter intelligens verba Prophetiae, quam pro se facta, timuit maledictionem eius si abiret incurrere, et diabolum itineris sui ducem habere. Sicque virtute divina a malo proposito revocatus⁴⁾, stabilis factus est, et miratus est Abbas ut intellexit.

CAPITULUM LVI.

De sanctimoniali, quae dum nocte vellet ire ad saeculum, et caput ostio illideret, a tentatione liberata est.

Sanctimonialis quaedam circa principium conversionis suae, sicut ipsa mihi retulit, tam graviter tentata fuit, ut doleret se venisse ad religionem. Reduxit ei diabolus ante cordis oculos⁵⁾ delicias saeculi, quas dimiserat, penuriam monasterii, quam sustinebat, et coepit ex hoc tentari graviterque contristari⁶⁾. Quae cum tentationes diutius sustinere non posset, nocte quadam voti sui immemor, de lecto surgens, et de monasterio egredi volens, ad ostium quoddam, quod ad cimiterium ducit, venit, ut transsilito muro ad saeculum iret. Nutu Dei factum est, ut in superiori limine tam fortiter capite impingeret, ut concusso cerebro retrorsum caderet, et diu quasi exanimis iaceret. Tandem ad se reversa ait: Quo vis ire, misera? Quod diabolo debuisti, hoc exsolvisti. Revertere nunc in claustrum tuum, quia non est voluntas Dei ut usquam vadas. Vides quam misericorditer Deus suos con-

1) D cum. — 2) Habac. 3, 5. — 3) Hom. voce. — 4) ADP revocatus a malo proposito. — 5) ADP ante cordis oculos diabolus. — 6) C tentari graviterque tristari, ADP graviter tentari et contristari.

servet, nunc per somnia, nunc per quaedam praesagia, nunc per flagella. Ex his satis poteris colligere, quod quaedam noviciorum tentationes, nec non et monachorum, non verbis humanis et exemplis possint curari, sed sola ¹⁾ divina virtute. Haec tibi dicta sufficiant de tentationibus accidiae vel tristitia. Vis nunc aliqua audire exempla de avaritia? NOVICIUS: Volo et desidero, quia hoc vitio non solum saeculares, sed et claustrales satis tentantur. Unde peto ut idem vitium mihi describas ²⁾, filias eius enumeres, et sic exempla subiungas.

CAPITULUM LVII.

De avaritia et filiabus eius.

MONACHUS: Avaritia est gloriae, seu quarumlibet rerum insatiabilis et inhonesta cupido. Hoc vitium alio nomine vocatur philargiria. Videtur tamen inter haec duo aliqua ³⁾ esse differentia, quia avaritia est immoderatus appetitus habendi omnium rerum; philargiria vero, per quam singulari appetitu pecuniae colligendae frena laxantur. Avaritiae autem filiae sunt, fallacia, fraus, proditio, periuria, inquietudo, violentia, contra misericordiam obdurations cordis. Avaritia in duobus consistit, in acquirendo scilicet et retinendo. De cuius malitia per Salomonem dicitur: *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam* ⁴⁾. Dominus volens Zachariae ostendere, unde maxime procederent mala mundi, ostendit ei amphoram, per cuius amplum os intelligeret cupiditatem ⁵⁾. Ipsa in eodem Propheta dicta est oculus in universa terra ⁶⁾. Secundum Apostolum: *Radix omnium malorum est avaritia* ⁷⁾. Per eam non solum tentantur personae saeculares, sed etiam spirituales. Jacob regredientem ad terram nativitatis suae, secutus est Laban, volens illum retinere. Quem cum retinere non posset, ait: *Ad tuos ire volebas, cur furatus es deos meos* ⁸⁾? Jacob, qui interpretatur luctator vel supplantator, significat virum monasticum, qui esse debet supplantator vitiorum. Laban vero, qui sonat candidus, designat mundum.

1) B sed in sola. — 2) B describas et, P describens. — 3) inter duo et aliqua videtur excidisse vocabula. — 4) Proverb. 15, 27. — 5) D intelligitur cupiditas. — 6) Zachar. 5, 6. — 7) Tim. I, 6, 10. — 8) Genes. 31, 30.

Contingit frequenter, ut aliquis mundum per conversionem deserat, nec tamen conversus ab avaritia cor suum cohibeat. Hunc iuste mundus insequitur, et dicit: *Desiderio erat tibi domus patris tui*, id est, patria coelestis, *cur furatus es deos meos?* Ac si dicat: Cur sectaris avaritiam? De auro et argento, quod religiosi satis appetunt, idola fiunt. Non ergo sine causa avaritiam idolorum servitute[m] vocat Apostolus¹⁾. Rachel, quae interpretatur videns Deum, anima est religiosi, quae dum mundi huius divitias concupiscit, quasi idola sub stramentis abscondit²⁾. Omnia enim corporis necessaria, quae monachis regula concedit, quia vilia sunt, stramenta dici possunt. NOVICIUS: Saepe ordo noster a saecularibus de avaritia iudicatur. MONACHUS: Quod illi avaritiam, hoc nos esse dicimus providentiam. Omnes enim hospites supervenientes, ex mandato regulae tenemur sicut Christum suscipere. Quibus si negaretur hospitalitas, qui modo ordinem iudicant de avaritia, tunc forte amplius eundem iudicarent de impietate et immisericordia. Pene nulla domus est ordinis, quae non sit obligata debitis, tum propter hospites et pauperes, tum propter eos, qui quotidie convertuntur, et sine scandalo repelli non possunt. Ut enim dispensatores nostros excuse[m], non de toto, sed de tanto, saepe hac necessitate oportet illos velint nolint avere. Quanta poena vitium avaritiae in praesenti sive in futuro plectatur, vel quanta gloria et fructu divitiarum contentus in praesenti etiam³⁾ remuneretur, quibusdam tibi ostendam exemplis. Magna erit eius gloria in futuro.

CAPITULUM LVIII.

De Caesario milite, qui canonicis Bonnensibus debitam pecuniam negavit, et gressum perdidit.

Miles quidam Caesarius nomine, de proxima⁴⁾ villa Wintere oriundus, fratrem habuit carnalem nomine Hirminoldum, Bonnensis ecclesiae Decanum. Iste eidem Caesario accommodaverat de pecunia ecclesiae suae viginti marcas Coloniensis monetae. Mortuo Decano, Praepositus et fratres militem,

1) Coloss. 3, 5. — 2) Genes. 31, 34. — 3) C etiam in praesenti. — 4) proxima om D; paulo post C Ruchmere.

quia pecuniam sibi commodatam reddere recusavit, imo, quod deterius erat, omnino negavit, quia illum testibus convincere non potuerunt, iurare compulerunt. Miles vero, stimulatus avaritia, iuravit et periuravit, equum ascendit et abiit, sed manum Domini effugere non potuit. Cum autem complexset medium viae, ire volens ad domum suam, procedere non potuit. Nam propter avaritiam, quae radix est omnium malorum ¹⁾, Dominus gressum illius in terra fixit, et quia mentitus fuerat, linguae eum officio privavit. Sentiens se ille iusto Dei iudicio non posse loqui, neque procedere, vel saltem Bonnam redire, sanctum Abraham Patriarcham, qui tunc ei in mentem venit, satis devote invocavit dicens: Sancte Abraham, si tuis meritis cum officio linguae gressum recepero, mox Bonnam revertar, et fratribus suam pecuniam restituam. Statim ut haec ²⁾ vovit, loqui coepit, gressumque recepit; pecuniam reddidit, et de periurio poenitentiam egit. Haec idem Caesarius retulit Abbati nostro, vir quidem simplex et satis bene morigeratus, obiitque novicius in domo nostra. NOVICIUS: Si Deus sic dure punit avaritiam in personis saecularibus, puto quod multo acrius illam puniat in claustralibus. MONACHUS: Verum est, maxime ubi filiae assunt, fallacia scilicet et fraus, violentia, et contra misericordiam induratio ³⁾ cordis.

CAPITULUM LIX.

*De monasterio, quod Dominus ob fraudem
cellerarii plagavit.*

Cellerarius quidam ordinis nostri tentatus avaritia, viduam quandam defraudavit, immemor parabola illius ⁴⁾ Salomonis: *Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam* ⁵⁾. Dominus vero non immemor vindictae, anno eodem totum pene vinum, quod monasterio creverat, ita deterioravit, ut nullius esset saporis vel coloris. Sentiens Abbas tantam plagam non esse sine causa, virginem Christi Aczelinam, quae temporibus meis Coloniae fuit, ut sibi a Domino causam illius flagelli peteret revelari, humiliter exoravit. Quod cum fecisset, responsum est ei, quia propter fraudem esset cellerarii sui, quam in talem

1) Tim. I, 6, 10. — 2) C hoc. — 3) B obduratio. — 4) illius add BC. — 5) Proverb. 15, 27.

viduam exercuerat. Et adiecit Dominus: Adhuc eum tangam una plaga maiore. Quod factum est ita ¹⁾. Eodem enim anno miles quidam omnem pene annonam monasterii in horreis incendit; sicque plaga cessavit. NOVICIUS: Cum Deus valde sit misericors, quid est quod propter unius hominis fraudem omnem punivit congregationem? MONACHUS: Sicut legitur in Josue²⁾, propter avaritiam Achor, qui de anathemate Jericho tulit, in omnem populum ira Dei desaevit. Nam sicut Deus misericors est, ita et iustus est. Si propter unius meritum saepe multitudini parcat, quid miraris, si dictante eius aequitate, aliquando propter unius delictum multos punit? NOVICIUS: Si haec ita se habent, videtur mihi utile subiectis, et necessarium praelatis, ut frequenter officiales suos moneant, ne alicui fraudem inferant, ne forte per hoc flagellum contra se iudici porrigant. MONACHUS: Verum dicis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit³⁾. Non solum Deus punit, si instinctu avaritiae damna aliis inferamus, imo etiam si nostra avare retinendo, egentibus non impartiamur, vel exhibita immisericorditer ante tempus subtrahamus.

CAPITULUM LX.

De plaga domus Vilariensis.

In Brabantia domus est ordinis nostri, quae Vilarium dicitur, in qua hospitibus et egenis multa bona saepe exhibita sunt, et adhuc quotidie exhibentur. Hoc anno cum essent in eadem provincia tempora cara, fratres eiusdem coenobii summam annonae suae taxantes, et, sicut mos est humanae infirmitati, defectum timentes, ex diabolica, ut patuit, tentatione, subsidium quod pauperibus satis large⁴⁾ impendere consueverant, usque ad messem subtrahere consiliati sunt. Eadem nocte, sicut retulit nobis quidam monachus, de eadem domo veniens, piscina, quae erat ultra claustrum, erupit, et per diversas se diffundens officinas⁵⁾,

1) BC quod et factum est. — 2) Jos. 7. Paulo post R Achan. Homil. IV. p. 168: „sicut unum membrum putridum aliquando totum corpus corrumpit, ita saepe Deus propter unum fratrem vitiosum, sicut exemplum habemus de Achor, multitudinem punit.“ Isidor. Hispal. Episc. Opp. p. 188: „Achor, qui de Hiericho anathemate concupivit, significat nequam Christianum.“ — 3) Cor. I, 5, 6. — 4) ADP largiter. — 5) officinae sunt domus diversae intra claustrum terminos sitae.

graviter illos damnificavit. Quod fratres, utpote viri iusti et timorati, peccatis suis, et maxime conceptae in pauperes avaritiae deputantes, mutato consilio, sicut ante beneficia illis solita impenderunt. NOVICIUS: Vellem nunc aliqua audire exempla de poena avaritiae in vita futura. MONACHUS: Hoc differendum est usque ad distinctionem duodecimam, in qua tractandum est de poena et gloria mortuorum. Interim tibi dicam quaedam exempla contra avaritiam, ut cognoscas quantum boni, quantumve gloriae consequantur hi, qui ab avaritia tentati, superati non fuerint.

CAPITULUM LXI.

De Abbate, qui, cellerario suo ob dolum deposito, adversarius bona, pro quibus contendebant, ultro dimisit, et eadem ab eis coactus recepit.

Abbas quidam nigri ordinis, sicut mihi retulit quidam Abbas de ordine nostro, venit ad Abbatem quendam Claraevallis, dicens illi: Domine Abbas, date mihi falcem ¹⁾, et ego dabo vobis curvum baculum. Ille quid facere vellet statim intelligens, virum suscepit, habitum mutavit, et quia hominem prudentem eundem esse consideravit, non multo post domui cuidam ordinis nostri Abbatem eum praefecit. Eodem tempore domus illius fratres pro quibusdam possessionibus cum personis quibusdam saecularibus contenderunt. Ventilata est causa coram iudicibus, et data est sententia pro Abbate et fratribus. Postea cellerarius Abbati secrete dicebat: Domine, bene hodie placitavimus ²⁾. Sciatis tamen causam nostram non ex omni parte fuisse iustam. Audito hoc verbo, Abbas satis turbatus est, tacuit tamen. Sequenti die Capitulum intravit, cellerarium proclamavit, et deposuit, eo quod avaritiae suae consulens suppressisset veritatem. Et misso pro ad-

1) Quid hic falx significet, intelligitur ex Homil. IV. p. 179, ubi de praedicatoribus loquens Caesarius, sic ait: „qualis esse debeat operarius, ex ipsa falce figurative demonstratur. Habet enim sinum recurvatum et dentatum. Curva est, ut segetem ad manum metentis colligat; dentibus armata est, ut collectam facilius praecidat. Sic omnis praedicator incurvare se debet per humilem habitum atque conversationem, ut per exemplum humiliationis auditores verbi sibi attrahat, ut ita per aciem mordentem, id est, verba correctionis, quod in eis vitiosum fuerit, efficacius abscidat.“ —

2) B placidavimus.

versariis nuncio, ait illis: Boni homines, bona vestra vestra sint, ego a die hodierna non repetam illa. Qui cum gaudio recedentes, ita in Abbatis simplicitate et iustitia aedificati sunt, ut compuncti ocius redirent, et bona pro quibus diu contenderant, grato animo monasterio libere conferrent. Quae cum non consentiret Abbas recipere, responderunt: Domine, quicquid nostri¹⁾ iuris fuit in his bonis, remittimus; quod ad nos pertinebat, Deo in eleemosynam offerimus. Tunc primum Abbas acquievit sua recipere, magis claustrum suum aedificans sua simplici iustitia, quam cellerarius sua astuta avaritia. Simile pene audies de domino Petro Abbate Claraevallis in distinctione sexta capitulo undecimo. Viri iusti multum detestantur avaritiam, sicut audies in sequenti capitulo:

CAPITULUM LXII. *)

De Ulrico Praeposito Steinveldensi, et converso avaro, quem amovit.

Apud monasterium sancti Crisantii²⁾ Scholasticus quidam demoratus fuit³⁾, vir magnae prudentiae atque scientiae, natione Gallicus, nomine Ulricus. Cui cum redditus scholastriae non sufficerent, necesse erat ut debitis obligaretur. Quidam ex fratribus Steinveldensis monasterii ordinis Praemonstratensis, eo quod virum magnae literaturae illum⁴⁾ conspiceret, frequentius monuit, ut ad domum suam gratia conversionis⁵⁾ se transferret. Tandem ille divinitus inspiratus, in haec verba respondit: Pecuniam aliquantulam debeo, solvite illam, et ego veniam ad vos. Quod cum intellexisset Praepositus praedicti monasterii, pecuniam libentissime solvit, et Scholasticus statim habitum suscepit. Qui non multo post eiusdem coenobii factus est Praepositus. Nondum enim in ordine Praemonstratensi erant Abbates. Sciens ille cum officio animas se regendas suscepisse, non pecora, vel possessiones, operam dabat extirpandis vitiis, non pecuniis congregandis,

1) ADP vestri. — *) Homil. III. p. 34. — 2) Sancti Chrysanthi coenobium fuit Monasterii in Eiflia. — 3) R quidam fuit, ut infra VII, 31: „apud monasterium sancti Crisantii Scholasticus quidam fuit, nomine Daniel.“ Ceteri libri omnes ferunt quidam vocatus fuit. — 4) BC eum; paulo post ADP frequenter. — 5) BC conversionis gratia.

sciens avaritiam radicem esse omnium vitiorum¹⁾. Habebat autem unum conversum, in administratione exteriorum ita sciolum et circumspectum, ita sollicitum et perfectum, ut omnia per manus eius transirent, et curtibus ecclesiae, quae necessaria erant, tam in aratris quam in pecoribus sive expensis, ipse quasi solus universa provideret. Omnia ipse erat, omnia²⁾ disponens, nihil negligens, agrum agro copulans, et vineam vineae coniungens. Praepositus ista considerans, et in scripturis legens, nihil avaro esse scelestius³⁾, die quadam conversum eundem ad se vocans ait: Nosti, barbate⁴⁾, quare venerim ad ordinem? Quia non bene exprimere potuit Teutonicum idioma, habere non potuit verba ornata, et ideo quicquid loquebatur, conversis videbatur esse⁵⁾ perversum atque distortum. Respondit conversus: Non novi, domine. Tunc ille: Ego dicam tibi. Ad hoc enim veni, ut peccata mea in hoc loco defleam. Quare ergo tu venisti? Respondente eo: Domine, simili de causa; ait Praepositus: Si venisti peccata tua deflere, formam debueras poenitentis tenere, hoc est, ut frequenter sis in oratorio, ut vigiles, ut⁶⁾ ieiunes, Deumque pro peccatis tuis iugiter exores. Non enim poenitentis est, ut tu facis, vicinos suos exheredare⁷⁾, et densum lutum contra se congregare⁸⁾. Ad haec conversus respondit: Domine, bona illa quae comparo, agris vel vineis ecclesiae nostrae⁹⁾ continuantur. Et Praepositus: Bene. Cum illa fuerint emta, necesse est, ut emas etiam illa, quae emtis coniunguntur. Nosti quid dicat Isaias? *Vae, inquit, qui coniungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis. Numquid habitabitis vos soli in medio terrae*¹⁰⁾? Tu vero avaritiae tuae nullum terminum ponis. Cum omnia, quae in hac provincia sunt, a te fuerint comparata, flumen Rheni pertransibis pede; deinde procedes usque ad montana; nec sic quiesces, donec pervenias ad mare. Puto quia ibi gra-

1) B esse radicem omnium malorum, P radicem esse omnium malorum et vitiorum. — 2) omnia om C. — 3) Eccli. 10, 9. Paulo post BC eundem conversum. — 4) Miraeus Chronic. Cisterciens. p. 26: „tuncque definierunt se conversos laicos barbatos, licentia Episcopi sui suscepturos, eosque in vita et morte, excepto monachatu, ut semetipsos suscepturos.“ — 5) D conversis videbatur, C videbatur conversis. — 6) BC et. — 7) ACDP exhereditare. — 8) Habac. 2, 6. — 9) C vestrae. — 10) Isai. 5, 8.

dum sistes, eo quod pelagus sit latum et spatiosum, gressus autem tuus strictus. Mane ergo in claustro tuo, frequenta oratorium tuum ¹⁾, ut die noctuque possis peccata tua deplangere. Exspecta paulisper, et habebis satis terrae subtus te, et supra te, et intra te, quia pulvis es, et in pulverem reverteris ²⁾. Haec audientes quidam ex fratribus senioribus, dixerunt: Domine, domine, si conversus iste fuerit amotus, domus nostra ³⁾ subsistere non poterit. Ad quod ille respondit: Melius est ut domus pereat, quam anima. Et non acquievit petitioni eorum. NOVICIUS: Iste fuit verus pastor, sciens oves sibi commissas, non corruptilibus auri et argenti fuisse redemptas, sed pretioso sanguine agni immaculati ⁴⁾. MONACHUS: Hoc satis in eius verbis et actibus ⁵⁾ claruit. Nam tempore illo, quo Reynaldus factus est Coloniae Archiepiscopus, et essent Episcopi redditus obligati, curtesque desolatae, suasum est ei ut ex diversis domibus ordinis Cisterciensis Dioecesis suae conversos fideles atque providos accommodaret, qui et curtibus praeessent, et annuos redditus sua industria reformarent. Qui cum consilio tali acquievisset, et tam ex Campo quam ex Monte, domibus religiosis, conversos aliquos collegisset ⁶⁾, suasum est ei, ut etiam praedictum conversum assumeret. Pro quo cum honestum misisset nuncium, et ille ex parte Episcopi salutasset Praepositum, adiecit: Dominus meus modicam petitionem petit a vobis, quam ei negare non debetis. Cui cum Praepositus respondisset: Non est domini mei rogare me, sed praecipere; subiunxit ille: Petit obnixe, ut talem conversum ad tales usus ei accommodetis. Ad quod verbum Praepositus satis humiliter, constanter ac mansuete respondit: Habeo ducentas oves in tali grangia, in aliis vero tot et tot, similiter boves et equos; dominus meus tollat ex illis ⁷⁾ quantum voluerit; conversum vero animae meae commissum ad tales usus non habebit. Ego autem non de ovibus ⁸⁾ et bobus, sed de commissis mihi animabus, summo pastori in die iudicij rationem redditurus sum. Et non concessit ei. Reliquit et aliud liberalitatis suae indicium, contra avaritiam religiosorum utile satis exemplum. Die quadam, antequam amotus esset

1) tuum om BC; conf. VII, 15. — 2) Genes. 3, 19. — 3) C vestra. — 4) Petr. I, 1, 18. 19. — 5) B actis, C actionibus. — 6) D elegisset. — 7) D eis. — 8) D add meis.

praefato modo supradictus conversus ab administratione sua, Praepositus ad unam grangiarum suarum venit, in qua pulchrum equinum pulchrum satis vidit. De quo iam dictum fratrem, cuius esset vel unde veniret, interrogavit. Cui cum conversus responderet: Talis homo bonus et fidelis amicus noster moriens eum nobis legavit; ait Praepositus: Utrum ex devotione, vel ex aliquo iure legavit eum? Respondit conversus: Ex decessu illius emersit. Nam uxor eius, eo quod esset de familia nostra, iure curmeidae ¹⁾ illum obtulit. Tunc ille movens caput, respondit verbum pium ²⁾: Quia bonus homo et amicus noster fidelis erat, idcirco uxorem eius spoliasti? Redde ergo feminae destitutae equum suum, quia rapina est, aliena vel ³⁾ rapere vel retinere. Tuus enim antea non fuit. Quia idem Praepositus vir prudens erat, pro negotiis monasterii egrediens, secum iuvenes minus libenter ducebat. Noverat enim hoc eis non expedire, propter tentationes diabolicas. Die quadam cum unum ex adolescentibus secum adduxisset ⁴⁾, et simul equitantes, nescio quid vel unde conferrent, obviam habuerunt iuvenulam formosam. Quam cum ex industria equum suum retrahendo Praepositus salutasset officiosissime, stetit illa, et inclinato capite resalutavit eum. Cum paululum processissent, volens Praepositus tentare iuvenem, ait: Puella ista videbatur mihi multum formosa fuisse. Cui cum ille diceret: Credite mihi, domine, et hoc ipsum visum est mihi; respondit Praepositus: Unum tantum ⁵⁾ deformat eam, scilicet quod monocula est. Respondit iuvenis: Vere, domine, utrumque oculum habet; ego enim satis diligenter consideravi eam. Tunc motus Praepositus ait: Et ego considerabo dorsum tuum. Tanta debueras esse simplicitatis, ut utrum esset mas ⁶⁾ vel femina, scire non posses. Reversus vero ad monasterium, dixit senioribus: Vos domini, quandoque arguitis me, quod mecum non educam iuniores. Et exponens eis causam ⁷⁾, praedictum iuvenem durius arguit, atque castigavit. — Tanta enim erat literaturae, ut tempore quodam pro negotio ordinis sui Cistercium pergens, in Capitulo generali faceret sermonem. Haec mihi retulit quidam ex

1) C curmeidae, D curmediae. Curmedia est ius domini in bona vasalli defuncti. — 2) BP pium verbum. — 3) vel add BC. — 4) C eduxisset, D duxisset. — 5) P tamen. — 6) D masculus. — 7) C casum.

senioribus domus illius. NOVICIUS: Contingit frequenter, ut potentes viri pecunias sive possessiones titulo minus iusto a suis subditis obtineant, et ex eis domos religiosas aedificent. Licetne religiosis huiusmodi recipere eleemosynas ¹⁾ scienter? MONACHUS: Quicquid conscientiam remordet, conscientiam polluit. Scias tamen hoc quandoque fieri iusto Dei iudicio, sicut subiecto doceberis exemplo.

CAPITULUM LXIII.

De Abbate, qui audivit in oratione: Dedisti hereditatem timentibus te, dum timeret abbatiam a potente aedificatam suscipere.

Vir quidam potens et nobilis in terra sua domum ordinis nostri construere desiderans, cum locum religioni congruum invenisset, habitatores eius partim pretio, partim minis eiecit. Abbas vero qui ad eundem locum missurus erat conventum, timens Deo non placere, tali modo pauperes a suis possessionibus alienare, oravit Deum, ut sibi super hoc suam dignaretur voluntatem revelare. Et non est permissus vir ille iustus de hac re diu tribulari ²⁾. Nam die quadam cum esset in oratione, huiusmodi vocem audivit: *Dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, Domine* ³⁾. Qui surgens mox intellexit per vocem propheticae coelitus demissam ⁴⁾, voluntatis esse divinae, ut homines indevoti de eisdem possessionibus eiicerentur, et viri timorati Deumque laudantes ibidem locarentur. Sic legitur Dominus terram Chananaeorum et reliquarum immundarum gentium dedisse filiis Israel ⁵⁾. Non tamen ista trahenda sunt in exemplum, quia omnis avaritia omnisque iniustitia a religiosis detestanda est. NOVICIUS: Tanto amplius in talibus scandalum vitandum est, quia ⁶⁾ saeculares non libenter claustrales habent vicinos.

1) P precipere huiusmodi eleemosynas, B huiusmodi eleemosynas recipere, C has recipere. — 2) P turbari. — 3) Psal. 60, 6. — 4) C dimissam. — 5) Josue 12. — 6) C quanto.

CAPITULUM LXIV.

*Quid Episcopus Philippus dixerit, cum domum nostram
construeret.*

MONACHUS: Cum 1) conventus noster a domino Philippo Archiepiscopo super montem Stromberg vocaretur, quidam homines provinciales heredibus suis timentes 2), illum arguerunt. Quibus ipse respondit verbum bonum, verbum sanctum: Utinam, inquit, esset in qualibet villa Dioecesis meae conventus iustorum, qui et Deum iugiter laudarent, et tam pro me quam pro 3) mihi commissis orarent. Puto quia tunc melior multo 4) esset status Ecclesiae meae, quam modo sit; nulli nocerent, cum multis prodesse 5). Aliena non rapiunt, cum sua omnibus impartiantur.

CAPITULUM LXV.

*De largitate pauperibus famis tempore a domo
Vallis sancti Petri exhibita.*

Eo tempore quo fames illa validissima, quae anno Domini-
caei incarnationis millesimo centesimo nonagesimo septimo fuit,
incubuit 6) et plurimos exstinxit, domus nostra, licet tunc tem-
poris pauper fuerit ac novella, multis subvenit. Sicut dixerunt
hi qui numerum inopum ante portam consideraverunt, aliquando
una die mille quingentis eleemosynae datae sunt 7). Dominus
Gevardus tunc Abbas singulis diebus ante messem, in quibus
carnibus uti licebat 8), bovem unum in tribus caldariis cum
oleribus circumquaque collectis coqui iussit, et cum pane
per singulos pauperes divisit. Simile factum est de ovibus

1) ABD dum. — 2) Homil. II. p. 15: „cum conventus noster vocatus a domino Philippo Coloniensi Archiepiscopo ascendisset in montem Stromberg, tantus motus excitatus est in provincia, non solum a militibus et rusticis, sed etiam ab ipso Comite, ut necessitate compulsi fratres eidem promitterent, quod nulla bona ipsius advocatae attinentia contra eius voluntatem compararent.“ — 3) pro om BC. — 4) BC multo melior. — 5) BC nocent — prosint. — 6) lacunam, quae hic in omnibus libris est, explevi addito verbo incubuit. — 7) Homil. II. p. 68: „quaedam sunt domus ordinis Cisterciensis adeo divites, ut una earum singulis diebus quinque millia hominum pascere sufficiat, ita tamen, si monachis et conversis coloni cum mercenariis, hospites cum pauperibus connumerentur.“ — 8) BC licuit.

aliisque pulmentariis. Sicque per gratiam Dei ¹⁾ omnes pauperes supervenientes, usque ad messem sustentati sunt. Et sicut audiavi ab ore iam dicti Gevardi ²⁾ Abbatis, cum timeret ne forte annona pauperum ante tempus deficeret, et pistorem pro ³⁾ eo quod panes nimis magnos faceret, argueret; respondit ille: Credite mihi, domine, in pasta valde parvi sunt, et in fornace crescunt. Parvi immittuntur, et magni extrahuntur. Retulit mihi idem pistor, frater scilicet Conradus rufus, qui adhuc vivit, quia non solum panes in fornace, imo etiam farina creverit in saccis et in vasis, ita ut pistores omnes mirarentur, nec non et pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, unde venit omnis annona ista ⁴⁾? Eodem anno dives Dominus caritatem servorum suorum etiam in hac vita per centuplum remuneravit. Nam magister Andreas Spirensis per pecunias, quas in curia Frederici Imperatoris, nec non et in Graecia congregaverat, magnum allodium in Blitirsdorf ⁵⁾ emit, nobisque in eleemosynam dedit. Unde talis voluntas, nisi a Deo?

CAPITULUM LXVI.

Item de humanitate, quam domus in Hemmenrode eodem tempore in pauperes fecit, et quod multo plus a Deo recepit.

Eodem tempore domus in Hemmenrode, mater nostra, non minorem caritatem, imo tanto maiorem, quanto ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, ut mulieres praegnantibus ante portam in nemore pariendi tempora implerent. Christus vero non immemor illius ⁶⁾ promissi: *Date, et dabitur vobis* ⁷⁾, quia largi erant in dando, largam illis misit eleemosynam. Gerardus enim Praepositus sancti Simeonis in Treveri moriens circa sexcentas ⁸⁾ libras argenti illis legavit, ex quibus centum ad portam in usus pauperum sequestravit. Portarius vero centum libras suas recipiens, non ex eis vineas vel agros, sed totidem maldra siliginis apud

1) BC Dei gratiam. — 2) Gevardi om BC. — 3) pro om B. — 4) B ista omnis annona, C omnis ista annona. — 5) Plittersdorf villa prope Bonnam ad Rhenum sita. — 6) illius ad BC. — 7) Luc. 6, 38. — 8) P ducentas. At literae dc significant sexcentas.

Confluentiam comparavit, quibus satis sufficienter usque ad 1) messem pauperes sustentavit.

CAPITULUM LXVII.

Item de claustro Westfaliae, cui Deus expensas pauperibus exhibitas duplo restituit.

Retulit mihi frater Godescalcus de Volmuntsteine²⁾, monachus noster, post eadem cara tempora cellerarium quendam ordinis nostri de Westfalia occurrisse sibi. Quem cum interrogasset, quo festinaret, respondit ille: Ad concambium. Ante messem ob necessitatem pauperum pecora nostra occidimus, calices et libros nostros impignoravimus. Modo Dominus misit nobis hominem, qui tantum nobis auri dedit, ut eius quantitas in duplo erogatis respondeat. Unde vado illud cambire pro argento, ut ex eo possim pignora nostra³⁾ redimere, et greges reparare. Tria haec exempla dicta sint contra illos, qui viros claustrales iudicant de avaritia. NOVICIUS: Nunc primum intelligo quid sit, *Date, et dabitur vobis*. MONACHUS: Non intelliges perfecte nisi in futura vita, quando pro terrena substantia, quam pro Christo dimisisti, sive pauperibus in illius nomine dedisti, recipies regnum, quod paratum est electis a constitutione⁴⁾ mundi. In illa die filius hominis tibi cum ceteris electis tuum enumerabit datum, et tu eius recipies⁵⁾ promissum. Quid enim dicet? *Esurivi, et dedistis mihi manducare, et cetera quae ibi sequuntur⁶⁾*. Viri tamen perfecti cum Domino iudicabunt. NOVICIUS: Si tanta bona sequuntur eleemosynam, vae illis, qui in hoc brevi tempore sectantur avaritiam. MONACHUS: Duo illa verba Domini, scilicet *Date, et dabitur vobis*, revocant memoriae meae rem gestam, his qui hospitalitatem exercent pro exemplo satis necessariam.

1) ad om AD. — 2) conf. Gelen. de Magn. Colon. p. 162. — 3) P pignora nostra possim. — 4) ADP ante constitutionem, iuxta Ephes. 1, 4. Sed vide etiam Matth. 25, 34. — 5) BC recipies eius. — 6) Matth. 25, 35.

CAPITULUM LXVIII.*)

*De claustro ob Abbatis avaritiam depauperato et ob
receptionem duorum fratrum, scilicet Date
et Dabitur, rursus ditato.*

Abbas quidam, ut puto de ordine nigro, sicut ex relatione cuiusdam Abbatis ordinis nostri didici, hospitalis erat valde, et circa pauperes multum misericors. Et quia in operibus misericordiae fervens fuit, tales dispensatores domui suae ordinare studuit, qui non eius fervorem impedirent, sed magis incenderent¹⁾. Quanto plures hospites suscepit, quanto plus caritatis pauperibus exhibuit, tanto illi et domui eius Dominus amplius benedixit. Post cuius mortem, successor eius stimulatus avaritia, pietatis officialibus amotis, et eis quos tenaciores noverat institutis, ait: Praedecessor meus nimis erat dapsilis et indiscretus, officiales eius²⁾ nimis prodigi. Sic ordinare debemus expensas monasterii atque temperare, ut si forte seges nostra grandinata fuerit, et tempora cara emergerint, habeamus unde pauperibus subveniamus. Huiusmodi verbis avaritiam suam pallians, hospitalitatem prorsus exclusit, et consueta beneficia pauperibus subtraxit. Caritate subtracta, proficere non potuit monasterii substantia, imo in brevi ad tantam devenit³⁾ paupertatem, ut vix haberent fratres quod⁴⁾ manducarent. Die quadam vir quidam venerandae canitiei venit ad portarium, quaesivit hospitium. Quem ille quidem clanculo et cum timore collegit, atque hospitalitatis officia pro posse et tempore illi exhibens, adiecit: Non te scandalizare debet, bone vir, quod tam negligenter te procuro, quia necessitas in causa est. Aliquando vidi talem⁵⁾ statum huius monasterii, ut si venisset Episcopus, cum magna caritate et abundantia fuisset susceptus. Respondit ille: Duo fratres expulsi sunt de monasterio isto; nisi illi duo fuerint reversi, nunquam bonus erit status eius. Unus eorum vocatur Date, alter vero Dabitur⁶⁾. Sicque ab oculis eius recessit. Puto

*) Homil. III. p. 41. — 1) AB intenderent. — 2) B et officiales eius, P eius officiales. — 3) B pervenit, ceteri libri devenerunt. — 4) P quod fratres. — 5) BC talem vidi. — 6) B alter Dabitur, P et Dabitur vobis alter, A et Dabitur vobis vocatur alter, D et Dabitur vobis alter vocatur.

aliquam fuisse personam angelicam, per quam Dominus primam fratrum illorum revocare voluit caritatem¹⁾. Portarius, cum esset laicus, nomina eadem retinuit, Abbati et fratribus audita recitavit. Resumta est hospitalitas, et coepit eis mox Dominus benedicere ut prius. NOVICIUS: Quid sentiendum est de illis, qui hospites colligunt et eleemosynas tantum faciunt propter gloriam inanem? MONACHUS: Tales dando sua peccant, et nihil aliud recipiunt, nisi quod quaerunt, scilicet laudem humanam. Alii sua Christo dant tantum propter vitam aeternam, et hos Dominus non deserit in praesenti. Quidam vero propter utrumque, videlicet ut in praesenti ditiores fiant, et in futuro habeant vitam aeternam. Et istos Dominus saepe duplici mercede remunerat, hic per bona temporalia, in futuro per bona aeterna. Nonnulli vero sunt, qui etiam pauperes, sua Christo largiuntur, et dum coeperint ab ipso ditari, tunc ex diabolica tentatione amplius tentati, manum suam retrahunt, egestatem timentes. NOVICIUS: De hoc dicas exemplum.

CAPITULUM LXIX.

De femina, quae hospitalitatem Abbatibus Cisterciensis ordinis exhibuit, et ditata est, et eadem exclusa, pauperata.

MONACHUS: Non est diu, quod femina quaedam, adhuc forte vivens, et in quadam civitate manens, in qua Abbates nostri, euntes ad generale Capitulum, hospitari solent, plures ex eis lucri sui causa hospitio suscepit. Sentiens sibi illa²⁾ ad ingressum illorum benedici, fenum illis gratis dedit, deinde pabulum³⁾. Quanto plus dabat, tanto plus habuit. Et cum hospitum suorum meritis et oratione iam dives facta esset, bonisque omnibus abundaret, coepit defectum timere, et dicere intra se: Non potes diu sustinere tantas expensas, modo contrahe⁴⁾ manum, ne forte paupertatem incurras. Mira res. Mox ut hospitibus stipendia consueta negavit, et Dominus illi manum subtraxit. Non enim in domo illa frater Dabitur habitare poterat, de qua germanus eius Date expulsus erat. Tandem ad se reversa, cum se egere conspiceret, de omissione poenitentiam egit, et priora resumens opera, iterum ditari coepit.

1) verba Puto — caritatem in libris editis NOVICIO assignata sunt. — 2) CD illa sibi. — 3) id est, hospitium, convivium. — 4) C retrahere.

CAPITULUM LXX.

*Quomodo intelligendum sit: Omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo*¹⁾.

NOVICIUS: Nosse vellem, quomodo intelligendum sit quod Christus ait: *Omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo*²⁾. MONACHUS: Ei qui habet gratiam hospitalitatis, et caritative, bonoque animo, et hilari vultu, hospites³⁾ suscipit, atque libenter pauperes introducit, Domino procurante dabitur ei⁴⁾ in praesenti tantum, et nonnunquam, ut supra dictum est, centuplum, et abundabit, et in futuro vita aeterna. Qui autem gratiam hospitalitatis et eleemosynae non habet, ita ut invitus pauperes hospitesque⁵⁾ videat et recipiat, atque cum malo animo et murmure hoc ipsum quod negare non potest, impendat, huic iusto Dei iudicio hoc ipsum quod habet in substantia temporali, vel in se ipso deficit, vel ab aliis rapitur atque distrahitur, nec fidelium eleemosynis augetur. NOVICIUS: Satis placet expositio ista, et hoc propter exempla praecedentia. MONACHUS: Licet frequenter contingat, ut claustrales propter Christum largi locupletentur, et contra ipsius mandatum tenaces depauperentur, de utroque tamen subiungam exemplum.

CAPITULUM LXXI.

De hospitalitate monachorum de Lacu.

In Menevelt⁶⁾ provincia Dioecesis Treverensis situm est quoddam coenobium nigri ordinis, quod Lacus⁷⁾ dicitur, nomen habens a re, personis possessionibusque pollens, et in religione ceteris⁸⁾ terrae nostrae coenobiis amplius florens. Ad hoc die quadam Saxo quidam hospitandi gratia divertit,

1) Quomodo intelligendum sit: Date, et dabitur vobis. Sic omnes habent libri, excepto C, in quo codice titulus omissus est, et verba Nosse vellem usque ad sequens capitulum, praecedenti continuata sunt. Sed vide infra V, 47. 49. VI, 5. IX, 7. X, 67: quibus ex locis patet, centum et tria capitula posuisse auctorem in hac quarta distinctioe. — 2) Matth. 13, 12. — 3) BC illos. — 4) ei om B. — 5) ACD hospites pauperesque. — 6) regio Eifliae, hodie Mayenfeld dicta. Conf. XII, 15. — 7) vulgo Laach. — 8) C prae ceteris, omisso amplius.

qui multum caritative illic susceptus, aedificatus recessit. Non multo post dives quidam in Saxonia amicus eius in extremis agens, cum testamentum suum illo praesente faceret, ait: Vellem aliquid ¹⁾ legare pro anima mea, si scirem in quo loco optime esset locatum. Cui ille respondit: Juxta Coloniam claustrum quoddam est valde religiosum, in quo veraciter sunt homines Dei, et in hospitalitate, me teste, praecipui. Nusquam poteritis eleemosynam vestram melius, et animae vestrae locare utilius, quam in eodem loco. Ad eius consilium Saxo, ut puto quadraginta marcas argenti legavit, et decessit. Missa est per servum pecunia Coloniam, et quia status Dioecesis Coloniensis propter schisma, quod erat inter Ottonem et Philippum Reges, malus fuit, pecuniam ibi reliquit, et ad Lacum pedes veniens, Abbati rem per ordinem retulit. Qui misso cellerario, pecuniam ibidem ²⁾ recepit. Haec mihi relata sunt a quodam religioso converso ordinis nostri.

CAPITULUM LXXII.

De inhospitali Praeposito nigri ordinis.

Eiusdem ordinis cella ³⁾ quaedam in Episcopatu Coloniensi sita est, quam nominare nolo propter tempus, quam Praepositus tam tenax regit, ut neminem sponte sua hospitio secundum regulam suscipiat, cum tamen satis abundet. Episcopus ⁴⁾ vero, qui et advocatus eiusdem cellae est, sciens hominem pecuniosum esse et inhospitalem, semel vel bis in anno cum plurimis equitaturis et multitudine militum hospitatur apud ipsum. In quorum receptione tantum expendit Praepositus, quantum sufficere posset ad susceptionem hospitem totius anni. Aliis vero monasteriis multo ditioribus idem Episcopus parcat, et sua largitur, ut impleatur praedicta sententia Salvatoris: *Omni habenti dabitur, et abundabit* ⁵⁾; *ei autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* NOVICIUS: Satis mihi dictum fateor tam verbis quam exemplis contra avaritiam; nunc precor, ut idem facere non pigriteris contra

1) ADP aliqua. — 2) BC ibi. — 3) cellae vocabulum saepe pro ipso monasterio usurpatur. — 4) Engelbertum intelligit Gelenius ad eius Vit. p. 118. — 5) et abundabit om D.

gulam. MONACHUS: Prius expedire te ¹⁾ debeo de gula quid sit, quae sint eius filiae, et quam periculosa sit illius tentatio, si ei consensus adhibeatur, corpori et animae, et ²⁾ quibusdam tibi hoc ostendere testimoniis.

CAPITULUM LXXIII.

De gula et filiabus eius.

Gula est solius corporis causa immoderatus et illecebrosus comedendi bibendique appetitus. Huius filiae sunt, immunditia, scurrilitas, inepta laetitia, multiloquium, hebetatio sensus circa intelligentiam. In gula sunt quinque gradus peccandi. Primus est cibos pretiosos et delicatos exquirere; secundus cibos ³⁾ curiose praeparare; tertius ante tempus sumere; quartus nimis avidè; quintus in nimia quantitate. Gula primus homo in paradiso victus succubuit ⁴⁾. Haec Esau primogenita subripuit. Gula Sodomitas ad peccatum maximum incitavit ⁵⁾. Ipsa filios Israel in deserto prostravit: *Adhuc escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos* ⁶⁾. Iniquitas Sodomae fuit saturitas panis et abundantia ⁷⁾. Homo Dei, Abdo scilicet, missus in Bethel, propter comestionem a leone occiditur ⁸⁾. Dives, qui epulabatur quotidie splendide, in inferno sepelitur ⁹⁾. Nabuzardan princeps cocorum, id est, gula, Jerusalem destruxit ¹⁰⁾. Vides quanta pericula sint in illa? Accedant et ¹¹⁾ testimonia. Ait enim Salomon: *Vae terrae, cuius Principes mane comedunt.* Item: *Omnis labor hominis in ore eius, et anima eius non replebitur* ¹²⁾. Et in Evangelio Dominus: *Videte ne corda vestra graventur in crapula et ebrietate* ¹³⁾. Item Apostolus: *Honeste ambulemus, non in comessionibus, et cetera* ¹⁴⁾. Prima Christi tentatio a diabolo per gulam facta est ¹⁵⁾. Unde Hieronimus dicit: In pugna Christi prius agitur contra gulam ieiunando, per quam victus est primus

- 1) BC te expedire. — 2) et om B; paulo post C ostendam. — 3) cibos add BC. — 4) B in paradiso succubuit victus, P victus in paradiso succubuit. — 5) Genes. 3. 25. 13. — 6) Psal. 77, 30—31. — 7) Ezech. 16, 49. — 8) Reg. III, 13. — 9) Luc. 16, 22. — 10) Reg. IV, 25. Homil. IV. p. 58: „princeps cocorum gula est, quae muros Jerusalem, id est, virtutes animae fidelis, destruit et delet.“ — 11) et om BC. — 12) Eccles. 10, 16. 6, 7. — 13) Luc. 21, 34. — 14) Rom. 13, 13. — 15) Matth. 4.

homo. Quam valida et importuna sit nobis vitii huius tentatio, quibusdam recentiori tempore gestis pandam exemplis. Ordinem etiam, in quantum potero, nec non et modum supradictarum tentationum, Adae scilicet et ¹⁾ Esau et reliquorum, qui illic enumerati sunt, servare studebo.

CAPITULUM LXXIV.

De Conrado scholare, qui propter esum unius pomi, avunculi sui gratia privatus est.

Coloniae in maiore ecclesia Decanus quidam erat natione Suevus, vir dives, prudens et ²⁾ honestus, in consilio Frederici Imperatoris satis acceptus. Hic cum in pomerio suo pomum novellam plantatam haberet, et iam flores eius in poma profecissent, praecepit omni familiae suae sub interminatione gratiae suae ³⁾, nec non et poenae, ne aliquis aliquod ex eisdem pomis, quae pauca erant, ante maturitatem carperet, probare volens eius primitias. Cumque omnes praeceptum illius custodirent, scholaris quidam nomine Conradus, cognatus eius, et per ipsum in ecclesia sancti Andreae in canonicum promotus, poma eadem videns et desiderans, patrum praeceptum neglexit, unum tantum, ut puto, de pomis tulit et comedit. Quod cum Decanus intellexisset ⁴⁾, tanta ira et odio exarsit in illum, ut dilectum eiiceret, nec ab aliquo posset induci, ut culpam ei ignosceret. Et quem multum cogitaverat diversis stipendiis ditare, ab illo die, in quantum potuit, depressit. Ego eundem Conradum bene novi, et erat cantor praefatae ecclesiae. Satis ut vides tentationis pueri huius poena concordat cum poena Adam. Ille propter pomum eiectus est de paradisi deliciis; iste de domo avunculi sui atque divitiis. NOVICIUS: Cum Adam in potestate haberet omnes fructus paradisi, mirum ⁵⁾ quod se ab una arbore continere non potuit. MÓNACHUS: Multi temere Adam iudicant ⁶⁾ de inobedientia, pomi vilitatem attendentes, et vim tentationis non considerantes, sicut subiecto probabitur exemplo.

1) et add BC. — 2) et om B; paulo post BC et in. — 3) VI, 12: ego praecipio vobis sub interminatione gratiae meae. IX, 38: sub interminatione oculorum tuorum. — 4) ADP intellexit. — 5) C miror; mox P quod ab una se. — 6) BC iudicant Adam.

CAPITULUM LXXV.

De servo, qui pixide contra praeceptum domini sui aperta gratiam eius perdidit.

Quidam paterfamilias servum habebat fidelem et utilem omnium rerum suarum dispensatorem. Contigit ut die quadam sermo esset de inobedientia Adae inter eos de esu¹⁾ pomi contra praeceptum Domini, et servus indignando illius inconstantiae diceret: Ut taceam de Deo, si mihi tam districte aliquid a vobis praeciperetur, nunquam transgressor efficerer. Tacuit tunc dominus, et post dies aliquot, cum ille minus sibi caveret, nec sermonem contra Adam prolatum in memoria haberet, pixidem ei clausam, sed non firmatam porrexit dicens: Pixidem istam custodiae tuae commendo²⁾. Quod si aperueris illam, totius laboris tui mercede privaberis, et gratia mea³⁾ perpetuo carebis. Hoc cum crebrius ei inculcasset, et ille in conclavi suo se recepisset, statim diversis cogitationibus coepit fluctuare, tentationibus aestuare, quid esset in pixide scire desiderans. Et saepius illam vertens atque circumspiciens, ait intra se: Quid si aperuero illam? Solus sum, nemo videt. Interrogatus, negabo. Non est testis, qui me convincere possit. Victus tandem tentatione, pixidem aperuit, et avicula, quae intus clausa erat⁴⁾, evolavit. Tunc tristis effectus valde, mysterium intellexit, et ad domini pedes, pixidem requirentis, se prosternens, veniam postulavit, sed non invenit. Ad quem dominus: Serve nequam et contumax, tu primum parentem nostrum de inobedientia iudicans, tuamque constantiam apud me commendans, te ipsum condemnasti. Recede ergo a me, et faciem meam de cetero non videas. Haec mihi retulit canonicus quidam sancti Severini in Colonia, vir senex aetate, verax in verbis, et vita religiosus. Simile ex parte contigit in Saxonia.

1) BC sermo inter eos esset de inobedientia Adae in esu.
— 2) B committo. — 3) ADP gratiae meae. — 4) BP erat clausa.

CAPITULUM LXXVI. *)

De uxore militis, quae tentatione victa paludem a marito prohibitam intravit.

Henricus de Wida miles fuit dives valde, potens et nominatus, ministerialis Henrici Ducis Saxonum. Adhuc plures vivunt, qui illum noverunt, et rei, quam recitaturus sum, forte recordantur. Habebat enim uxorem nobilem ac dilectam. Die quadam cum sermo inter eos haberetur de culpa Evae, coepit illa, ut mos est mulieribus, eidem maledicere et de inconstantia iudicare animi¹⁾, eo quod pro modico pomo, gulae suae satisfaciens, tantis poenis ac miseriis omne genus humanum subdidisset. Cui maritus respondit: Noli illam iudicare. Tu forte in tali tentatione simile fecisses²⁾. Ego volo tibi aliquid praecipere, quod minus est, et propter amorem meum minime poteris custodire illud. Respondente illa: Quod hoc est mandatum³⁾? ait miles: Ut die illa qua balneata fueris, paludem curiae nostrae non ingrediaris nudis pedibus⁴⁾. Aliis diebus, si libet, intres. Erat enim aqua putens et fimosa, ex totius curiae sordibus collecta. Illa subridente, et praecepti transgressionem etiam⁵⁾ abhorrescente, subiunxit Henricus: Volo ut poenam addamus. Si tu fueris obediens, quadraginta marcas argenti a me recipies; sin autem, totidem mihi solves. Et bene placuit ei. Ille vero, ipsa ignorante, secretos custodes paludi adhibuit. Mira res. Ab illa hora⁶⁾ matrona tam honesta et tam verecunda nunquam per curiam transire poterat, nisi ad praedictam paludem respiceret. Et quotiens balneabatur, totiens graviter⁷⁾ de eadem palude tentabatur. Die quadam exiens de balneo, dixit pedissequae suae: Nisi ingressa fuero paludem illam, moriar. Statimque succingens se, cum circumpexisset, et neminem videret, separata⁸⁾ comi-

*) Homil. II. p. 56. — 1) BC animi iudicare. — 2) C similiter fecisses, P fecisses simile. — 3) CD quod est hoc mandatum, P quod est mandatum; mox ADP subiunxit. — 4) ACDP nudis pedibus non ingrediaris. — 5) etiam om BP. — 6) BC die. — 7) graviter om ADP; B habet: ab eadem palude graviter. — 8) B videret, omisso separata; ceteri libri videre putaret. Emendavi ex Homiliae verbis: „ut die quadam, separata comitante pedissequa, paludem intraret, et cum multa delectatione concupiscentiae suae satisfaceret.“

tante ancilla, aquam illam foetidam usque ad genua intravit, et huc illucque deambulando, bene concupiscentiae suae satisfacit. Quod statim nunciatum est marito eius. Ille gaudens, mox ut eam vidit, ait: Quid est, domina? Fuistisne hodie bene balneata? Respondente illa: Fui; adiecit: In dolio, vel in palude? Ad quod verbum confusa tacuit, sciens eum suum excessum non latere. Tunc ille: Ubi est, domina mea¹⁾, constantia vestra, obedientia vestra, iactantia vestra? Eva vilius tentata fuistis, tepidius restitistis, turpius cecidistis. Reddite ergo quod debetis. Et cum non haberet illa quod solveret, omnia vestimenta eius pretiosa tulit, et per diversas personas distribuit, sinens eam per aliquod tempus bene torqueri. NOVICIUS: Valde miserabile est, quod sic mens hominis semper nititur in vetitum. MONACHUS: Antequam sermo Dei audiatur: Non est tribulatio vel tentatio, sed ubi signum belli praedicationis tuba ostendit, tribulationum pugna consurgit²⁾. Verba sunt Origenis super illum locum: *Ex quo locutus sum Pharaoni, afflixit³⁾ populum tuum⁴⁾*. Quam valida sit quandoque pugna tentationis post prohibitionem, exemplum tibi proponam militem quendam, qui magis elegit mori, quam in tentatione sua superari.

CAPITULUM LXXVII.

De milite poenitente, quem tentatio arboris vetitae exstinxit, sed non superavit.

Miles quidam, sicut audivi a quodam viro religioso, multa scelera commiserat. Tandem ductus poenitentia, venit ad sacerdotem, de commissis fecit confessionem, satisfactionem suscepit, sed susceptam servare non potuit. Cumque hoc saepius actitasset, die quadam dixit illi sacerdos: Nihil sic proficimus. Dic ergo mihi: Estne aliquid quod pro peccatis tuis possis custodire? Respondit ille: Est pomus in possessione mea tali, cuius fructus tam amarus et pessimus est, ut nunquam ex eo comedere possem. Si videtur vobis bonum, poenitentia mea sit, ut quoadusque vivam de eiusdem⁵⁾ pomis non gustem. Sciens sacerdos maxime post prohibitionem,

1) mea om BC. — 2) ADP insurgit. — 3) libri afflixisti. —
4) Exod. 5, 23. Origen. Homil. 3. in Exod. — 5) B eius, P eiusdem.

excitante carne, vel diabolo, sive utroque, consurgere tentationem, respondit: Pro omnibus peccatis tuis tibi iniungo, ut nunquam de fructu eiusdem arboris scienter comedas. Abiit miles, poenitentiam iniunctam quasi pro nihilo reputans. Sic sita erat ipsa arbor, ut quotiens curiam suam exiret vel intraret, eandem arborem respicere posset. Respicendo semper prohibitionis recordabatur, et recordando mox gravissime tentabatur. Die quadam ante arborem eandem transiens, et poma in ea considerans, ab eo, qui primum hominem per lignum prohibitum tentavit et prostravit, tam valide tentatus est, ut ad arborem quidem veniret, et ad pomum nunc manum extendendo, nunc extensam retrahendo, totum pene diem contrariis nisibus continuaret. Tandem adiuvante gratia ¹⁾ triumphans, in tantum concupiscentiae restitit, ut corde coangustato ²⁾ sub arbore iacens spiritum exhalaret. **NOVICIUS:** Si tentatio Adae tam dura fuit, non mirum si cecidit. **MONACHUS:** Graviter cecidit tentationi consentiendo, quia sicut foris habuit causam impellentem, sic intus gratiam adiuvantem. Haec dicta sint occasione pomi, propter quod eiecti sunt de paradiso protoplasti. **NOVICIUS:** Non minus miror quod Esau esuriens, propter lenticulae decoctionem, primogenita sua perdidit coram Deo, quam quod illi propter pomum inobedientes, eiecti sunt de paradiso. **MONACHUS:** Non esuriendo, non lenticulam concupiscendo ³⁾, primogenituram suam perdidit, sed per contemptum, quo rem tam pretiosam, tam indigno pretio, incitante gula, vendidit. Nec nobis hoc debet ⁴⁾ esse terrori, qui frequenter tali cibo vescimur, et ardentemur sumimus, quia magnum Dei donum est, quando viris delicatis, postquam conversi fuerint ad Christum, incondita pulmentaria leguminum vertuntur in convivium. Audi de hoc verbum satis iocundum.

CAPITULUM LXXVIII.

De tribus granis, quibus Abbas Gisilbertus se condire dicebat pulmenta monachorum.

Eo tempore quo milites illi honesti et in saeculo nominati, videlicet Ulricus cognomento Flasse, et ⁵⁾ Gerardus cogno-

1) B Dei gratia. — 2) D coangustiato. — 3) ADP comedendo. — 4) BC debet hoc. — 5) et om BC.

mento Waschart, Karolus et Marcmannus ¹⁾ Colonienses, alii- que tam ex clericis quam ex laicis viri divites in Hemmenrode conversi fuissent et in ordine confortati, quidam ex saecularibus et iam dictorum militum notus et amicus ait beatae memoriae domino Gisilberto eorum Abbati: Non sufficio mirari, quod tales viri in saeculo tam delicati, oleribus in- conditis, pisa et lente possunt uti. Cui ille respondit: Ego tria grana piperis appono, quibus eadem grossa pulmentaria ita condiuntur, ut pene nihil in suis scutellis comedentes relin- quant. Mirante illo, et non intelligente quod audierat, Abbas subiunxit dicens: Ego tibi exponam. Primum granum pi- peris sunt longae vigiliae matutinarum; secundum labor ma- nuum; tertium granum est desperatio ferculi lautioris. Ecce ista sunt tria grana, quibus apposis optimi saporis fiunt pul- mentaria nostra. Et puto vehementer, quod monachus magis peccet pisam suam sive lenticulam propter tortiones vel hu- mores melancolicos vitando, quam nimis ex illis sumendo. Si apposita sumere noluerit, necesse est ut lautiora vel appe- tat vel requirat. Si ei ²⁾ data fuerint ex consuetudine, pusilla- nimes scandalizat; si negata, ante tempus deficiet. Mo- nachus vacuo ventre non potest bene ieiunare, vigilare aut laborare. Hinc est quod sanctus Bernardus tales in quodam Sermone satis acriter reprehendit. Cibaria nostra non sunt multum confortativa, et ideo oportet nos ex eis sumere usque ad satietatem. NOVICIUS: Quid sentiendum est de illis, qui per occasionem frequenter in saeculo sunt, et pene quo- tidie cibis delicatis vescuntur? Eruntne aequales fratribus suis in merito, qui cibis regularibus tormentantur? MONA- CHUS: Non est meum illos iudicare, unusquisque secundum suum laborem ³⁾ recipiet. Dicam tibi tamen de hoc cuiusdam laici sententiam satis delectabilem, contra quendam Cardinalem ioculariter ⁴⁾ prolatam.

CAPITULUM LXXIX.

De sermone monachi illiterati ad Henricum Cardinalem Albanensem.

Sanctae recordationis dominus Henricus Albanensis Epi-

1) B Marcimannus, CP Marcinannus; conf. XI, 11. — 2) ADP ea. — 3) D add mercedem, iuxta Cor. I, 3, 8. Sed vide Homil. IV. p. 117. — 4) B iocaliter.

scopus et Cardinalis, anno Domini millesimo centesimo octogesimo octavo missus a Clemente Papa temporibus Frederici Imperatoris praedicare crucem in Alemannia contra Sarracenos, quosdam sibi monachos terrae nostrae ordinis Cisterciensis socios itineris assumpsit ¹⁾. Die quadam cum simul equitarent, et ipse diceret in generali: Quis vestrum dicet nobis aliquid boni? respondit unus: Ille, demonstrato quodam monacho ²⁾ laico, cuius nomen excidit. Et praeceptum est ei statim a Cardinale, ut verbum proponeret exhortationis. Ille primum se excusans, dicens laicum non debere literatis aliquid ³⁾ loqui, tandem sic exorsus est: Quando mortui fuerimus et deducti ad paradisum, occurret nobis sanctus pater noster Benedictus. Visis nobis monachis cucullatis, cum gaudio introducet; viso vero Henrico Episcopo et Cardinale, mirabitur infulatum eum ⁴⁾, et dicet: Quis enim es tu? Et ille: Pater, ego sum monachus Cisterciensis. Respondebit sanctus: Nequaquam; monachus corniculatus non est. Tunc Henrico satis pro se allegante, tandem huiusmodi data sententia, dicet ostiariis sanctus Benedictus: Ponite eum supinum, et stomachum eius scindentes aperite. Si inveneritis ibi olera incondita, fabam, pisam, lentem, pultes cibosque regulares, cum monachis intromittatur; sin autem, scilicet pisces grossos et cibos saeculares atque delicatos, foris maneat. Deinde conversus ad Cardinalem, subiecit: Quid illa hora dicturus es, pauper Henrice? Ad quod verbum Cardinalis subridens, sermonem commendavit. Ego eundem venerabilem Episcopum et monachum in ecclesia sancti Petri Coloniae adhuc puer audivi crucem praedicantem, et plurimos ibidem vidi signantem, eratque vir iustus et sanctus, manus suas ab omni munere excutiens ⁵⁾, et tam verbo quam exemplo multos aedificans. NOVICIUS: Recordor superius te dixisse, iniquitatem Sodomae fuisse ⁶⁾ saturitatem panis et abundantiam. MONACHUS: Verba sunt Ezechielis Prophetae ⁷⁾. Ut ait Moyses, *antequam subverteret Dominus Sodomam, omnis eius regio irrigabatur*

- 1) C quosdam sibi terrae nostrae monachos Cisterciensis ordinis socios assumpsit, ADP quosdam sibi terrae nostrae monachos ordinis Cisterciensis assumpsit. — 2) CP quodam converso monacho. — 3) aliquid om BC; paulo post C tamen. — 4) BC Cardinale infulato, mirabitur. — 5) Isai. 33, 15. — 6) fuisse om AD. — 7) Ezech. 16, 49.

sicut paradisus Dei, et sicut Aegyptus ¹⁾, eratque nimiae fertilitatis. Unde quia Sodomitae comessionibus vacabant, per libidinem exfluebant ²⁾. Gula luxuriam plurimum accendit. NOVICIUS: Quid ergo? Estne periculosum, si monachus pane saturaretur ³⁾? MONACHUS: Quod superius dixi de lenticula, hoc modo dico de pane. In pane Sodomorum, eo quod cibus sit ⁴⁾ principalis, intelligitur copia omnium cibariorum ⁵⁾, quo illi abundabant. Panis vero noster, quia grossus est et niger, magis est necessitatis, quam superfluitatis, et puto magis monachum peccare, si illum abhorreat vel delicatum requirat, quam si eo satietur. Maxima quandoque in pane solet esse tentatio.

CAPITULUM LXXX.

De clerico, cui Christus panem hordeaceum lateri suo intinctum porrexit.

Diu est, quod ad Claramvallem conversionis gratia clericus ⁶⁾ venit delicatus valde. Cumque panem conventus, qui tunc temporis valde grossus erat, et pisam abhorreret, atque ex ipso timore, non solum famis, sed et futurae refectionis tabesceret, nocte quadam Salvator ei in visu ⁷⁾ apparuit, quo fratres vescebantur frustum panis ⁸⁾ in manu tenens, quem ei porrexit, et ait: Comede panem hunc. Cui cum novicius responderet: Domine, nequaquam ⁹⁾ vesci potui pane hordeaceo; Christus vulnere lateris sui panem eundem ¹⁰⁾ intinxit, et porrectum comedere iussit. De quo cum gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore eius. Ab illo enim tempore panem sive cibos regulares, quos prius vix tangere potuit, cum multa delectatione comedit. Hoc scias, quod diabolus eos, quos decipere nequit per gulam, deiicere per indiscretam et indubitam conatur abstinentiam.

1) Genes. 13, 10. — 2) BCP effluebant. — 3) BCD saturatur. — 4) P quod panis cibus sit, BC quod panis sit cibus. 5) BCD ciborum. — 6) C clericus quidam. — 7) C in visu ei. — 8) BC frustum panis quo fratres vescebantur (B utebantur). — 9) BC nunquam. — 10) B eundem panem, C Christus eundem panem vulnere lateris sui.

CAPITULUM LXXXI.

De novicio, quem diabolus formam dimidii panis offerendo deceptit.

Sicut referre solent nostri seniores, in Hemmenrode sub specie angeli daemon ¹⁾ cuidam monacho minus circumspecto per aliquot dies in mensa formam dimidii panis ostendit, et ne plus simul sumeret dissuasit ²⁾. Obedivit ille daemone, et post breve tempus tantam debilitatem corporis incurrit, ut in sensu deficeret et periret. NOVICIUS: Dixisti superius, gulam prostravisse filios Israel in deserto. Quod ergo incitamentum gulae videtur tibi maxime fuisse causa illius plagae? MONACHUS: Desiderium carnum. Cum enim Dominus dedisset eis manna, panem angelorum, omne habens in se delectamentum ³⁾, ingrati tanto beneficio, murmurabant contra Moysen dicentes: *Quis dabit nobis ad comedendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres et pepones et cepe et allea. Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi manna* ⁴⁾. Et in alio loco: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo* ⁵⁾. Vides quanta ingratitude, et cum quanto iurgio? Culpam mox poena subsequens ⁶⁾ denudat. *Adhuc, inquit, erant carnes in ore et dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus; et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis* ⁷⁾. Saepe diabolus religiosos per carnes tentat, nunc dormitantes, nunc vigilantes, nunc visibiliter, nunc invisibiliter. Quosdam vincit, a quibusdam vincitur. NOVICIUS: De his audire delectat exempla. MONACHUS: Exempla satis vera et manifesta tibi dicam.

CAPITULUM LXXXII. *)

De Arnolde monacho, cui in choro dormitanti diabolus carnes obtulit.

Non est diu, quod monachus quidam apud nos defunctus est, Arnoldus nomine, Coloniae in ecclesia sanctorum Aposto-

1) BC daemon sub specie angeli. — 2) ACDP persuasit. — 3) Sapient. 16, 20. — 4) Numer. 11, 4—6. — 5) Numer. 21, 5. — 6) B mox subsequens poena, D poena mox subsequens. — 7) Numer. 11, 33. — *) Homil. II. p. 48.

lorum canonicus. Fuerat enim ante conversionem vir dives et delicatus valde ¹⁾. Iste mihi referre solebat, quod per gulam multum tentaretur a diabolo, etiam cum leviter dormitaret in choro. Quandoque cum propter lassitudinem in choro stans oculos clauderet, scutellam carnibus plenam ante os suum sensit, de qua etiam more canino, ut sibi videbatur, comedit. Cumque sic bestialiter comedere erubesceret, caput quandoque retraxit, et satis dure parieti illisit.

CAPITULUM LXXXIII.

*De converso in missa dormitante, qui lignum pro
carnibus rodebat.*

Conversus quidam, sicut ab eius ore ²⁾ audiui, cum die quadam auditor esset cuiusdam privatae missae, in canone modicum quid dormitans, ex illusionem diaboli ipsum super quod prostratus iacebat lignum dentibus rodere coepit, ac si aliquid masticaret. Et erat stridor dentium eius, ut sonus muris testam nucis dentibus suis perforantis. Frater Richwinus cellerarius noster, qui ad missam eandem ministrabat, haec ³⁾ audiens, in orationibus suis impediabatur. Et cum posset converso loqui, interrogabat eum, quid in missa inter dentes haberet, dicens, non potui propter vos orare. Respondit ille: Credite mihi, ego comedi bonas carnes. Unde habuistis illas? inquit. Respondit conversus: Diabolus infra illum canonem praeparaverat ori meo scutellam carnum bene refertam. Si non creditis, notate lignum, in quo iacui, vestigia dentium meorum bene ibi reperietis. Et narravit ei qualiter a diabolo dormitans fuisset illusus. Lignum revera ⁴⁾ ex dentibus eius fuerat corrosus. Sic inimicus viros religiosos quos decipere per gulam non potest vigilando, ad minus illis illudere conatur dormitando. Audi nunc de quadam virgine, quam per carnes non dormitantem, sed vigilantem visibiliter tentavit, nec tamen praevaluit.

1) valde om BC. — 2) AD ab ore eius. — 3) C hoc. — 4) ADP vero.

CAPITULUM LXXXIV.

De virgine abstinente, cui diabolus anserem obtulit.

Virgo quaedam de Nivella nata, domum patris et parentes amore Christi deserens, quibusdam feminis religiosis illius provinciae se sociavit, cum quibus de opere manuum suarum victitans, orationibus ieiuniisque vacavit. Cuius virtutibus diabolus invidens, anserem de domo patris eius tulit, et in triclinio, in quo cum ceteris feminis sedebat, deposuit, dicens: Quid te, misera, fame crucias? Accipe et manduca. Cui cum illa diceret: Non licet mihi ex eo comedere, quia de furto est; respondit diabolus: Nequaquam, de domo enim patris tui tuli illum. Tunc virgo: Non poteris negare quin rapina sit. Tolle anserem velocius, et restitue ubi rapuisti. Videns ille nihil se ¹⁾ proficere, feminis videntibus, avem levavit, et tuguriolo, unde eam rapuerat, restituit. Testata est familia domus patris eius, magnum se inter reliquos anseres audivisse clamoris strepitum, et cum praefatum anserem tolleret, et cum eundem loco suo restitueret. Dicam tibi adhuc duo exempla, per quae scies qualiter diabolus eos, quos per desiderium carniū superat ²⁾, terreat et confundat.

CAPITULUM LXXXV.

De converso in cellario comedente carnes.

Conversus quidam, sicut audivi a quodam viro religioso, carniū desiderio tentatus atque superatus, cum illas requirere erubesceret, sicut nec licuit, die quadam assaturam sibi praeparatam, cellarium intrans, comedit ³⁾. Erat enim officio cellararius, et de ordine Praemonstratensi. Permissione Dei diabolus, quia aliud facere non potuit, gulosum illum rapuit, et in tecto campanilis in modum vestimenti sparsit. Ubi cum haereret, vel potius a diabolo sustentaretur, cui datus fuerat ⁴⁾ ad terrendum potius, quam ad occidendum, clamavit valide, fratrum auxilium implorans. Quem ibi haerere cernentes, causamque ignorantes, satis mirati sunt, et turrim cum festinatione ascendentes, tegulasque incidentes ⁵⁾, per foramen illum retraxerunt.

1) BC se nihil. — 2) ADP superet. — 3) C cellarium intulit, et comedit, ADP cellario intulit, et comedit. — 4) P fuit. — 5) tegulasque incidentes add BC.

CAPITULUM LXXXVI.

De gallina, cuius viscera versa sunt in bufonem.

Non est diu, quod quidam ex monachis Prumiensibus ¹⁾, feria tertia ante Cineres in domo cuiusdam saecularis sacerdotis convivantes, diversas carnes cum vino exquisito usque ad mediam pene noctem comederunt ²⁾. Et cum saturati essent nimis, in ipso galli cantu sacerdos vocans scholarem adultum, nomine Johannem, quem ego bene novi, dixit: Certe adhuc comedemus. Vade affer nobis gallinam, quam inveni in pertica iuxta gallum sedentem, quia ceteris pinguior esse consuevit, et praepara nobis. Quam cum strangulasset, et ventre aperto, manuque imposita, cum se omnia intestina eius simul eiicere putaret, maximum bufonem extraxit. Cuius motum cum in manu sensisset, et proiecisset, vidissetque quid esset, repentino suo clamore omnes advocavit. Videntes gallinae intestina in bufonem versa, confusi a loco convivii recesserunt, intelligentes opus esse diaboli. Haec mihi unus fratrum illorum, qui interfuit et vidit, recitavit. NOVICIUS: Magis me tentant pisces, quam carnes, quia istis mihi vesci licet, illis non. MONACHUS: Puto te recordari cum filiis Israel piscium, quos comedebas in Aegypto, id est, in saeculo. NOVICIUS: Non possum quandoque non recordari. MONACHUS: Ad memoriam mihi revocant pisces isti magnam quandam nequitiam cuidam incluso a diabolo factam.

CAPITULUM LXXXVII.

De Hermanno incluso, cui diabolus pro piscibus obtulit stercora equina.

Retulit mihi frater Godescalcus de Volmuntsteine, quod die quadam diabolus fratri Hermanno incluso de Arnisberg ³⁾, in specie hominis sibi noti ⁴⁾, scutellam attulit ⁵⁾ cum piscibus. Ille, eo quod adhuc mane esset, dixit ut poneret et recederet. Tempore quo erant praeparandi, in disco, in quo prius nihil esse videbatur nisi pisces, stercora reperta sunt equina. NOVICIUS: Puto eundem virum religiosum pisces

1) BDP Prumensibus. — 2) C comederent. — 3) Arnsberg.
— 4) B sibi noti hominis. — 5) C obtulit.

desiderasse, et poenam eiusdem peccati illusionem fuisse diaboli. MONACHUS: Hoc satis probabile est. Per hoc etiam quod filii Israel cum carnibus et piscibus desideraverunt cepas et allea, recordor cuiusdam periculosae tentationis, in qua quidam poenitens per allea cecidit.

CAPITULUM LXXXVIII.

De Steinhardo proditore, qui per allea cecidit.

Duae cognationes militum in Episcopatu sunt Coloniensi ¹⁾, tam multitudine quam divitiis et probitate fortes satis atque magnanimes. Ex quibus una illarum ²⁾ de villa Bacheim ³⁾ originem ducit; altera de villa, quae Gurzenich vocatur. Erant autem ⁴⁾ inter eas quandoque tam validae et tam mortales inimicitiae, ut tunc temporis a nullo hominum, sive Episcopo ipsorum domino possent sopiri, sed quotidie rapinis, incendiis et homicidiis renovarentur. At illi de Gurzenich in terminis suis fecerunt sibi domum munitam in nemore, non quidem timore inimicorum, sed ut ibi possent confluere, quiescere, et simul procedendo illos acrius impugnare. Habentes autem servum quendam originarium, Steinhardum nomine, fidei eius claves munitionis commiserunt. Ille vero, instinctu diaboli, clanculo nuncium adversariis direxit, promittens quod tam dominos suos quam munitionem potestati eorum traderet, nescio quid causae contra illos praetendens. At milites de Bacheim traditionem timentes, verbis eius minus attenderunt. Quibus cum secundo ac tertio eundem nuncium destinasset, illi die praefixo se armantes, et cum multitudine timore insidiarum venientes, in loco domui satis vicino servum praestolati sunt. Ad quos proditor exiens, cum adhuc haesitarent, allatis omnium dominorum suorum, in castellulo meridiano tempore dormientium, gladiis, certos illos effecit. Ad quos armati intrantes, omnes occiderunt, servum secundum quod illi iuraverant ⁵⁾, in sua recipientes. Postea miser illé, de tam exse-

1) B sunt in Episcopatu Coloniensi, C in Episcopatu Coloniensi sunt. — 2) vox illarum salvo sensu abesse posset; sed simili modo dicit in Homil. IV. p. 94: „ex quibus quaelibet illarum dies est.“ — 3) Bacheim, prope Frechen; Gurzenich, iuxta Marcodurum. — 4) B enim; mox C inter eos. — 5) DP iuraverunt.

crabili facinore territus et compunctus, Sedem Apostolicam adiit, ubi culpam confitens, poenitentiam satis duram suscepit; sed tentationi succumbens, susceptam minime custodivit. Qui mox recurrens ad Papam, renovavit poenitentiam, sed non perseveravit in obedientia. Cumque hoc crebrius actitasset, dominus poenitentialis taedio affectus, se ab illo liberare volens, considerans nihil eum proficere, dixit: Nosti aliquid quod possis pro poenitentia suscipere et custodire? Respondit ille: Nunquam ¹⁾ allea comedere potui. Certum est mihi, quia illorum carentiam, si pro peccatis meis suscepero ²⁾, nunquam transgrediar. Ad quod verbum ³⁾ confessor respondit: Vade, et de cetero pro peccatis tuis magnis allea ⁴⁾ non comedas. Egressus homo Urbem, in horto quodam allea conspexit, quae ex immissione diaboli mox concupiscere coepit. Stans vero, et allea attendens, fortiter tentabatur. Concupiscentia invalescens non sinebat miserum abire, nec tamen allea prohibita ausus erat attingere. Quid verbis immorer? Tandem gula vicit obedientiam, hortum intravit ⁵⁾, et comedit. Mira res. Allea, de quibus nunquam gustare potuit cum essent cocta et accurate praeparata et ad comedendum sibi licita, contra vetitum cruda manducavit et immatura. Sic viliter in tentatione victus, cum multa confusione ad curiam rediit, et quid egerit recitavit. Quem poenitentialis cum indignatione repellens, ne sibi de cetero molestus esset praecepit. Quid post haec ⁶⁾ miser ille egerit, non audivi. NOVICIUS: Misera est conditio hominis, quae sic prona est ad transgressionem. Sed dic quaeso, in quo genere gulae peccavit homo Dei, qui comedendo in Bethel a leone occisus est ⁷⁾? MONACHUS: Non comedendo, sed contra divinum praeceptum ⁸⁾, etiam in tali loco deceptus comedendo, talem poenam incurrit. Quanta sit culpa, illicita, sive etiam licita, contra praeceptum comedere aut bibere, nonnullis tibi ostendam ⁹⁾ exemplis.

1) P nequaquam. — 2) C quia si illorum carentiam pro poenitentia suscepero — 3) verbum add B. — 4) B illa; mox C ne. — 5) D intravit, rapuit. — 6) P hoc; paulo post ABP fecerit. — 7) Reg. III, 13. — 8) BC praeceptum divinum. — 9) B pandam.

CAPITULUM LXXXIX.

*De Florino Praeposito, cui morsellus carniū
gutturi infixus est.*

Magister Absalon vir honestus et literatus, in ecclesia sancti Victoris Parisiis canonicus, ante hos annos in Sprenkirsbach¹⁾ Abbas est electus. Est enim idem monasterium in Episcopatu Treverensi. Antequam idem Absalon in locum electionis suae veniret, unus ex fratribus in visu noctis vidit, quod candela ardens praefatum monasterium intraret, quae suo lumine omnium fratrum candelas extinctas²⁾, quas in manu tenebant, reaccenderet. Interpretatio visus talis³⁾ erat, quia is adveniret, qui disciplinam dissolutam repararet. Factus vero Abbas, honestas consuetudines, quas in suo monasterio didicerat, induxit, inter cetera praecipiens, ut tam suae congregationis fratres quam subiectae sorores, nec non et Praepositi earum, ab escis carniū omnes⁴⁾ abstinerent. Contigit post haec⁵⁾ quandam saecularem matronam religionis habitum in Insula sancti Nycholai⁶⁾ suscipere. Pertinet autem idem monasterium ad Sprenkirsbach. In die reclusionis supradictae feminae, amicis eius cum Praeposito sanctimonialium⁷⁾, nomine Florino, viro pinguissimo, et bene mihi noto, convivantibus⁸⁾, cum ipsi carniū vescerentur, et ipse piscibus propter mandatum Abbatis sui Absalonis, videns in scutella clerici iuxta se⁹⁾ sedentis carniū assaturam, concupivit, immissaque manu morsellum rapuit, et cum quadam iocunditate in os suum misit. Mox iusto Dei iudicio idem morsellus in guttur inobedientis integer descendit, ita ut meatum eius obstruens, nullo conatu posset in os revocari vel deglutiri¹⁰⁾. Quem de mensa trahentes, cum iam eversis oculis putaretur esse suffocandus, Henricus monachus et camerarius noster, tunc Decanus Monasteriensis¹¹⁾, sicut ex eius ore audivi,

1) hodie Springirsbach, prope Wittlich. — 2) extinctas om AD. — 3) D talis visionis. — 4) BC omnes ab esu carniū. — 5) P hoc. — 6) monasterium sanctimonialium, vulgo Stupa dictum. Vide infra V, 14. — 7) D monialium. — 8) Homil. IV. p. 157: „forte exemplo huius convivii (Matth. 9, 10) usque hodie mos inolevit in diversis ordinibus Ecclesiae tam feminarum quam virorum, ut hi qui habere possunt, in die conversionis, suis cognatis et amicis adductis, conventui copiose ministrent.“ — 9) se add BC. — 10) vel deglutiri add BC. — 11) intelligit Monasterium Mayenfeldiae. Conf. etiam I, 23.

pugno tam valide collum illius ¹⁾ percussit, ut morsellus infixus exsiliret. Et cognoverunt omnes, quod dolor ille atque confusio, poena peccati foret inobedienti Praeposito. Et hoc pro certo scias, quod sicut diabolus plures, ut dictum est, tentat desiderio carnum, ita et vini.

CAPITULUM XC.

De cellerario, qui post completorium sitiens, inclinando liberatus est.

Monachus quidam ordinis nostri, officio cellerarius, die quadam post completorium, opere, ut post patuit ²⁾, diaboli, intolerabiliter sitire coepit. Tentatus igitur tam valide, cum fluctuaret et cogitaret, utrum sibi contra regulam esset bibendum, vel cum periculo vitae abstinendum, tandem victus, proposuit cellarium intrare ³⁾, et bibere. Interim intrans oratorium, cum ante altare quoddam transiret, et multum tepide, de potu cogitans, inclinaret, in se, cum paululum processisset, erubescens, ad idem altare rediit, stetit, et cum multa reverentia inclinavit. Levans autem caput, daemonem in specie monachi nigerimi iuxta se stare conspicatur, huiusmodi verba proferentem: Pro certo tibi dico, si non fuisses reversus ad inclinationem, ego tibi talem potum in cellario propinassetem, quem digerere vix ⁴⁾ posses, quamdiu viveres. Hora eadem diabolus disparuit, et omnis tentatio immissae sitis cessavit. Haec mihi retulit dominus Eustachius Abbas de Hemmenrode, asserens ante annos septem contigisse. NOVICIUS: De cetero studiosior ero ad inclinandum profunde. MONACHUS: Diabolus omnem odit humiliationem, illam maxime, per quam homo Deum agnoscit ⁵⁾ suum creatorem, se creaturam. Quando hoc videt hominem devote exhibere Deo, quod ipse facere contempsit, volens illi similis esse, sustinere non potest, fugitque confusus. Unde Abbas Philippus de Ottirburg, cuius supra memini, vir prudens et literatus, sorores de Insula sancti Nycholai, sicut mihi retulerunt, docuit dicens: Quando tentat vos ⁶⁾ diabolus, profunde inclinate in locis debitis, et statim fugiet a vobis. Loca inclinationi debita sunt altaria,

1) BC eius. — 2) B ut postea patuit, P ut patuit postea. — 3) ADP intrare cellarium. — 4) BD vix digerere. — 5) libri cognoscit. — 6) BC vos tentat.

et ubicunque ex opposito¹⁾ est imago crucifixi, et reliquiae sanctorum. Ad Gloria Patri etiam inclinamus, nec non et Abbati, aliisque in multis locis, in quibus ordo hoc praecipit²⁾. Vis nunc audire de quodam, quem gula, et maxime appetitus vini³⁾, de ordine traxit? NOVICIUS: Volo, quia multi vini desiderio afficiuntur. Vinum apostatare facit etiam sapientes⁴⁾. MONACHUS: Dicam tibi visionem terribilem, quam ab eius ore audivi, cui datum est illam videre.

CAPITULUM XCI.

De Henrico cognomento Fikere⁵⁾.

Quidam ex senioribus nostris, Hermannus nomine, cantor officio, vir bonus et disciplinatus, ante paucos annos defunctus est. Iste⁶⁾ plures habuit visiones, ex quibus unam praesenti loco exempli causa inseram. Cum nuper monachus factus fuisset in Hemmenrode, alium quendam monachum, tam in choro quam in refectorio proximum habebat. Ante huius ora quandoque in choro infra psalmodiam amphoras cum vino vidit. Amphoras, ut dixi, oculis vigilantibus vidit, vini odorem sensit, sed manus tenentes videre non potuit. In quibus ille cogitando delectabatur, haec ante eius oculos opere diaboli formabantur. Vidit etiam et⁷⁾ ursum cum dormitaret nocte quadam ante illum erectum stantem, brachia⁸⁾ super pectus eius ponentem, cuius os dormitantis auri coniungebatur. Non multo post, secundum quod ei suasum fuerat a diabolo, apostatavit. Neque sine causa diabolus illum per ursum⁹⁾ extraxit. Ursus dicitur quasi orsus, eo quod ore fetum suum formet¹⁰⁾. Et diabolus ita¹¹⁾ informavit illum scurrilitate verborum, ut ob loquacitatem oris sui tam Regibus quam Principibus multum sit acceptus. Vocatur enim Henricus cognomento Fig. Susceptus a domino Gisilberto Abbate in novicium, mox ut eum per confessionem cognoverat nigrum monachum fuisse¹²⁾, cappam illi mutavit in cucullam. Fertur etiam fuisse in ordine Praemonstratensi. Prius

1) ADP exposita. — 2) B praecepit. — 3) BC vini appetitus. — 4) Eccli. 19, 2. — 5) CP Fig. — 6) ADP ipse. — 7) et om DR; conf. IV, 96. V, 1. Vit. S. Malach. 6. p. 516. — 8) B et brachia. — 9) C per ursum illum. — 10) C format. — 11) ita om BD. — 12) B nigrum fuisse monachum, C fuisse nigrum monachum.

tamen, ut audiui, se feminam simulans ¹⁾, pro femina in clau- stro quodam sanctimonialium susceptus, quasdam corrumpit, et nonnullas impraegnavit. Nam usque hodie histrionis officio fungitur, et forte his peiora operatur. Haec de gula suffi- ciant, quia ad vitium luxuriae festino.

CAPITULUM CXII.

De luxuria et filiabus eius.

Luxuria est ex immundis descendens desideriiis lubrica et effrenata mentis et carnis prostitutio. Huius filiae sunt, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror vel despe- ratio futuri, praecipitatio, inconstantia, inconsideratio, caecitas mentis. Gradus luxuriae sunt, fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, vitium ²⁾ contra naturam. Luxuria, sicut et gula, mala plurima operata est in mundo. Luxuria diluvii perma- xima causa fuit ³⁾. Ipsa Pentapolim sulphure et igne con- sumsit ⁴⁾. Luxuria Joseph sanctum incarceravit ⁵⁾. Ipsa mul- tos filiorum ⁶⁾ Israel in deserto prostravit. Hoc factum est, quando peccantes cum Madianitis initiati sunt Beelphegor ⁷⁾. Luxuria Sampsonem fortissimum ligavit, infirmavit, exoculavit ⁸⁾. Ipsa et filios Hely gloria sacerdotii simulque vita privavit. Dormiebant enim cum mulieribus, quae cubabant ad ostium tabernaculi ⁹⁾. Luxuria David Domini electum adulterum fecit et homicidam ¹⁰⁾. Ipsa Salomonem sapientissimum infatuans perduxit ad idolatriam ¹¹⁾. Luxuria Susannam condemnavit ¹²⁾. Johannem Baptistam decollavit ¹³⁾. De luxuria dicit Dominus per Ozee: *Omnes nequitiae eorum in Galgal, id est, in vo- luptatibus; ibi exosos habui eos* ¹⁴⁾. Dicit et Johel de illa: *Computruerunt iumenta in stercore suo* ¹⁵⁾, id est, in foetore luxuriae. Behemoth, secundum Job, dormit in locis humen- tibus ¹⁶⁾, id est, in luxuriosis. In Evangelio duobus se excu- santibus, is qui uxorem duxit, superbe respondit, dicens: *Uxorem duxi, venire non possum* ¹⁷⁾. NOVICIUS: Quid est quod Dominus in Evangelio aperte prohibet gulam, et figu-

1) BP feminam se simulans, AC feminam simulans. — 2) vitium add C. — 3) Genes. 6. — 4) Gen. 19. — 5) Gen. 39. — 6) ADP filios. — 7) Numer. 25. — 8) Judic. 16. — 9) Reg. I, 2, 22. — 10) Reg. II, 11. — 11) Reg. III, 11. — 12) Dani. 13. — 13) Matth. 14. — 14) Ose. 9, 15. — 15) Joel 1, 17. — 16) Job 40, 16. — 17) Luc. 14, 20.

native luxuriam? De illa dicit: *Videte ne corda vestra graventur in crapula et ebrietate* ¹⁾. De ista vero: *Sint lumbi vestri praecinctorum* ²⁾. MONACHUS: Noverat Creator totius naturae, de gula luxuriam oriri, illiusque fomentis nutriri. Genitalia ³⁾ ventri coniunguntur. Ac si diceret Dominus: Ne fias luxuriosus, gulae indulge parcius ⁴⁾. Sine Cerere et Bacho friget Venus ⁵⁾. Tria sunt quae fomitem luxuriae inflammant, victus immoderatus, vestitus pretiosus, otiositas. Haec tria Propheta fuisse dicit iniquitatem Sodomae, videlicet *saturitatem panis*, id est, gulam; *superbiam vitae*, scilicet superfluitatem vestium: per quae ⁶⁾ libido provocatur; *et otium ipsius et filiorum et filiarum eius* ⁷⁾. Multa mala, ut dicit Salomon, docuit otiositas. David propter otium peccavit cum Bersabee ⁸⁾. Unde quidam ait:

Otia si tollas, periire Cupidinis artes ⁹⁾.

Mala bestia est luxuria, castitatis impatiens, nulli sexui parcat, vix aliquem quiescere sinit. Excitat dormientes, concitat ¹⁰⁾ vigilantes, nunc per motus naturales, nunc per cogitationes, nunc per formas oculis subiectas. Tentat incipientes, tentat proficientes, tentat perfectos. NOVICIUS: Satis audivi luxuriae pericula, audivi ¹¹⁾ et contra illam medicamenta; nunc precor ut subiungas exempla. MONACHUS: Non de illis dicere volo, qui luxuriae consentientes ceciderunt, sed qui ab ea tentati et conquassati, Dei gratia conservati sunt.

CAPITULUM XCIII.

De milite converso, quem uxor tempore probationis ¹²⁾
repetivit.

Miles quidam dives et honestus, more ecclesiastico ab uxore sua separatus, ad quandam domum ordinis nostri gratia conversionis venit. Cui omnia sua contulit, tali pacto, ut domus eadem uxori, quoad viveret, certam assignaret pensionem, quae in loco religioso vitam promiserat ducere ¹³⁾ reli-

1) Luc. 21, 34. — 2) Luc. 12, 35. — 3) C genitalia enim. Isidor. Sentent. de Summo Bon. II, 42, 4: „in ordine namque membrorum genitalia ventri iunguntur.“ — 4) Hieronym. in cap. I. ad Titum. — 5) Terent. Eunuch. IV, 5, 6. — 6) P quam. — 7) Ezech. 16, 49. — 8) Reg. II, 11. — 9) CP arcus. Versus est Ovidii Remed. Amor. 139. — 10) B concitat et. — 11) audivi om B. — 12) ADP tentationis. — 13) BC ducere promiserat.

giosam. Nolo nominare domum sive militem, ne forte aliquam ex his, quae dicturus sum, quia adhuc vivit, sustineat verecundiam. Facto eo novicio, in tantum diabolus illam ¹⁾ stimulavit, ut a proposito resiliret, maritumque iam in fratrem conversum repeteret. Dum sic nihil proficeret, cum amicis ad monasterium insidiosè veniens, ut sibi cum illo extra septa monasterii loqui liceret, petivit et obtinuit. Quem milites rapientes, et vi super equum trahentes abducere conabantur. Ille vero in quantum ex una parte levabatur, in tantum ex altera parte deorsum labebatur. Tandem nihil videntes se proficere, cum matrona reversi sunt. Tunc illa siluit toto anno illo. Finito vero ²⁾ anno probationis, exigente necessitate, assumpto secum monacho venit in domum suam, in qua supradictam reperit matronam. Illa simulans se ³⁾ velle ei loqui secretius, in cameram duxit, clausoque post illum ostio clanculo, amplecti ac deosculari coepit. Sperabat enim, quia si illum ad peccandum inducere posset, quod deserto ordine, ad ipsam rediret. Sed filius integritatis Christus, qui innocentem puerum Joseph liberavit de manibus adulterae, eripuit et hunc militem suum ab amplexibus illicitis suae legitimae. Nam de brachiis eius se excutiens, illaesus exivit, et in igne non arsit. Rediens hic in domum suam dicere poterat ⁴⁾ cum Salomone: *Inveni amariorè morte mulierem, quae laqueus venatorum est, et sagena cor eius, vincula sunt manus eius. Cui merito congruit quod subiungitur: Qui placet Deo, effugiet illam* ⁵⁾. NOVICIUS: Grandis tentatio haec. MONACHUS: Grandior ista fuit quae sequitur.

CAPITULUM XCIV.

De gravi tentatione Richwini cellerarii ob literas sanctimonialis.

Juvenis quidam Coloniensis, Richwinus nomine, novicius factus est in domo nostra. Hic cum satis devote ac quiete per aliquod tempus in probatione ageret, ordinemque suum disceret, diabolus paci ac saluti eius invidens, per quandam sanctimonialem beatae Caeciliae iam dictae civitatis tantam guerram in eius corde movit, tantis libidinum stimulis carnem

1) BC illam diabolus. — 2) vero add BC. — 3) D se simulans. — 4) CP potuit. — 5) Eccles. 7, 27.

eius vulneravit, ut quiescere non posset. Literas revocationis ipsa dictavit et scripsit, in quibus eum arguit de conversione, hortabatur ad reditum, dicens se ipsam, domum et praebendam, vel si qua haberet, in eius debere esse potestate quoad viveret, si redire vellet. Has literas cum misisset per puerum, et ille quaereret novicium, Henricus, eiusdem novicii ¹⁾ germanus, qui hodie cellerarius noster est, servo occurrens, et hoc ipsum, quod postea evenit, formidans, non permisit ut ei loqueretur, praecipiens ut ocius exiret de curia. Qui tamen novicium in oratorio praestolans, literas porrexit et abiit. Quas ut legit, mox totus incanduit, ac si telum ignitum cordi eius infixum fuisset. Ab illa hora ²⁾ cum tentaretur nimis, ita ut singulis horis ad saeculum redire proponeret, semper tamen pia fratrum oratione atque exhortatione detentus est. Die quadam cum esset solus in probatione, et valde fluctuaret, super terram se pronus prostravit, pedes ³⁾ super limen cellae extendit, voce satis alta clamans et dicens: Diabole, nisi vi ⁴⁾ pedibus hinc me extrahas, non te sequar. Tandem per Dei gratiam triumphans, factus est monachus. Requisitus a me, si adhuc aliquas de supradictis cogitationibus ⁵⁾ sentiret reliquias, respondit: Vere, frater ⁶⁾, tentationes quae tunc temporis sciderunt cor meum, modo vix vestimenta mea foris ⁷⁾ attingunt. Postea maior cellerarius apud nos factus, in eodem officio defunctus est. Ecce sic diabolus quandoque per carnis incentiva tentat incipientes, tentat et proficientes.

CAPITULUM XCV.

De iuvene per verba haec: Diabole, confessor meus praecipit tibi, ut cesses me tentare, a stimulo carnis liberato.

Retulit mihi Abbas Hermannus, eo tempore quo Prior fuerat in Hemmenrode, iuvenem quendam monachum ibidem per carnis incentiva graviter fuisse tentatum. Cui cum idem iuvenis eandem tentationem, qua nimis afficiebatur, cum lacrimis confessus fuisset, consolatus est eum Prior, et ait: Quando stimulus carnis te impugnat, sic diabolo voce satis alta dicere debes: Diabole, confessor meus praecipit ⁸⁾ tibi, ut cesses me tentare. Postea cum idem tentaretur, et tentatio

1) AP novicii eiusdem. — 2) hora om B. — 3) B et pedes. — 4) D in. — 5) BC tentationibus. — 6) omnes libri frater Caesari. — 7) foris add BC. — 8) CP praecepit.

eadem maxime inardesceret, simpliciter et valde confidenter, voce satis clara, sicut edoctus fuerat, contra daemonem clamavit dicens: Diabole, confessor meus praecipit tibi, ut cesses me tentare. Mira virtus confessionis. Ad hanc vocem diabolus, spiritus videlicet fornicationis, confusus fugit, et tentatio a iuvene cessavit. NOVICIUS: Unde habes, quod tentatio talis sit a diabolo? MONACHUS: Apostolus stimulum carnis appellat angelum Satanae, eo quod ipsum excitet et inflamet¹⁾. NOVICIUS: Ut audio, confessio contra carnis tentamenta multum est necessaria. MONACHUS: De hoc satis in praecedentibus dictum est, in distinctione ipsius confessionis. In confessione enim peccati fomes debilitatur, tentatio cessat vel temperatur, gratia augmentatur, confitens consiliis animatur, diabolus confunditur et enervatur. Cum alio itidem tempore supradictus monachus dure satis eadem tentatione vexaretur, supradictis verbis, ex consilio sui sacerdotis²⁾, etiam hoc adiecit: Quid me vexas, o diabole? Non poteris me plus tentare, quam te permiserit Dominus. Ipse est et Dominus tuus. Qui statim levius se³⁾ sensit, quia spiritus ille superbus pondus verbi⁴⁾ suam elationem deprimentis portare non potuit.

CAPITULUM XCVI.*)

De tentationibus monachi, qui resistendo coronam meruit imperialem.

Alter quidam monachus, isto, de quo iam dictum est, aetate maturior, et in observantia religionis ferventior, a spiritu luxuriae multifarie multisque modis⁵⁾ et duris impugnabatur. Tempore quodam, cum esset in infirmitorio⁶⁾, et dictis matutinis in angulo claustrum stans veniam peteret cum angelica salutatione, diabolus post tergum eius veniens, sagittam ignitam post eum direxit, ita ut illam monachus videret iuxta oculos suos volitare, fulgurare, et ex repercussione parietis scintillare. Quem cum sic terrere non posset, neque fugare a loco ora-

1) Cor. II, 12, 7. — 2) BC confessoris. — 3) se abest ab omnibus libris. — 4) C verbi sui. — *) Homil. I. p. 98. — 5) Vit. S. Bernard. V, 2. p. 946: „nam et usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor — eorum dignatur solari lacrimas.“ Conf. Caes. Homil. III. p. 140. — 6) B infirmitorio, P oratorio.

tionis, tantum circa illum strepitum excitavit¹⁾, ut superficies totius pavimenti, in quo stabat, coturnis²⁾ monachorum discurrentium atteri videretur. Qui cum de tali phantasmate nihil curaret, et completis orationibus abiret, quasi multitudinem Maurorum post se venientium vidit. Alio tempore spiritus fornicationis, cuius anhelitus prunas ardere facit³⁾, corpus eius igne libidinis intolerabiliter succendit. Cuius importunitatem venerabilis vir ille⁴⁾ considerans, in haec verba alta voce prorupit: Quid me tam crudeliter crucias, o diabole? Non enim in me⁵⁾ amplius facere poteris, quam a Deo permissus fueris. Dominus meus, ipse est etiam⁶⁾ et Dominus tuus. Doctrina est praedicti confessoris. Ad quam vocem tali ordine tentator ab eo discessit. Verbis quidem prolatis, mox coepit in vertice eius, quasi aliquid motabile⁷⁾ serpere, et paulatim per utrasque aures usque ad collum descendere cum sudore. Deinde per scapulas et latera, per coxas et crura sensim se trahens, per talos exivit. Et sicut mihi confessus est idem monachus, ita spiritus ille, ut iam dictum est, gradatim descendit, ut sentiretur in uno loco⁸⁾, et non in alio. Qui mox ut per pedes exiens fugit, ignis ab eo excitatus refriguit, et tentatio omnis cessavit. **NOVICIUS:** Miror, si aliquam occasionem praebuerit spiritui fornicationis sic terribiliter se cruciantis. **MONACHUS:** Sicut ab eius ore audiui, die quadam cum visitaret cum Abbate in quodam claustro sanctimonialium, matrona quaedam eiusdem congregationis, quam ante conversionem bene noverat, brachium suum super collum eius posuit, oculos in eum defigens. Quod cum considerasset plus quam oporteret, tunc quidem nihil ex hoc tentationis sensit, sed postea, quando diabolus illam oculorum defixionem menti eius reduxit, ita tentatus est ab illa hora, et postea per annos aliquot, ut eum vivere taederet. Quanto enim quis perfectior est, tanto plus sensus suos restringere debet, tactum maxime et visum. Tactum, quia sicut in Vitaspatrum legitur, corpus mulieris ignis est. Visum, quia mors ingreditur per fenestras oculorum. Quantum tamen monachus iste in tentationibus meruerit, sequens sermo declarabit. Cum esset Prior in Claustro supradictus Hermannus, nunc Abbas

1) C generavit; forte creavit, ut infra VIII, 37: „tantum creavit strepitum.“ — 2) B catervis. — 3) Job 41, 12. — 4) BC vir ille venerabilis, D vir venerabilis ille. — 5) in me add BC. — 6) etiam add ACD. — 7) Genes. 1, 21. — 8) BC loco uno.

Loci sanctae Mariae, iam dictus monachus nocte quadam tentabatur gravissime, et fuit eadem tentatio non tantum valida, sed et periculosa, et sicut ex eius confessione cognovit¹⁾, talis erat status eiusdem tentationis, ut in tam brevi morula, sicut quis manum posset vertere, ei satisfacisset, si voluntas peccati affuisset. Puto tamen quod fuerit de incentivo carnis. Impugnabatur fortiter, restitit viriliter, vicit feliciter. In eadem hebdomada venit ad eum²⁾ conversus quidam simplex de grangia, dicens se velle ei loqui³⁾ secretius. Et cum dedisset ei copiam, ait: Domine, in hac septimana visum est mihi in somnis, quomodo coram me staret columna fortis, et ferrum infixum erat eidem columnae, pendeatque in clavo illo ferreo corona pulcherrima, quasi corona Imperatoris. Et affuit quidam pulcherrimus dominus, qui ambabus manibus tollens de clavo coronam, ponensque illam in manibus meis, sic dixit: Accipe coronam istam, et defer eam illi monacho, designans eum ex nomine, quia hac nocte meruit eam. Mox Prior, qui tentationem monachi noverat, visum intellexit, et interpretatus est columnam fortem, monachum fuisse in tentatione sua insuperabilem; clavum, qui etiam de calibe fuisse videbatur, duram quam patiebatur tentationem; coronam de labore mercedem. *Qui vicerit, inquit Dominus, faciam illum columnam in templo meo⁴⁾*. Quod corona appensa sit columnae, id est, quod⁵⁾ merces debeatur victoriae, testis est Apostolus, qui dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona iustitiae⁶⁾*. NOVICIUS: De quo certamine loquitur hic Apostolus? MONACHUS: De eo quod fit contra hostem triplicem, carnem scilicet, mundum et diabolum. Tantum Deo placet, fidelem, propter conservationem innocentiae, pacis tempore semper dimicare cum vitiis et concupiscentiis, quantum illi placet, si tempore persecutionis semel corpus exponat gladiis atque tormentis. Unde Ecclesia psallit:

*Plus currit in certamine
Confessor iste sustinens,
Quam martyr ictum sufferens,
Mucrone fundens sanguinem.*

1) sic ex Homilia emendavi librorum nostrorum lectionem, ex eius relatione cognovi. — 2) C ad Priorem. — 3) B ei velle loqui, C velle loqui ei. — 4) Apoc. 3, 12. — 5) quod om BC; mox C adhibeatur. — 6) Tim. II, 4, 7. 8.

NOVICIUS: Mirari non desino, quod Deus, qui est summa munditia, viros religiosos, sanctos atque perfectos tam immundis tentationibus, et quandoque diu, vexari permittit. MONACHUS: Hoc fieri creditur ex dispensatione divinae pietatis, duabus de causis, videlicet ad custodiam humilitatis, et ut habeant materiam exercendae virtutis. Quis in hoc mundo maior Apostolo? Ipse est qui dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae, qui me colaphizet, propter quod, et cetera*¹⁾. Sicut dicit scriptura, relictæ sunt reliquiae immundarum gentium in terra promissionis, *ut experiretur in eis Israel*²⁾. Nam cum Domino placuerit, una hora tentationes in nobis fortissimas compescit.

CAPITULUM CXVII.*)

De Bernardo monacho tentato, qui se in somnis vidit eunuchizari.

In Claravalle sacerdos quidam religiosus est, si tamen adhuc vivit, genere nobilis, sed virtutibus multo³⁾ nobilior, nomine Bernardus. Iste tempore quodam a Satana per stimulum carnis ita est vexatus, ita turbatus, ut iam proponeret tentationi omnino cedere, atque post plurimos sudores ad saeculum redire. Confessus fuerat passionem eandem semel, secundo et multotiens; sed non cessavit. Tandem quasi victus accessit ad Priorem, petens sibi cappam dari, dicens se velle redire ad saeculum, eo quod non posset carere muliere. Multis precibus vix Prior obtinuit, ut exspectaret illa nocte. Exspectavit; et Dominus, qui salvat sperantes in se⁴⁾, consolatus est eum nocte illa in somnis, sicut et beatos illos Magos, quibus praecepit, ne redirent ad Herodem. Vix tenuiter obdormierat, et ecce conspexit eminus virum horribilem in effigie carnificis ad se properantem, et cultellum longum in manu tenentem, sequebaturque eum canis magnus et niger. Quo viso contremuit. Nec mirum. Ille vero multum impetuose arreptis eius genitalibus abscidit, canique proiecit. Quae mox ille⁵⁾ devoravit. Evigilans autem ex horrore visionis, putabat se fuisse eunuchizatum. Quod revera ita erat, et si

1) Cor. II, 12, 7. — 2) Judic. 3, 4. — *) Homil. I. p. 111. — 3) multo add B. — 4) Dani. 13, 60. — 5) ACD ille mox.

non ut visio ostendit cultro materiali, gratia tamen spirituali. Mane veniens ad Priorem, dicebat se liberatum a tentatione, visionem illi per ordinem exponens. Et glorificavit Prior Dominum, qui tam mirabiliter et tam celeriter liberavit servum suum Bernardum. Adhuc dicitur carne esse virgo ¹⁾. Et est haec historia satis celebris in ordine nostro. **NOVICIUS:** Si sancti viri sic turpiter tentantur, non amodo verecundabor tantum ²⁾, ut hactenus, confiteri meas immundas tentationes. Timui ne confessores me despicerent turpia confitentem. **MONACHUS:** Si sunt confessores discreti, non debent accusantes se spernere, sed consolari, ne similem tentationem incurrant. Hoc cuidam sacerdoti sancto et decrepito contigisse cognovi.

CAPITULUM XCVIII.

Vita domini Everhardi plebani sancti Jacobi.

Coloniae parochiam sancti Jacobi Apostoli ³⁾ sacerdos quidam sanctus et religiosus regebat, quem splendor multarum virtutum illustrem fecerat. Erat autem ⁴⁾ literatus, humilis, castus, affabilis, pauperum pater, religiosorum susceptor, totius Christianae religionis amator, Deo carus, toti civitati acceptus. Ipse est dominus Everhardus praedictae ecclesiae plebanus, qui conversionem Abbatis nostri Gevardi praevidit, sicut dictum est in prima distinctione capitulo septimo. Ea quae de se beatus Job enumerat bona, huic iusto copiose satis gratia contulerat divina. Tempore quadragesimali cum civium filii, iuvenes divites ac delicati, confiterentur peccata sua, maxime carnis incentiva, quae fomentare solent multum ⁵⁾ cibaria delicata; quia tales minus in se experiebatur passiones, durius quandoque illos quam expediret arguit, dicens: Turpe est, quod homines Christiani motibus tam turpibus agitantur. Et scandalizavit pusillos, aliquam illis ingerens desperationem. Sed iustus et misericors Deus, qui Petrum ob ⁶⁾ gregis salutem cadere permisit, servum sibi dilectum flagello tentationis erudivit, et, ut subditis sciret compati, passione corripuit con-

1) D adhuc dicitur esse virgo carne, ACP adhuc virgo dicitur esse carne. — 2) BC tantum verecundabor. — 3) Apostoli om B. — 4) B enim. — 5) ADP multum solent. — 6) B ad.

simili, ita ut dicere posset cum Apostolo: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Ex hoc in se ipso didicit, quomodo aliis deberet mederi. Tempore quodam cum Abbas Hermannus, de quo supra dixi, noviter monachus factus, stimulo carnis plus quam ei placeret tentaretur, et audita fama sanctitatis eius, ipsum adisset, sperans se meritis precibusque illius aliquid posse relevari, ad missas ¹⁾ se praeparantem ipsum invenit. Cui cum propter tempus confessionem facere, sicut proposuerat, non posset, in aure eius ²⁾ secretius dixit: Pater, graviter patior stimulum carnis; orate Deum, ut liberet me. Quem cum ille respexisset, quasi ex abrupto clamosa voce respondit: Certe ego simile patior; quid ergo pro vobis orare potero? Et sicut mihi retulit idem Hermannus, ex hoc ipso aedificatus recessit, quod hominem sanctum et senem sibi similia pati cognoverat. De quo narravit mihi sacerdos quidam religiosus, qui satis de vita eius noverat, quod quotiens osculum pacis alicui clericorum in missa porrigebat, magis illum, timore tentationis, ore in aliqua parte faciei tunderet, quam oscularetur. Quia virtus in infirmitate perficitur ³⁾, tempore quodam Dominus dilectum suum tam valido dolore capitis, quem etiam glossa una in Apostolo vocat stimulum carnis, tentavit et afflixit, ut illum vivere taederet. Qui cum minus orare posset aut legere, adiit quendam medicum peritum, rogans sibi propter Christum contra dolorem tam continuum aliquod dari consilium. Ille magis appetens pecuniam, quam mercedem divinam, respondit: Si dederitis mihi tres marcas, bene curabo vos. Cui cum diceret vir sanctus, tres marcas non habeo, dimidiam autem libens impendam ⁴⁾; respondit physicus: Pro tantillo nolo laborare. Tunc ille: Si haberem tres marcas, prius darem eas ⁵⁾ pauperibus, quam vobis; infirmitatem meam Deo committo. Justum Dei iudicium. Hoc cum dixisset vir beatus, et recederet, in ipsa hora dolor capitis totaliter eum deseruit, et ipsum ⁶⁾ medicum invasit. Nihil de infirmitatis quantitate minuebatur, nihil de modo et qualitate mutabatur. Ex tunc poterat ei verbo evangelico exprobrare: *Medice, cura te ipsum* ⁷⁾. Hoc miraculum cuidam canonico sancti Severini,

1) C missam. — 2) AP ei. — 3) Cor. II, 12, 9. — 4) B dimidium — expendam. — 5) BC eas darem. — 6) ACDP impium. — 7) Luc. 4, 23.

nomine Rudolpho, arte medico, a quo in eiusdem Confessoris festo fuerat invitatus, in mensa¹⁾ me audiente recitavit. NOVICIUS: Quia huius venerabilis sacerdotis fama valde celebris est in urbe Colonia, peto, ut si aliqua de illo nosti aedificatoria, dicere mihi non pigriteris. MONACHUS: Ex operibus eius plurimis²⁾ pauca percepi, quae tecum communicabo. Dum³⁾ die quadam corpus Domini deferret in pixide ad infirmum communicandum, et devenisset in Stratam Altam et angustam, quam ego saepius ambulavi, essetque platea eius nimis lutosa atque profunda⁴⁾, obvios habuit azinos frumento oneratos. Sacci enim parietem ex parte una⁵⁾ contingebant, ex altera de strata dependebant. Scholaris vero, qui praecedebat eum⁶⁾ cum laterna, magno cum labore, nunc azinos impellens, nunc ab ipsis impulsus pertransivit. Sacerdos haec videns, et quod vir senex esset ac debilis considerans, pallere coepit ac tremere, timens ab azinis impelli, et in luti illius profunditatem cum sacramento praecipitari. Necesse erat ut tentatio talis iustum probaret, quatenus fides eius amplius claresceret. Cernens humanum deesse auxilium, ab eo quem portabat inspiratus, in haec verba prorupit: Quid est quod agitis, o azini? Numquid non consideratis quem gestem in manibus⁷⁾? State, descendite⁸⁾, date honorem Creatori vestro. In eius siquidem nomine vobis praecipio. Mira obedientia animalium brutorum. Ad vocem sacerdotis simul omnes steterunt, simul⁹⁾ descenderunt. Accessit miraculum miraculo. Cum esset descensus laboriosus, non sunt lapsi sacci de dorsis azinorum¹⁰⁾. Quorum obedientiam vir sanctus admirans, Deumque glorificans, sine periculo ad infirmum pervenit. Hoc factum satis celebre est usque hodie in civitate Colonia. Quantae fuerit humilitatis, lectio sequens declarabit. Solebat ex consuetudine pauperes ad prandium suum vocare. Inducti sunt die quadam duo, ex quibus unus ita erat infirmus, ipsoque aspectu tam horridus, ut alter cum illo manducare recusaret. Fuerat eis mensula ex opposito sacerdotis praeparata. Quod cum vir Dei considerasset, pauperem despectum vocans

1) in mensa add BC. — 2) plurimis add ABD. — 3) CP cum. — 4) C immunda; conf. IX, 51. — 5) BC ex una parte parietem. Paulo post C ex altera parte. — 6) eum add C. — 7) ADP manibus meis. — 8) subintellige, de platea in lutum. — 9) B simul omnes. — 10) B eorum.

et in paupere Christum honorans, sellam sibi ¹⁾ contra se ponere iussit, et ex una scutella unoque scypho cum eo comedere et bibere non contempsit. Dicitur etiam fuisse consuetudo ei, delicata cibaria, tum propter socios et hospites, tum propter infirmos pauperes, quos in domibus lectis decubare noverat, saepius praeparasse. Cumque sibi apposita fuissent, diligentius illa conspexit, odorem hausit, manu ²⁾ vertit, ut sic appetitu provocato amplius tentaretur, et eis propter Christum non utendo plus mereretur. Deinde dixit puero: Vade defer scutellam istam viduae illi, vel tali pauperi sive infirmo, quia magis indigent ³⁾ quam ego. Cum huiusmodi operibus lucerna illa ardens luceret in domo Dei ⁴⁾, placuit Deo, ut per talem occasionem amplius adhuc claresceret. Dominus Philippus Coloniensis Archiepiscopus dum propter castra, quae emerat beato Petro, multis debitis esset obligatus, dictum est ei a quibusdam, quod plebanus supradictus multam haberet pecuniam repositam. Missi sunt qui pecuniam accommodarent. Negante sacerdote, quod pecuniam non haberet, datis arcae suae clavibus, nihil in ea ⁵⁾ inventum est nisi calciamenta bovina et uncta, quae ad usus pauperum comparaverat. Reversi cum erubescencia qui missi fuerant, nunciaverunt haec Episcopo. Qui sibi timens, sicut audivi a quodam sacerdote, pro eodem venerabili sacerdote ⁶⁾ misit, ad pedes illius se prostravit, de illata iniuria veniam postulans ⁷⁾. Ordinem nostrum specialiter dilexit, et cum vellet in eo converti, a quibusdam Abbatibus eiusdem ordinis est aversus, ut intellexi, scientes vitam eius esse sanctissimam, et personis saecularibus valde necessariam. Cum esset decrepitae aetatis, virtutibus consummatus migravit ad Dominum, sepultusque est in ecclesia beati Georgii Martyris. **NOVICIUS:** Si virum tam sanctum et tam senem luxuria tentavit, non mirabor, si iuvenes invadit. **MONACHUS:** Sicut dixi, luxuria vix alicui parcat aetati. Luxuria coluber est in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro ⁷⁾. Ecce exempla.

1) ABCP illi; paulo post BC poni. — 2) BD indiget. — 3) C Domini. — 4) in ea om C; ceteri libri habent in eis. — 5) P sacerdote venerabili, B viro venerabili. — 6) B sibi postulans. — 7) Genes. 49, 17.

CAPITULUM XCIX.

De clerico in Susacia ad accusationem adulterae combusto.

Non est diu, quod in Susacia clericus quidam fuit peregrinus, Hermannus nomine, aetate iuvenis, corpore procerus, pulcher aspectu. In hunc femina quaedam eiusdem civitatis civis oculos iniecit, adeo ab illo inflammata, ut diceret: Si volueris meis amplexibus uti, omnia mea tua erunt. Cuius verba vel promissa cum iuvenis, memor sancti Joseph, despiceret, et illa nihil se proficere cerneret, de oppressione illum coram iudicibus accusavit. Qui cum negaret, nec ei crederetur, missus est in claustrum murorum, locum scilicet damnatorum. Illa, stimulante luxuria, a clerico se dementatam simulans, murum cum scala ascendit, deorsum se praecipitavit, iuvenem amplexatur, ad commixtionem illum sollicitans. Nec sic profecit. Hoc cognito iudices, extrahentes innocentem, tanquam maleficum et magum¹⁾ miserunt in ignem. Qui cum arderet, ita ut patentibus costis pulmo eius videretur, salutationem angelicam, id est, *Ave Maria* et cetera, cunctis audientibus decantavit. Mox unus de²⁾ circumstantibus, mulieris cognatus, titonem ardentem arripiens, orique eius immittens³⁾, ait: Ego auferam tibi orationes istas; et suffocavit eum. Quid plura? Mortuus est, et in campo ossa eius⁴⁾ sepulta. Ad cuius tumbam saepius visa sunt luminaria, et diversa contingunt miracula. Territi vero parentes praedictae adulterae, coram canonicis sancti Patrocli se prostraverunt, veniam postulantes, et pro nece iusti poenitentiam suscipientes⁵⁾. Super cuius tumultum ecclesia fabricata est. Juvenem hunc luxuria per feminam, ut coluber in via, id est, manifeste, pervasit⁶⁾, corpus eius incineravit, sed non superavit. Alteri cuidam facta est cerastes in semita, hoc modo.

1) BC magum et meleficum. — 2) BC ex. — 3) B imponens. — 4) B eius ossa. — 5) de hoc Hermanni martyrio vide etiam Gelen. ad Vit. S. Engelb. p. 75. — 6) BD invasit. Vit. S. Malach. 20. p. 542: „sed nondum exsaturata nequitia eius, miseram invadit mulierculam, quae forte prope assisteret. Et Malachias: Non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, ut hanc pervaderes; exi et ab ea.“

CAPITULUM C.

De converso, ad cuius pedes sibi ancilla lectum fecit.

Conversus quidam, vir bonus ac devotus, quem ego bene novi, cum ante annos paucos navem portantem vinum monasterii sui deduxisset in Flandriam, nocte quadam ancilla hospitis sui, dum secundum consuetudinem lectum illi in solario domus ¹⁾ praeparasset, sibi alium ad pedes conversi stravit. Conversus cum dicto completorio isset cubitum, essetque lucerna exstincta, illa silenter vestes exuit, in lectum praeparatum se reclinavit, nudis pedibus conversi plantas pulsans, et quia ipsa foret, tuscendo ²⁾ se prodens. Non has cerastis insidias conversus observaverat, aestimans alicui virorum eundem lectum fuisse praeparatum. Mordebat illa ungulas equi, id est, conversi ³⁾, sed assessor ⁴⁾ eius, scilicet spiritus, per consensum non cecidit retro, quia mox ut vocem muliebrem audivit, ilico surrexit, vestes induit, et ad fenestras solarii vadens, orationes suas dicendo, mane illic exspectavit. Illa diutina exspectatione suspensa, tandem confusa descendit. NOVICIUS: Quid est cerastes? MONACHUS: Serpens habens cornua, omni ferro duriora, ad instar gladii ex utraque parte incisiva. Unde Graece cerasta vocantur cornua ⁵⁾. Luxuria cerastes est, quia non solum animam interficit, sed et corpus irreparabiliter corrumpit. Omne enim peccatum extra corpus est, teste Apostolo, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat ⁶⁾.

CAPITULUM CI.

De Praeposito, qui moriens spe convalescentiae cum femina peccavit.

Recordor cuiusdam sacerdotis in ordine Regularium Praepositi, quem nimis insidiosae nimisque periculose luxuria per feminam cornibus suis ventilavit. Cum enim graviter infirmaretur, dictum est ei a medico, imo per medicum a diabolo, quod convalescere non posset, nisi uteretur muliere. Ille spe vitae praesentis, immemor futurae, feminam cognovit, nec

1) domus om B. — 2) BKR tussiendo; conf. IX, 10. V, 20. —
3) BC plantas conversi. — 4) DP et corr A ascensor.
— 5) ABDP unde Graeci cerasta vocant cornua. — 6)
Cor. I, 6, 18.

tamen ei profuit, imo magis obfuit, quia post paucos dies defunctus est. Sicque suasu antiqui serpentis tempus poenitentiae factum est illi tempus luxuriae. Judicium animae Deo committo. Haec in eadem domo, in qua Praepositus fuit, a quodam sacerdote eiusdem ordinis mihi relata sunt, quem et ego facie et nomine novi. NOVICIUS: Estne praedicta sententia sancti Job: *Tentatio est vita hominis super terram*, de utroque sexu intelligenda? MONACHUS: Est, quia hoc nomen homo, utrumque sexum comprehendit, et eisdem motibus uterque sexus subiacet. Sicut enim diabolus per feminas¹⁾ viros deiicit et enervat, ita per viros mulierum multitudinem lucratur. Unde de illo ad²⁾ Job a Domino dicitur: *Virtus eius in lumbis eius, et fortitudo illius in umbelico ventris eius*³⁾. Super quem locum dicit sanctus Gregorius, viris esse luxuriam in lumbis, feminis in umbelico⁴⁾. Quae quantum quandoque tententur, exemplis tibi pandam.

CAPITULUM CII.

De nobili castellana, quae stimulum carnis in aqua restrinxit.

Matrona quaedam nobilis, sicut mihi retulit sacerdos quidam religiosus, die quadam cum in castro, in quo manebat, sola esset, et nescio quid ageret vel cogitaret, spiritus fornicationis solam illam esse non permisit. Nam subito tam valide est inflammata, ut huc illucque discurrens, stare vel sedere non posset, ac si ferrum candens in suo femore excepisset. Cumque ignem amoris tolerare non posset, ad portarium castri, castitatis oblita, descendit, et ut sibi commiseri vellet, cum multa instantia supplicavit. Cui ille, sicut vir bonus, respondit: Quid est quod loqueris, domina? Ubi est sensus tuus? Respice Deum, attende honorem tuum. Illa nihil horum curans, cum a portario repulsam pateretur, nutu Dei, de castro exiens, ad flumen praeterfluens cucurrit, aquis gelidis se immersit, in quibus tamdiu sedit, donec fomitem ardentis libidinis restringeret. Tunc ad portarium rediens, et de repulsa gratias agens, ait: Si dares mihi mille marcas auri, modo non paterer, quod paulo ante te facere rogavi. Et reversa est in locum suum. Facitque pius Domi-

1) ADP feminam. — 2) BC per. — 3) Job 40, 11. — 4) Gregor. in Evang. Homil. XIII, 1.

nus, ut mater pia, quae infantem dilectum circa ignem reptantem bene ignis calorem sentire permittit, sed intrare volentem cum multa festinatione retrahit. Hoc plenius auditurus es in capitulo sequenti.

CAPITULUM CIII.

De sanctimoniali in Anglia, quae a suo Provisore tentata est.

In Anglia vir quidam religiosus monasterio praefuit sanctimonialium. Erat autem staturae procerae¹⁾, decorus aspectu, genas habens rubicundas, oculos laetos, ita ut vix aliquis aliquid in eo religiositatis²⁾ esse crederet, qui virtutes animi illius ignoraret. In cuius contemplatione iuvenula quaedam illius congregationis adeo coepit tentari, et tam gravissime stimulis carnis agitari, ut verecundia postposita passionem suam illi aperiret. Expavit vir sanctus, et quia timor Dei ante oculos eius fuit, coepit virginem, in quantum potuit, avertere, dicens: Christi sponsa es, et si Domini mei sponsam corrupero, non patietur impune transire, neque homines diu poterit latere. Dicente illa, si non consenseris mihi, moriar; respondit ille: Ex quo aliter esse non potest, fiat ut vis. In quo ergo loco conveniemus? Respondit illa: Ubicunque tibi placuerit, ego in hac nocte veniam ad te. Ad quod ille: Oportet ut in die fiat. Ostenditque virgini domum in pomerio, monens et praecipiens, ut nemine sciente, nemine vidente, tali hora illuc³⁾ veniret. Quae cum venisset, dixit vir Dei⁴⁾ ad eam: Domina, dignum est et vobis expedit, ut corpus meum, quod tam ardentem concupiscitis, prius inspiciatis, et si tunc placuerit, desiderio vestro per illud satisfaciatis. Hoc dicto, illa tacente, vestimenta sua exuit, cilicium asperrimum quo indutus erat, ad carnem deposuit, corpusque nudum vermibus corrosum, cilicio attritum, scabiosum atque nigerrimum illi ostendens, ait: En quod amas, exple nunc si placet voluptatem tuam. Videns haec illa, expavit, et nunc in pallorem, nunc in ruborem versa, ad pedes eius ruens, veniam postulavit. Cui ille: Revertere secreta in monasterium tuum, et vide ne me vivente prodas secretum meum. Ab

1) C procerus; conf. VIII, 96. — 2) BC religiositatis in eo.
— 3) B illic. — 4) vir Dei add C; mox domina add BC.

illa hora tentatio, quam visus incautus in virgine excitaverat, conquievit. Haec exempli causa de tentatione luxuriae sint dicta. NOVICIUS: Quibus armis resistendum est his septem vitiis, de¹⁾ quibus iam sermo in longum protractus est? MONACHUS: Virtutibus eis oppositis. NOVICIUS: Quid sunt virtutes vel unde dicuntur? MONACHUS: Virtutes sunt qualitates mentis, quibus recte vivitur. Dicuntur autem virtutes, quasi contra vitia stantes. Stare debet contra superbiam humilitas, contra iram lenitas, contra invidiam caritas, contra tristitiam spiritalis iocunditas, contra avaritiam largitas, contra gulam potus cibique parcitas, contra luxuriam castitas. Quod si in pugna tentationum virtutes vitiis effectae fuerint superiores, victoriam meritum, et meritum praemium sequitur aeternum. Quod perseveranti se daturum pollicitus est Dominus noster Jesus Christus, qui est via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio. Ipsi cum Patre et Spiritu sancto honor et imperium in saecula saeculorum. Amen.



DISTINCTIO QUINTA

DE DAEMONIBUS.



CAPITULUM I.

De eo quod daemones sint, quod multi sint, quod mali sint et hominibus infesti.

RECTE post tentationem tractandum videtur esse²⁾ de tentatoribus. Daemones anthonomasice³⁾ dicuntur tentatores, quia maxime⁴⁾ tentatio mentem impellens ad peccandum, vel ipsis fit⁵⁾ auctoribus, vel incentoribus. Si diabolus primum hominem tentavit in paradiso, si Christum tentare praesumsit in deserto, quem hominum⁶⁾ tentare non audebit in hoc mundo? Duo siquidem angeli cuilibet homini sunt deputati,

1) de om ADP. — 2) BC esse videtur. — 3) BCP anthonomatice. — 4) BC omnis. — 5) C maxime fit vel ipsis. — 6) BCP hominem.

bonus ad custodiam, malus ad exercitium. NOVICIUS: De angelis sanctis mihi nulla ¹⁾ inest dubietas, quin sint, quia Prophetarum scripta de illis saepe loquuntur. Quod vero daemones sint, quod multi sint, quod mali sint, et quod incendiis aeternis deputati sint, ex scripturis utriusque testamenti vellem mihi demonstrari. MONACHUS: Plurima ad haec probanda exstant ²⁾ testimonia. De Lucifero, id est, diabolo, propter decorem suae creationis sic dicto, eiusque casu ait Isaias: *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris?* et cetera ³⁾. Quod factus sit diabolus, et quod de coelo ceciderit, testis est Salvator, qui ait: *Vidi Satanam tanquam fulgur de coelo cadentem* ⁴⁾. De quo Job: *Quadam die cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam et Satan* ⁵⁾. Et in Psalmo David loquens de Juda proditore: *Diabolus, inquit, stet a dextris eius* ⁶⁾. Item Abacuc de Christo: *Egredietur diabolus ante pedes eius* ⁷⁾. Et in aliis multis locis diabolum scriptura commemorat. Quod autem solus non fuerit, nec solus ceciderit, testatur Johannes in Apocalypsi dicens: *Factum est proelium magnum in coelo; Mychael et angeli eius pugnabant cum dracone, et draco pugnabat et angeli eius; et non valuerunt, neque locus eorum inventus est amplius in coelo* ⁸⁾. Factus est per malitiam suam draco Lucifer gloriosus, de cuius decore ac pulchritudine per Ezechielem dicitur: *Tu signaculum similitudinis Dei, plenus sapientia atque decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, et cetera* ⁹⁾. Decima pars angelorum creditur cecidisse. Unde ob multitudinem Apostolus vocat eos aereas potestates ¹⁰⁾. Cadendo enim aerem repleverunt. De quorum malitia Propheta Christo dicit in Psalmo: *Malitia* ¹¹⁾ *eorum, qui te oderunt, ascendit semper* ¹²⁾. Et Dominus in Evangelio Judaeis: *Vos opera patris vestri diaboli facitis. Ille mendax fuit ab initio, et pater eius* ¹³⁾. Quod hominibus infestus sit, testis est Job, qui ait: *Absorbabit fluvium, et non mirabitur, id est, infideles: paganos scilicet, Judaeos et haereticos; et habet fiduciam quod in-*

1) BCD nulla mihi. — 2) C existunt. — 3) Isai. 14, 12. — 4) Luc. 10, 18. — 5) Job 1, 6. — 6) Psal. 108, 6. — 7) Habac. 3, 5. — 8) Apoc. 12, 7. — 9) Ezech. 28, 12. — 10) Ephes. 2, 2. — 11) DP et corr A superbia. — 12) Psal. 73, 23. — 13) Johan. 8, 41. 44.

fluat Jordanis in os eius ¹⁾, scilicet fideles baptizati ²⁾. Unde Apostolus Petrus nos admonet dicens: *Fratres, vigilate, sobrii estote, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide* ³⁾. Quod de uno dicitur, de ceteris intelligendum est, quia saepe numerus singularis pro plurali ponitur ⁴⁾. Quod aeternaliter damnandi sint, habetur ex verbis Domini, qui in iudicio reprobis dicturus est: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius* ⁵⁾. Bene autem in quinta distinctione loquendum arbitror de daemonibus, quia quinarius a philosopho apostaticus vocatur, eo quod ceteris numeris imparibus coniunctus, et per se ipsum multiplicatus, semper se ipsum vel in capite vel in fine ostendit ⁶⁾. Sic diabolus a quaternario perpetuae firmitatis recedens, primus cum hominibus malis, quasi numeris inaequalibus, sociatur, semper in principio vel in ⁷⁾ fine operis vel sermonis, illius nequitia demonstratur. NOVICIUS: Satis mihi fateor probatum esse, unde haesitavi, divinae scripturae testimoniis; neque mihi satisfactum fateor, nisi eadem vivacibus declares exemplis. MONACHUS: Daemones esse, multos esse, malos esse, plurimis tibi exemplis potero probare.

CAPITULUM II.

De Henrico milite, qui daemones esse non credens per nigromanticum illos vidit.

Miles quidam Henricus nomine, de castro Falkenstein ⁸⁾ oriundus, pincerna fuit Caesarii monachi nostri, tunc Abbatis Prumiae. Et sicut eodem Caesario recitante didici, cum iam dictus miles daemones esse dubitaret, et quicquid de illis audiret vel audisset ⁹⁾, quasi frivolum reputaret, quendam clericum Philippum nomine in nigromantia famosissimum accersivit, et ut daemones sibi ostenderet, cum multa instantia ¹⁰⁾ petivit. Cui cum ille responderet, visio daemonum horribilis

1) Job 40, 18. — 2) BC Jordanis, id est, fideles baptizati, in os eius. — 3) Petr. I, 5, 8—9. — 4) BC ponitur pro plurali. — 5) Matth. 25, 41. — 6) C ostendat. — 7) in om AD. — 8) Falkenstein, castrum in Dorso Canino. — 9) D quicquid audiret de illis vel audisset, BC quicquid de illis audisset. — 10) BC instantia multa.

est, periculosa est, neque hos omnibus expedit ¹⁾ videre; et cum miles importune nimis instaret, adiecit: Si securum me feceris, quod neque a cognatis sive ab amicis tuis nihil mihi ex hoc mali eveniat ²⁾, si forte a daemonibus deceptus vel territus vel ³⁾ laesus fueris, acquiescam tibi. Et fecit eum securum. Die quadam tempore meridiano, eo quod tunc maiores habeat vires daemonium meridianum, Philippus militem in quoddam bivium duxit, gladio illum circumcircinavit, circuli legem infra circulum posito praedixit, et ait: Si aliquod membrorum tuorum extra hunc circulum ante meum reditum extenderis, morieris, quia mox a daemonibus extractus, peribis. Monuit etiam, ut nihil petentibus daret, nil promitteret, nec se signaret. Et adiecit: Multis modis te daemones tentabunt et terrebunt, nec tamen tibi nocere poterunt, si mandata mea custodieris. Discessitque ab eo. Solo sedente illo in circulo, ecce vidit contra se venientes inundationes aquarum, deinde audit grunnitus porcorum, flatus ventorum, et alia phantasmata his similia multa, quibus illum daemones terere moliebantur. At quia iacula praevisa minus feriunt, contra haec a semetipso confortatur. Novissime vero contemplabatur in nemore vicino quasi umbram humanam tetram, summitatem arborum excedentem ⁴⁾, quae ad ipsum properabat. Et intellexit statim, quia diabolus esset, ut fuit. Qui ut circulum attigit, stetit, et quid sibi vellet militem interrogavit. Erat autem quasi magnus vir, imo maximus et nigerrimus, vesteque ⁵⁾ subnigra indutus, et tantae deformitatis, ut in eum miles respicere ⁶⁾ non posset. Cui sic ait: Bene fecisti veniendo, ego enim videre te desideravi. Ad quid? inquit. Et ille: Multa de te audivi. Respondente diabolo, quid de me audivisti? subiecit miles: Pauca bona, et multa mala. Ad quod diabolus: Saepe me iudicant et condemnant homines sine causa. Ego neminem ⁷⁾ nocui, neminem laedo, nisi provocatus. Philippus magister tuus, bonus amicus meus est, et ego illius; quaere si unquam illum offenderim. Ego facio quod illi placet, et ipse mihi in omnibus obtemperat. Vocatus ab illo, modo huc veni ad te. Tunc miles: Ubi fuisti,

1) BC neque omnibus expedit illos; paulo post cum add C. — 2) ACDP evenerit. — 3) vel add B. — 4) ADP ascendentem. — 5) que add BC. — 6) BC miles in eum respicere, D in eum respicere miles. — 7) R nemini.

quando te vocavit? Respondit daemon: Tantum ex illa parte maris fui, quantum ab hoc loco distat usque ad mare. Et ideo iustum est, ut in aliquo munere laboribus meis respondeas. Cui miles: Quid vis? Respondit ille: Volo et rogo, ut des mihi palliolum ¹⁾ tuum. Dicente milite, non tibi dabo; poposcit cingulum, deinde ovem unam de grege. Quae cum omnia negaret, novissime gallum domus eius petivit. Cui cum diceret, quid opus habes gallo meo? respondit daemon: Ut cantet mihi. Et ille: Quomodo caperes eum? Respondit iterum daemon: Non solliciteris de hoc, tu tantum da mihi illum. Tunc miles: Ego nihil dabo tibi. Et adiecit: Dic mihi, unde est tibi tanta scientia? Dixit daemon: Nihil fit mali in mundo, quod me lateat. Et ut hoc scias verum esse, ecce in tali villa et ²⁾ in tali domo virginitatem tuam perdidisti, ibi ³⁾ et ibi peccata illa et illa commisisti. Et non potuit contradicere miles, quin verum diceret. NOVICIUS: Non puto, quin miles aliquando eadem confessus fuerit peccata. Quomodo ergo scire potuit diabolus confessa? MONACHUS: Quia cum voluntate iterum peccandi miles confessus fuit, diaboli scientiam in nullo minuit. NOVICIUS: Placet quod dicis, quia idem dixisse te ⁴⁾ recolo in distinctione tertia capitulo sexto. MONACHUS: Cumque rursus diabolus nescio quid postularet, et ille dare ⁵⁾ renueret, quasi eum rapere vellet et extrahere, manum contra eum extendit, atque in tantum terruit, ut retrorsum cadens clamaret. Audita eius voce, Philippus accurrit, in cuius adventu phantasma mox disparuit. Ab illa hora miles idem semper pallidus fuit, nativum colorem nunquam recuperavit, emendatius vivens, et daemones esse credens. Non est diu, quod defunctus est.

CAPITULUM III.

De sacerdote, qui per diabolum a circulo extractus et confractus tertia die mortuus est.

Eodem tempore sacerdos quidam stolidus eundem Philippum rogavit atque remuneravit, ut sibi daemones ostenderet. A quo cum fuisset, modo supradicto, in circulo positus et instructus, a diabolo territus et extractus est, atque ita ante-

1) ADP pallium. — 2) et om BC. — 3) BD et ibi. — 4) BC te dixisse; paulo post in om ACDP. — 5) dare om B.

quam adveniret Philippus, confractus, ut tertia die moreretur. Cuius domum Walerammus Comes de Lutzelinburg confiscavit. Ego eundem Philippum vidi, qui ante paucos annos procurante, ut creditur, magistro et amico suo diabolo occisus est.

CAPITULUM IV.

*Item de clerico, qui apud Toletum dolo diaboli extractus
et ad inferos ductus et magistri sui querimoniis
reductus, factus est monachus.*

Retulit mihi bonae memoriae monachus noster Godescalcus de Volmuntsteine, quod silere non debeo. Cum die quadam rogaret praedictum ¹⁾ Philippum, ut aliqua sibi recitaret de arte sua mirabilia; respondit ille: Ego dicam vobis rem satis mirabilem, temporibus meis apud Toletum veraciter gestam. Cum plures ex diversis regionibus scholares in eadem civitate studerent in arte nigromantica, iuvenes aliqui de Suevia. atque Bauvaria stupenda quaedam et incredibilia a suo magistro audientes, et utrumnam vera essent probare volentes, dixerunt illi: Magister, volumus ut ea quae nos doces, oculo tenus ostendas, quatenus aliquem ex studio nostro fructum capiamus. Quos cum averteret, et non acquiescerent, eo quod natio illa gens sit mirabilis, hora idonea in campum illos duxit, gladio ²⁾ circa illos circulum fecit, monens sub interminatione mortis, ut infra circulum se cohiberent, et ne aliquid rogantibus darent, vel ab offerentibus reciperent praecepit ³⁾. Secedens ab eis paululum, daemones carminibus suis advocavit. Mox assunt illi in formis militum decenter armatorum, militiae circa iuvenes ludos ⁴⁾ exercentes. Nunc lapsum simulabant, nunc lanceas et enses contra eos extendebant, omnibus modis satagentes, ut illos extra circulum ⁵⁾ extraherent. Qui cum sic nihil proficerent, in puellas speciosissimas se transformantes, choreas circa illos ducebant, variis anfractibus iuvenes invitantes ⁶⁾. Ex quibus una forma ceteris praestantior unum ex scholaribus elegit. Ad quem quotiens venisset chorizando, totiens anulum aureum porrigebat,

1) C dictum, B eundem. — 2) B et gladio. — 3) praecepit om BC; mox B et secedens. — 4) ADP ludos circa iuvenes. — 5) BC extra circulum eos. — 6) B incitantes.

intus suggerendo, et foris motu corporis ad amorem suum illum inflammando. Quae cum per multas vices hoc actitasset, victus iuvenis, digitum contra anulum extra circulum porrexit, quem illa mox per eundem digitum extrahens, nusquam comparuit. Capta praeda, conventus malignantium in turbinem resolvitur. Fit clamor et strepitus discipulorum, accurrit magister, de raptu consocii ¹⁾ omnes conqueruntur. Quibus ille respondit: Ego sine causa sum, vos me coegistis. Ego vobis praedixeram, non eum amodo videbitis. Ad quod illi: Nisi nobis restituas illum ²⁾, interficiemus te, Timens tamen ³⁾ vitae suae, sciens Bauwaros esse furiosos, respondit: Ego tentabo, si spes aliqua sit de illo. Vocansque principem daemoniorum, fidele suum ministerium ad memoriam illi revocans, dixit, disciplinae eius multum esse derogandum, seque a discipulis occidendum, nisi iuvenis restitueretur. Cui diabolus compassus respondit: Crastino concilium ⁴⁾ propter te in tali loco celebrabo, tu esto praesens, et si aliquo ⁵⁾ modo illum per sententiam obtinere poteris, gratum habebō. Quid plura? Ad imperium principis concilium malignantium cogitur. De violentia in discipulum facta magister ⁶⁾ conqueritur. Ab adversario respondetur: Domine, inquit, non illi feci iniuriam, non violentiam, magistro suo inobediens fuit, legem circuli non custodivit. In hunc modum illis contendentibus, diabolus daemonem quendam sibi collateralem de sententia interrogavit, dicens: Olivere ⁷⁾, semper curialis fuisti, contra iustitiam personam non accipis, solve quaestionem huius litis. Respondit ille: Ego iuvenem restituendum esse iudico magistro suo. Moxque ad adversarium conversus, ait: Redde illum, quia nimis ei importunus fuisti ⁸⁾. Ceteris sententiae eius assensum praebentibus, ad mandatum iudicis eadem hora scholaris ab inferis reducitur, magistro suo restituitur, concilium solvitur, ad discipulos reducta praeda magister laetus revertitur. Cuius vultus ita erat macer et pallidus, color tam immutatus, ut hora eadem a sepulchro videretur resuscitatus. Qui sociis apud inferos visa ⁹⁾ recitans, quam Deo contraria

- 1) B et pr C socii. — 2) B nisi restituas nobis illum, C nisi eum nobis restituas, P nisi nobis restituas. — 3) C tandem. — 4) BC consilium; sic et infra. — 5) D in aliquo. — 6) ACDP a magistro. — 7) conf. infra cap. 35. — 8) C importunus fuisti ei, D importunus ei fuisti. — 9) BC visa apud inferos.

et execrabilis foret illa disciplina, magis exemplo, quam verbo ostendit; et a loco recedens, in quodam ordinis nostri monasterio monachum se fecit. NOVICIUS: Recordor nunc illorum duorum, iuvenis videlicet, qui apud Toletum defuncti socii admonitione conversus est, et alterius clerici, cui visa poena Lantgravii conversionis causa fuit, sicut dictum est in distinctione prima capitulo tricesimo tertio et capitulo tricesimo quarto. MONACHUS: Conradus senex monachus noster retulit mihi, se ante conversionem nocte quadam in plenilunio, demonstrante sibi quodam clerico nigromantico, in diversis formis daemones vidisse. Unde dubium non est, quin sint, qui sic ab hominibus videri, audiri et ¹⁾ sentiri possunt. NOVICIUS: Licet satis mihi probatum sit, daemones esse, magis tamen delectarer de his testimonia religiosorum, quam saecularium audire. MONACHUS: Quod daemones sint, et ²⁾ multi sint, non dubiis, sed verissimis, non saecularium, sed claustralium personarum tibi ostendam exemplis, de quibus nihil omnino dubitabis.

CAPITULUM V. *)

De Hermanno Abbate Loci sanctae Mariae, qui in diversis formis daemones vidit.

Dominus Hermannus nunc Abbas Loci sanctae Mariae, quanta sit vir religiositatis, quantaeve gravitatis, bene nosti. Iste ante conversionem ecclesiae Bonnensis erat canonicus, vir nobilis et de alto sanguine natus. Factus vero monachus in Hemmenrode, non multo post cum emitteretur conventus noster de eodem claustro, primus ei Abbas efficitur, et post annos paucos nobis ³⁾ per electionem ablati, eidem in Abbatem promotus restituitur. Erat tunc temporis illic conversus quidam, Henricus nomine, magister cuiusdam grangiae, quae Hart vocatur, vir bonus et iustus, maturus aetate, et corpore virgo. Iste inter reliqua dona, quae acceperat a Domino, saepe nocturnis horis, in choro maxime ⁴⁾, in diversis formis daemones discurrere ⁵⁾ vidit. Haec cum in confessione iam dicto retulisset Hermanno, illius exemplo videndi daemones

1) et om BC. — 2) B quod daemones, et quod, CD quod daemones sint, quod. — *) Homil. I. p. 101—104. — 3) nobis add BC. — 4) BC saepe in choro, nocturnis horis maxime. — 5) ADP currere; paulo post C Hoc.

desiderio accensus, intentissime Deum oravit, ut sibi hanc gratiam donare dignaretur. Statimque exauditus est. In proxima vero sollemnitate sancti Martini cum staret in matutinis, contemplatus est daemonem unum in forma rustici quadrati inferius iuxta presbyterium intrare. Habebat enim pectus latum, scapulas acutas, collum breve, capillum in fronte satis superbe tonsoratum, crines reliquos sicut haristas ¹⁾ dependentes. Ascendens venit ad quendam novicium, stans coram illo. Quem cum dominus Hermannus, qui tunc temporis non erat Abbas ²⁾, intuitus fuisset, oculosque parumper avertisset, ac denuo illum videre voluisset, disparuerat. Alio tempore transformans se daemon in caudam vituli, et super formam ³⁾ cadens, cui idem novicius se apodiabat ⁴⁾, motu levissimo trahebat se ad novicium. Cuius scapulas cum eadem cauda tangeret, mox in psalmodia fallebatur novicius. Qui cum super articulos se demitteret ⁵⁾, regulariter satisfaciens, daemon quasi turbine impulsus, ad longitudinem cubiti unius recessit ab eo, sicque disparuit. Non enim spiritus ille superbiae, qui blandimento caudae suae tertiam partem stellarum post se trahit ⁶⁾, ad unius humilitatis signum stare potuit. Novicius iste nonnus Alexander fuit, nunc Prior in Claustro. Verisimile est, tunc eum aliquid levitatis cogitasse, quando per motum levem tentatus est et impeditus. **NOVICIUS:** Placet quod dicis. **MONACHUS:** In nocte vero sancti Kuniberti cum staret in choro Abbatis, tunc simplex monachus, vidit iuxta presbyterium duos daemones intrare, et paulatim ascendere ad stallum Abbatis, inter chorum monachorum atque noviciorum. Qui cum venissent contra angulum, ubi parietes conveniunt, exsiliit daemon tertius, duobus se socians, et cum illis exiens. Tam prope enim transeuntes venerunt ei ⁷⁾, ut manu illos tangere posset. Quos diligentius intuens, consideravit quod pedibus terram non tangerent, utpote aerae potestates. Habebat enim ⁸⁾ unus ex duobus prioribus femineum vultum,

1) aristas. — 2) C Abbas non erat, B Abbas non fuerat. —
 3) conf. IV, 45. VIII, 6. — 4) hoc est, innitebatur. Homil. IV.
 p. 77: „paxilli validi iustorum sunt exempla, in quibus se apodiare debet infirmitas nostra“. Ex quo loco hic addidi pronomen se, a nostris libris praetermissum. — 5) BDP dimitteret. Sensus est: cum veniam faceret, digitis tangendo terram. —
 6) Apoc. 12, 4. — 7) C ei venerunt, B eum venerunt. —
 8) B autem.

in capite vero ¹⁾ velamen nigrum, nigro circumdatus pallio. Et sicut mihi retulit, monachus ille, qui tertium daemonem iuxta se foverat, satis erat murmurius ²⁾ et non parum accidiosus, in choro libenter dormiens, et invitus psallens, hilarior ad potandum, quam ad cantandum. Breviores vigiliae videbantur ei semper longissimae. Alio itidem tempore, in vigilia, ut puto, sancti Columbani, tunc eo existente Priore, cum chorus Abbatis inciperet primum matutinarum Psalmum, scilicet: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me* ³⁾? daemones in choro adeo multiplicati sunt, ut ex illorum concursu et discursu mox in eodem Psalmo fratres fallerentur ⁴⁾. Quos cum chorus oppositus conaretur corrigere, daemones transvolaverunt et se illis miscentes ita eos ⁵⁾ turbaverunt, ut prorsus nescirent quid psallerent. Clamavit chorus contra chorum. Dominus Abbas Eustachius, et Prior Hermannus, qui haec vidit, a stallis suis semoti, cum satis ad hoc conarentur, non poterant illos ad viam psalmodiae reducere, neque vocum dissonantias unire. Tandem Psalmo illo modico et valde usitato, cum labore pariter atque confusione qualicunque modo expleto, diabolus, totius confusionis caput, cum suis satellitibus abcessit, et pax turbata psallentibus accessit. Quem eadem hora praedictus Prior in forma draconis, hastae habentem longitudinem, evolare vidit, et hoc iuxta lampadem in choro ardentem, ne eius abcessus latere posset contemplantem. Reliqui daemones umbrosa habebant corpora, infantibus maiora, quorum facies ferro de igne extracto erant simillimae. NOVICIUS: Ex quo tot daemones congregati fuerant in loco uno ad impedimentum congregationis unius ⁶⁾, non dubito quin innumerabiles sint in orbe terrarum. MONACHUS: Teste Evangelio, legio intraverat hominem unum ⁷⁾. Unde quia multi sunt et mali, et ad impedimentum salutis nostrae, ut praedictum est, heu nimis parati, consulo, ut dum ⁸⁾ stamus ad psallendum, circumspecti simus et intenti, ferventes et humiles, ne meritum sancti fervoris exstinguat vitium superbae vociferationis. In quantum enim maligni spiritus turbantur in cordis nostri devotione, in tantum laetificantur in superba vocum exaltatione. Cum ⁹⁾ nocte quadam hebdomada-

1) C eius. — 2) BC murmurosus. — 3) Psal. 3. — 4) libri fallerent. — 5) eos add BC. — 6) CP unius congregationis. — 7) Marc. 5, 9. — 8) BC cum. — 9) AD dum.

rius invitatorii 1) antiphonam inciperet, et monachus ei proximus voce mediocri Psalmum intonaret, Herwicus, tunc Subprior 2), cum ceteris senioribus eadem voce qua ille inceperat, psallere coepit. Stabat iuvenis quidam minus sapiens in inferiori pene parte chori, qui indigne ferens Psalmum tam submisso inceptum, fere quinque tonis illum exaltavit. Subprior e ei resistente, ille cedere contempsit, et cum multa pertinacia victoriam obtinuit. Cuius partes in proximo versiculo quidam ex opposito choro adiuverunt. Propter scandalum et dissonantiae vitium ceteri cesserunt. Mox is, qui supra 3), vidit daemonem de monacho sic triumphante quasi candens ferrum prosilientem, et in oppositum chorum in eos, qui eius partem roboraverant 4), se transferentem. Ex quo colligitur, quod magis Deo placeat 5) humilis cantus cum cordis devotione, quam voces etiam 6) in coelum arroganter exaltatae. Alia quadam nocte, cum praevenisset 7) fratres ad vigilias, et stans in loco suo propter aeris claritatem considerandam oculos direxisset ad fenestram, quae est in fronte ecclesiae, obiecit se visui eius daemon quidam in Aethyopis effigie, magnus et nigerrimus, ac si hora eadem ab igne infernali fuisset extractus. Qui ad eum per chorum superiorem veniens, ipsumque pertransiens, egressus est. Alio itidem tempore, cum modicum se movisset a stallo suo ad commonendum fratres, conspexit daemonem inter stallum Abbatis atque Prioris intrare cum impetu, ipso aspectu horribilem nimis. Qui cum in chorum Prioris nequiter respexisset, et vidisset sibi ingressum non patere propter ipsum, eo quod viam occupasset, raptim se in chorum noviciorum deposuit, et cuidam monacho seniori illic sedenti se coniunxit. Iste supradicto monacho, qui daemonem iuxta se foverat, dissimilis in moribus non erat, bibulus scilicet, accidiosus et libenter murmurans. Ecce ista debent esse terrori monachis accidiosis. **NOVICIUS:** Tam ista quam illa, quae te in distinctione superiori de vitio accidiae dixisse recolo, omnes qui in choro libenter dormiunt et inviti psallunt, merito terrere debent. **MONACHUS:** Saepius daemones per chorum

1) invitatorium appellatur Psalmus nonagesimus quartus. — 2) librorum nostrorum lectionem, Prior, emendavi ex Homilia. De Herwico tunc Subprior, postea Priore, vide infra XI, 10. — 3) scilicet Hermannus. — 4) libri in eum — roboraverat; mox se om ABDP. — 5) ADP placet Deo. — 6) etiam add C; paulo post BP exaltare. — 7) BC pervenissent.

in formis minutissimis discurrere, saepius in diversis locis eodem contemplatus est terribiliter scintillare. Sentiens aspectum illorum oculis esse nocivum, nec ignorans nequitiam illorum, die quadam, missa dicta de Spiritu sancto, oravit Deum, ut se ab huiusmodi visionibus liberaret. Statim affuit inimicus in forma lucidissimi oculi, habentis quantitatem pugni, in quo quicquid erat vivere putabatur. Ac si diceret: Modo diligenter considera me, quia de cetero non videbis me. Postea tamen eum vidit, sed non tam manifeste, et ¹⁾ tam saepe, ut prius. Factus Abbas in Loco sanctae Mariae, cum nobilis femina, Aleidis nomine, Comitissa de Froizbreth, tanquam loci fundatrix ibi sepeliretur ²⁾, et adhuc corpus eius iaceret in feretro, vidit daemonem ipsum feretrum circumgyrantem, et, quasi aliquid sui iuris perdidisset, ita omnes eius angulos oculorum indagine ³⁾ lustravit. Nondum est annus ⁴⁾, quod, Prior noster dum post sepulturam cuiusdam conversi nostri ad horam canonicam chororum intraret, et nescio quid de saecularibus foris tractasset, diabolum, tanquam ducem viae, ante illum ingredi conspexit. Erat autem forma assumti corporis admodum subtilis, ad instar nubis. Deinde, diebus paucis ⁵⁾ elapsis, nocte quadam, infra matutinas, in simili illum specie coram iam dicto Priore stare conspexit. NOVICIUS: Quid est quod personam huius venerandi Abbatis, cum scriberes de Infantia Salvatoris Homelias Morales, et pene omnes praedictas visiones ibi poneres, ita personam eius ⁶⁾ celare studuisti? MONACHUS: Ipse ex multa caritate secreta sua mihi revelans, tunc temporis ne eum proderem prohibuit, quod postea tamen, importunitate mea victus, concessit. Sciebam enim personae illius gravitatem posse non modicam scribendis praebere auctoritatem. Cuiusdam venerabilis magnarumque virtutum viri, cuius tam nota fuit sanctitas, et tam probata auctoritas, ut nemo de illius dictis merito dubitare debeat, nunc recordor: quorum visiones tam praesentibus quam futuris poterunt esse ⁷⁾ exemplum terroris.

1) C nec. — 2) BC ibi sepeliretur tanquam loci fundatrix.
 — 3) BC ita oculorum indagine omnes eius angulos.
 — 4) D annus elapsus. — 5) BC paucis diebus. — 6)
 personam eius om DR. — 7) BC esse poterunt.

CAPITULUM VI.

De Christiano monacho, qui daemones vidit.

In Hemmenrode sacerdos quidam venerabilis ad conversionem venit, nomine et opere Christianus. Huic daemones multum importuni fuerunt ¹⁾, et saepe illos vidit tam ante conversionem quam post. Huius tempore alter quidam saecularis sacerdos, nomine Karolus, in eodem coenobio factus est novicius, et erat eius in probatione socius Prior noster Ysenbrandus ²⁾. Hic instinctu diaboli, cuius consilio utebatur, gulae et carnis suae commodis nimis consentiens, infirmitates saepius simulavit: pede claudicavit, lecto decubuit. Qui cum positus in infirmitorio ³⁾ tantum carnem nutriret, et spiritum negligeret, vadens vel rediens de privata cum claudicaret, et in coquinam respiciendo, quae ibi praepararentur infirmis, consideraret, praedictus Christianus ⁴⁾ diabolum eum sequi vidit, qui eo modo quo ille claudicaverat, et ipse claudicavit, et sicut introspererat introsperavit, in nullo ab illius gestibus discrepans. Tandem infra annum probationis deficiens, reversus est ad ollas Aegypti, et secuta est caro carnem. — Fratribus ad laborem post Capitulum praeparatis ⁵⁾, cum starent circa auditorium, et exspectarent tabulae percussione, essentque aliqui ex eis remissi per otiosam signorum consignificationem, vidit vir ille beatus cattos foeda quadam adustione maculatos, imo sub eorum specie daemones, caudarum suarum motibus eisdem blandiri, et continuatis vicibus corporum suorum compressionibus, in signum familiaritatis, illos demulcere. Eos vero qui gravitatem suam servabant, nec respicere quidem audebant. — Die quadam cum orationis gratia ante quoddam se altare ⁶⁾ prostravisset, diabolus in bufonem maximum, ad instar gallinae, se transformans, ante eius ora resedit. Quo viso territus, ilico surrexit et fugit, hora eadem dolos diaboli minus observans. NOVICIUS: Videntur mihi tres istae visiones contra tria vitia satis esse necessariae; prima contra vitium gulositatis, secunda contra vitium vanitatis, tertia contra taedium orandi. MONACHUS: Licet non videamus, diabolus saepe

1) BC erant. — 2) BC Ysenbrandus; sic et infra XI, 3. —
 3) B infirmitorio. — 4) ADP praedictum, omisso Christianus. — 5) BC fratribus post Capitulum praeparatis ad laborem. — 6) BCD altare se.

per huiusmodi phantasmatum horrores dulcedinem in ¹⁾ nobis exstinguit orationis. Haec mihi dicta sunt a supramemorato Hermanno Abbate, necnon et Waltero monacho de Birbech, qui illi familiares fuerunt. Reliqua eius acta et visiones audies in distinctione septima.

CAPITULUM VII.

De daemonibus, qui visi sunt Maguntiae in superba veste feminae.

Retulit mihi quidam civis honestus, asserens suis temporibus Maguntiae, si bene memini, hoc quod dicturus sum contigisse veraciter ²⁾. Die quadam Dominica, cum ³⁾ sacerdos in ecclesia, cuius erat plebanus, circuiret, et aqua benedicta populum aspergeret, ad ostium ecclesiae veniens, matronam quandam pompaticae venientem, et ad similitudinem pavonis variis ornamentis pictam obviam habuit, in cuius cauda vestimentorum ⁴⁾, quam trahebat post se longissimam, multitudinem daemonum residere conspexit. Erant enim parvi ut glires, nigri sicut Aethyopes, ore cachinnantes, manibus plaudentes, et sicut pisces intra sagenam conclusi saltantes. Revera ornatus muliebris sagenae diaboli est. Quod ⁵⁾ ut vidit, daemonum quadrigam foris exspectare fecit; plebem advocavit, daemones ne fugerent adiuravit. Territa illa stetit, et ut visiones populus videre mereretur, quia vir bonus ac iustus fuit, orationibus obtinuit. Intelligens mulier ob vestimentorum superbiam sic se a daemonibus derisui habitam ⁶⁾, domum rediit, vestimenta mutavit, et tam ipsi quam ceteris feminis eadem visio occasio facta est humilitatis. NOVICIUS: Si tot sunt daemones, qui nos miseros homines instigant ad culpam, puto quia multi erunt, qui consentientes trahent ad poenam. MONACHUS: De hoc magis te ⁷⁾ instruam exemplis quam verbis.

1) in om BC. — 2) BC veraciter contigisse. — 3) C dum.
— 4) BC vestimentorum cauda. — 5) ADP quos. —
6) ADP esse derisam. — 7) BP te magis.

CAPITULUM VIII.

De sacerdote de Ditkirgen, qui in obitu suo multitudinem vidit daemoniorum. Item probatio quod plures sint mali ¹⁾ homines, quam daemones.

In Ditkirgen sanctimonialium monasterio, quod in opido Bonnensi situm est, sacerdos quidam defunctus est, Adolphus nomine, vir valde saecularis et lubricus, iam dicti monasterii plebanus. Hic, sicut mihi retulit quidam sacerdos, qui fuerat Bonnensis ²⁾ canonicus, cum die quadam cum quodam suo cognato ³⁾ luderet in aleis, quidam ex parochianis eius flens supervenit, et ut matris suae confessionem audire, eamque communicare dignaretur, humiliter et ⁴⁾ cum lacrimis supplicavit. Respondente sacerdote: Non veniam nisi expleto ludo; et ille instaret, asserens infirmam expectare non posse, commotus sacerdos secum ludenti dixit: Cognate, ego conqueror vobis de domino isto, qui me quiescere non sinit. Videns se ille nihil proficere, tristis ac gemens discessit, et infirma sine confessione atque viatico ab hac luce migravit. Die autem tertio is qui cum sacerdote luserat, defunctae filio occurrit, et sacerdotis querimoniae recordatus, illum sine causa occidit. Post haec et alia peccata plurima sacerdos idem peremptoriam incidit infirmitatem. Qui cum esset in desperatione, quaedam cognata eius sedens coram illo, cum signum contritionis videret in eo nullum ⁵⁾, tristis sic ait: Domine, debilis estis valde, praeparate vos propter Deum. Invocate illum, ut peccata vestra vobis dimittat, et spatium adhuc fructuosae poenitentiae concedat. Ad quod ille desperatus respondit: Vides horreum illud magnum ex opposito nostri? Non sunt in eius tecto tot calami, quot sunt circa me daemones congregati. Et hoc dicto, mox agonizans, exspiravit, eos videns adesse moriturus, quorum consilio vixerat sanus. Multa tibi de multitudine daemonum adhuc dicere possem, sed usque ad duodecimam distinctionem illud ⁶⁾ reservo. NOVICIUS: Cum mali male vivendo multos habeant daemones incentores, multos in morte accusatores, miror si tot in poenis habituri sint singuli tortores.

1) mali abest a libris nostris. — 2) C add ecclesiae. — 3) ADP suo cognato quodam. — 4) et om BC. — 5) B nullum videret in illo, C nullum in eo videret. — 6) B illa reservo, C reservo illa. Conf. IV, 60.

MONACHUS: Supra distinctione prima capitulo tricesimo secundo dictum est de Abbate Morimundensi, quod daemones animam ad locum ¹⁾ poenarum portantes cruciaverunt. Similiter distinctione secunda capitulo sexto Hildebrandus, latro Bertolpho post mortem apparens, multa millia daemonum dicebat animam suam foris praestolari. **NOVICIUS:** Si haec ita se habent, certum est plures esse daemones, quam homines malos. **MONACHUS:** Quantum ad praesens tempus, quaestionis huius solutionem scire non possumus; sed certum habemus, quod in fine mundi, quando completus fuerit numerus reprob²⁾, multo plures erunt mali homines, quam daemones. **NOVICIUS:** Unde hoc probatur? **MONACHUS:** Decima pars angelorum cecidit, ex quibus daemones facti sunt. Teste beato Gregorio, tot ascensuri sunt ex electis hominibus, quot ibi angeli remanserunt ³⁾. Secundum hoc novem partibus numerus ⁴⁾ hominum electorum transcendet numerum daemoniorum. Quis ergo dubitet ⁵⁾, quin incomparabiliter plures sint homines mali, quam boni? Nec in hoc mali homines aliquam recipient ⁶⁾ consolationem, quod numero longe plures erunt daemonibus, quia tanta est illorum naturalis potentia, tanta contracta malitia, tanta torquendi industria, ut unus multis millibus hominum in poenis adhibendis sufficere possit. Haec de multitudine malignorum spirituum dicta sint. Quod autem incomparabiliter mali sint et immisericordes, variis tibi pandam exemplis.

CAPITULUM IX.

De daemone, qui dixit se malle cum una anima a se decepta descendere in infernum, quam redire ad coelum.

Daemon quidam dum ⁷⁾ hominem a se obsessum horribiliter torqueret, et diversis per os eius garriendo diversa responderet, dictum est ei a quodam ex circumstantibus: Dic, diabole, si posses ad gloriam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris sustinere? Respondit ille: Si hoc esset in meo arbitrio, malle cum una anima a me ⁸⁾ decepta descendere in infernum, quam redire ad coelum. Mirantibus

1) ADP loca; paulo post AD cruciaverint. — 2) AP reprob²⁾orum numerus. — 3) Gregor. in Evang. Homil. XXXIV, 11. — 4) C angelorum numerus. — 5) ABDP dubitat. — 6) BC recipient. — 7) BCP cum. — 8) a me add BC.

omnibus cur ita diceret, iterum hoc verbum respondit: Quid de hoc miramini? Tanta est malitia mea, et tam obstinatus sum in illa, ut non possim aliquid velle boni. Huic verbo alterius cuiusdam daemonis sermo non concordat.

CAPITULUM X.

De alio daemone, qui contraria dicebat.

In ecclesia ¹⁾ beati Petri in Colonia ²⁾ cum femina quaedam a daemone obsessa miserabiliter tormentaretur, contigit ut alia obsessa superveniret. Mox una contra alteram coepit insurgere, clamoribus et contumeliis sic se invicem afficere, ut omnes miraremur ³⁾. Daemon daemone dicebat: Miser, ut quid consentiendo Lucifero sic de gloria aeterna ruimus? Ad quod alter respondit: Quare fecisti? Cumque ille adhuc quasi poenitudinis verba proferret, alter subiunxit: Tace, poenitentia ista nimis est sera, redire non poteris. Vides quanta sit in illis obstinatio ⁴⁾? Idem spiritus malignus de reditu ad gloriam, sicut superior, interrogatus, verbum sermoni eius valde contrarium audiente me respondit: Si esset, inquit, columna ferrea et ignita, rasoriis et laminis ⁵⁾ acutissimis armata, a terra usque ad coelum erecta, usque ad diem iudicii, etiam si carnem haberem, in qua pati possem, me per illam trahere vellem, nunc ascendendo, nunc descendendo, dummodo redire possem ad gloriam in qua fui. NOVICIUS: Quid est quod tam contraria senserunt? MONACHUS: Daemon superior, sciens propositionem sibi factam prorsus impossibilem, malitiam suam ostendit; iste quantum boni perdiderit, verbis quibus valuit declaravit. NOVICIUS: Timentne daemones poenam sibi praeparatam? MONACHUS: Sentiunt et timent. Hinc est quod omnes exorcismi, qui ad illorum nequitiam ⁶⁾ enervandam fiunt, per ignem et extremum iudicium concluduntur. Quam parati sint ad nocendum hominibus, aliis tibi ostendam exemplis.

1) C monasterio. — 2) BC Coloniae. — 3) BC mirarentur. — 4) BC obstinatio; conf. II, 16. — 5) sic emendavi librorum lectionem: calamis. — 6) BC malitiam.

CAPITULUM XI.

*De daemone, qui confessus est, se intrasse feminam,
eo quod sibi tradita fuisset a marito.*

Dum Abbas noster anno praeterito in Monte sancti Salvatoris iuxta Aquisgrani missam celebraret, finita missa oblata est ¹⁾ mulier obsessa. Super cuius caput cum legisset lectionem evangelicam de ascensione, et ad illa verba: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt* ²⁾, manum capiti eius imposuisset, daemon vocem emisit tam horribilem, ut omnes terreremur. Adiuratus ut exiret, respondit: Nondum vult Altissimus. Interrogatus quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respondere permisit. Postea confessa est, ad vocem mariti sui in commotione animi sui dicentis: Vade diabolo, quod ³⁾ intrare illum senserit per auriculam. Erat autem eadem femina de Aquensi provincia, et satis nota.

CAPITULUM XII.

*Item de puero, quem diabolus invasit, cum ei pater diceret:
Vade diabolo.*

Homo quidam iratus, sicut audivi a quodam Abbate, dixit filio suo: Vade diabolo. Quem mox diabolus rapuit, et nusquam comparuit. NOVICIUS: Quid est quod filius punitus est ob peccatum patris, cum scriptura dicat: *Filius non portabit iniquitatem patris* ⁴⁾? MONACHUS: Idem quod supradicta mulier dixit, dico ⁵⁾. Utrumque fieri permisit Deus propter exemplum, ut dum iracundi in vexatione uxoris, mariti audierint cruciatus cordis, et in raptu filii, patris dolores, animi sui furorem cohibeant et a stultiloquio linguas compescant. NOVICIUS: Placet quod dicis. MONACHUS: Qui daemones esse dubitant, energuminos attendant ⁶⁾, quia dum per illorum ora diabolus loquitur, et in corporibus tam crudeliter debachatur, manifestum praesentiae suae indicium illis demonstrat. NOVICIUS: Verum diceres, si non esset

1) C est ei. — 2) Marc. 16, 18. — 3) quod habent BC ante ad vocem. — 4) Ezech. 18, 20. — 5) B idem quod de supradicta muliere dixi dico, C idem quae dixi de muliere supradicta dico, ADPKR eadem quae de supradicta muliere dixi, et hic dico. — 6) libri dubitat — attendat.

ibi aliqua ¹⁾ simulatio. MONACHUS: Obsessos fuisse, saepe prodit Evangelium, produnt et Actus Apostolorum, et in multis locis Vitae vel Passiones Sanctorum. Quod autem quidam propter quaestum se obsessos simulent ²⁾, non nego; quod vero in quibusdam nulla sit fictio, subiecto probabitur exemplo.

CAPITULUM XIII.

De obsessa, quae dixit diabolum ligatum tribus verbis canonis.

Retulit mihi Gerardus Praepositus Pleysensis, mulierem obsessam, multis bene notam, Sigeberg ³⁾ venisse gratia curationis. Quae cum in oratorio sancti Mychaelis Archangeli de diversis interrogaretur, et incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respondit per os eius diabolus: Stulti, quibus catenis putatis magistrum meum ligatum in inferno? Ferreis? Nequaquam. Tria verba posita sunt in silentio missae, quibus ligatus est. Requirentibus quibusdam ex fratribus: Quae sunt illa tria verba? dicere noluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: Afferte mihi librum, et ego vobis ostendam illa. Allatus est ei liber missalis, et clausus porrectus. Quem illa aperiens, primo ictu canonem invenit, et digitum ponens super illum locum: *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso*, in quibus memoria fit summae Trinitatis, ait: Ecce ista sunt tria illa verba, quibus ligatus est magister meus. Haec ⁴⁾ audientes ex monachis plures qui aderant, scientes mulierem illiteratam esse, aedificati sunt valde, vim verborum intelligentes. Per Patrem enim, et cum Filio, et in Spiritu sancto, quorum opera indivisa sunt, fortis ille ligatus est, et vasa eius direpta ⁵⁾.

CAPITULUM XIV.

De obsessa, quae in Insula sancti Nycholai prodidit reliquias.

In festo Omnium Sanctorum hoc anno cum essem cum Priore meo in Insula sancti Nycholai, quae vulgo Stupa vocatur, et

1) aliqua add BC. — 2) BD simulant. — 3) Sigeberg, nobilis abbatia nigri ordinis, a beato Annone fundata in rupe fortissima in oppido Siegburg: cui abbatiae subdita fuit praepositura Pleysensis in villa Ober-Pleis, haud procul disiuncta ab Heisterbach; vide Ph. E. Schwaben: Geschichte der Stadt, Festung und Abtei Siegburg. p. 131 sq. — 4) ADP hoc. — 5) Marc. 3, 27.

est monasterium sanctimonialium, vidimus ibi puellam ante adventum nostrum obsessam, sed tunc tam beneficio reliquiarum quam sororum orationibus liberatam. De qua nobis retulit eiusdem coenobii magistra, femina religiosa, quod die quadam, dum¹⁾ crudeliter ab immundo spiritu discerperetur, volens quidam clericus honestus illum probare, saccellum spinarum Dominicae coronae de tabula aurea, ea nesciente, tollens, et manu clausa super caput obsessae tenens, maximum ei clamores excitavit. Cui cum dicerent circumstantes, causam furoris eius ignorantes, quid clamas, diabole, quid habes? respondit: Hoc quod fuit in capite Altissimi, hoc²⁾ caput meum deprimit et pungit, et dicitis mihi quid clamas? Et aedificati sunt valde circumstantes, maxime sorores, duplicis rei habentes verum experimentum, videlicet quod spinæ essent verae, et quod femina veraciter obsessa esset³⁾ a daemone. Quod si minùs haec duo tibi sufficiunt exempla, recordare trium illorum daemoniorum in capitulo primo et secundo atque tertio distinctionis tertiae.

CAPITULUM XV.

Quomodo daemones sint in hominibus.

NOVICIUS: Cum de his mihi satisfactum sit, est adhuc quod me movet. Quidam asserunt, daemones non esse in hominibus, sed extra, eo quod castrum, non intus, sed extra dicatur obsideri. Alii contrarium sentiunt, innitentes verbis Salvatoris dicentis: *Exi ab eo, spiritus inmunde*⁴⁾. MONACHUS: Improperie dicitur exire, nisi quod intus est. Utrique tamen verum dicunt, secundum aliquid, scilicet quod in homine possit esse, et non esse. Non potest esse diabolus in anima humana, secundum quod Ginnadius⁵⁾ in distinctione⁶⁾ ecclesiasticorum doctatum diffinit, dicens: Daemonem per inergiam, id est, operationem, non credimus substantialiter illabi animae, sed applicatione et oppressione uniri. Illabi autem menti, illi soli possibile est qui creavit, qui natura subsistens incorpo-

1) BCP cum. — 2) hoc add BC. — 3) B veraciter esset obsessa, D esset veraciter obsessa, C veraciter obsessa foret. — 4) Marc. 5, 8. — 5) Gennadius de Eccles. Dogm. cap. 82. — 6) BC distinctionibus.

reus¹⁾, capabilis est suae facturae. Mentem hominis iuxta substantiam nihil implere potest, nisi creatrix Trinitas. NOVICIUS: Quid est ergo²⁾ quod diabolus dicitur cor hominis intrare, tentare vel immittere? MONACHUS: Non aliter intrat vel implet vel immittit, nisi quod animam decipiendo in affectum malitiae trahit. Et haec est differentia inter adventum Spiritus sancti et spiritus maligni, quod ille proprie dicitur illabi, iste immitti. Spiritus sanctus existens intus in anima peccatrice per essentiam et potentiam et sapientiam, quasi de prope illi³⁾ illabatur per gratiam: Spiritus vero malignus cum extra sit ut dictum est per substantiam, mala suggerendo et vitii mentem afficiendo, quasi sagittam, suam immittit malitiam. Unde habes: *Immissionem per angelos malos*⁴⁾. Hinc est quod homo post adventum Spiritus sancti plus et fortius potest diligere bonum, quam ante dilexit malum, quasi de remoto immisum. Cum diabolus dicitur esse in homine, non intelligendum est de anima, sed de corpore, quia in concavitatibus eius et in visceribus ubi stercore continentur, et ipse esse potest. NOVICIUS: Satis expeditus sum de quaestione hac; sed quaero, si adhuc aliquae viae sint aliae, quibus daemones hominibus soleant nocere? MONACHUS: Habent daemones mille nocendi artes, ex quibus quatuor tibi pandam. Quibusdam nocent falsa promittendo, aliis nocent per suos ministros in fide subruendo, nonnullis nocent in corpore eos laedendo, aliis quod periculosius est, in peccatis occidendo. Ista omnia iusto Dei fiunt iudicio, et de singulis tibi subiungam exempla.

CAPITULUM XVI.

De converso Campensi, qui promissione Episcopatus Halberstadensis deceptus, suspensus est.

In Campo, domo ordinis Cisterciensis, quae sita est in Episcopatu Coloniensi, sicut audivi a quodam sacerdote ordinis nostri, homine veridico, quem res non latuit, conversus quidam fuit, qui a monachis, cum quibus loquebatur, in tantum literas didicerat, ita ut textum legere sciret. Huiusmodi occasione illectus et deceptus, libellos sibi ad hoc idoneos occulte fecit

1) C in corpore eius; mox B corporabilis. Bernard. in Cant. Serm. V, 10. p. 24: „nullus angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax.“ — 2) ADP ergo est. — 3) illi add BC. — 4) Psal. 77, 49.

conscribi, coepitque in vitio proprietatis delectari. Cumque huiusmodi¹⁾ studium eidem converso ad hoc nimis converso prohiberetur, amore discendi apostasiam incurrit. Modicum tamen propter aetatem profecit. Deinde ad monasterium poenitentia ductus rediens, et hoc usque tertio actitans, nunc ad scholas saeculares exeundo, nunc revertendo, diabolo copiosam in se praebuit materiam decipiendi. Visibiliter enim illi apparens in specie angeli, ait: Disce fortiter, quia futurum est, et a Deo diffinitum, ut Halberstadensis fias Episcopus. Stultus ille diaboli dolos non observans, sperabat in se antiqua renovanda fore miracula. Quid plura? Die quadam seductor converso se ingerens, clara voce et hilari facie²⁾ dicebat: Hodie Episcopus Halberstadensis defunctus est, festina venire ad civitatem, cui a Deo Antistes destinatus³⁾ es. Ipsius enim consilium mutari non potest. Statim miser de monasterio silenter exiens, nocte eadem in domo cuiusdam honesti sacerdotis iuxta opidum Xantense hospitatus est. Ut autem gloriose ad sedem suam veniret, nocte ante lucem surgens, equum hospitis valde bonum stravit, cappam eiusdem induit, ascendit et abiit. Mane familia domus, damno cognito, apostatam insequens apprehendit, a qua ad iudicium saeculare cum furto tractus, et per sententiam damnatus, non cathedram ut Episcopus, sed sicut fur patibulum ascendit. Vides ad quem finem promissio diaboli tendat? Alium conversum, etsi non tam manifeste, non minus tamen periculose decepit.

CAPITULUM XVII.

Item de converso, qui voce cuculi deceptus in apostasia mortuus est.

Narravit nobis anno praeterito beatae memoriae Theobaldus Abbas Eberbacensis, quod quidam conversus, cum nescio quo tenderet, et avem, quae cuculus dicitur, a voce nomen habens, crebrius cantantem audiret, vices interruptionis enumeravit⁴⁾, et viginti duas inveniens, easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem vices easdem sibi computavit. Eia, inquit, certe viginti duobus annis adhuc vivam. Ut quid tanto tempore mortificem me in ordine? Redibo ad saeculum,

1) D eiusmodi. — 2) B vultu. — 3) D donatus. — 4) BC numeravit.

et saeculo deditus, viginti annis fruar deliciis eius ¹⁾, duobus annis, qui supersunt, poenitebo. Haud dubium, quin diabolus qui supradictum conversum, ut Episcopus fieret, ad credendum induxerat aperto sermone, et huic suaserit, ut tali augurio fidem adhiberet, occulta suggestionem. Sed Dominus, qui omne ²⁾ augurium odit, aliter, quam ille ordinaverat, disposuit. Nam duos quos poenitentiae deputaverat annos, eum in saeculo vivere permisit, et annos viginti deliciis ordinatos, iusto suo iudicio subtraxit. Ecce tales sunt promissiones diabolicae. Quod autem nonnullos, imo plurimos, per ministros suos in fide subvertat, sequentia declarabunt.

CAPITULUM XVIII. *)

De duobus haereticis, qui apud Bizunzium miraculis phantasticis multis deceptis, ibidem exusti sunt.

Duo homines, non mente, sed habitu simplices, non oves, sed lupi rapaces, Bizunzium ³⁾ venerunt, summam simulantes religiositatem. Erant autem pallidi et macilenti, nudis pedibus incedentes, et quotidie ieiunantes; matutinis sollempnibus ecclesiae maioris nulla nocte ⁴⁾ defuerunt, nec aliquid ab aliquo praeter victum tenuem receperunt ⁵⁾. Cumque tali hypocrisi totius populi in se provocassent affectum, tunc primum coeperunt latens virus evomere ⁶⁾, et novas atque inauditas haereses rudibus praedicare. Ut autem eorum doctrinae populus crederet, farinam in pavimento cribrari ⁷⁾ iusserunt, et sine vestigii impressione super illam ambulaverunt ⁸⁾. Similiter super aquas gradientes non poterant mergi; tuguria etiam super se facientes incendi ⁹⁾, postquam in cinerem sunt redacta, egressi sunt illaesi. Post haec dixerunt turbis: Si non creditis verbis nostris, credite miraculis. Audiens talia Episcopus et Clerus, turbati sunt valde. Et cum eis vellent resistere, haereticos et deceptores diabolique ministros illos affirmantes, vix evaserunt, ut non a populo lapidarentur. Erat enim ¹⁰⁾ idem Episcopus vir bonus et literatus, atque de nostra pro-

1) BC et saeculi deliciis viginti annis fruar. — 2) omne add BC. — *) Homil. III. p. 58. — 3) Besançon. — 4) B nullo tempore, C nunquam. — 5) BC accipere voluerunt. — 6) B emittere. — 7) CP et pr A cribari. — 8) D deambulaverunt. — 9) C incendi facientes, B incendi fecerunt. — 10) B autem.

vincia natus. Bene illum novit senex monachus noster Conradus ¹⁾, qui mihi ista retulit, et qui eodem tempore in eadem civitate fuit. Videns Episcopus nihil se verbis proficere, et per ministros diaboli populum sibi commissum in fide subverti, clericum quendam sibi notum, et in nigromantia peritissimum ad se vocans ait: Sic et sic per tales homines actum est in civitate mea. Rogo te ut investigates a diabolo per artem tuam, qui sint, unde veniant, vel qua virtute tanta ac tam ²⁾ stupenda operentur miracula. Impossibile est enim, ut signa faciant virtute divina, quorum doctrina Deo nimis est contraria. Dicente clerico: Domine, diu est quod arti huic renunciavi ³⁾; respondit Episcopus: Bene cernis quantum arter. Vel oportebit me doctrinae illorum ⁴⁾ consentire, vel a populo lapidari. Iniungo ergo tibi in remissionem peccatorum ⁵⁾ tuorum, ut mihi in hac parte acquiescas. Obediens clericus Episcopo, diabolum vocavit, causam suae vocationis sciscitanti respondit: Poenitet me recessisse a te. Et quia de cetero magis obsequiosus tibi esse desidero, quam fuerim, rogo ut dicas mihi, qui sint homines isti, quae doctrina eorum, vel qua virtute tanta operentur mirabilia. Respondit diabolus: Mei sunt, et a me missi, et quae in ore illorum posui, illa praedicant. Respondit clericus: Quid est quod laedi non possunt, nec in aquis mergi, neque igne comburi? Respondit iterum daemon: Cyrographa mea, in quibus hominia mihi ab eis facta, sunt conscripta, sub ascellis ⁶⁾ suis inter pellem et carnem consuta conservant, quorum beneficio talia operantur, nec ab aliquo laedi poterunt. Tunc clericus: Quid si ab eis tollerentur? Respondit diabolus ⁷⁾: Tunc infirmi essent sicut ceteri homines. Audiens ista clericus, regratiabatur daemone dicens: Modo recede, et cum vocatus fueris a me, iterum venias. Reversus ad Episcopum, haec ei per ordinem recitavit. Qui magno repletus gaudio, totius civitatis populum in locum ad hoc idoneum convocavit, dicens: Ego pastor vester sum, vos oves. Si homines isti, ut dicitis, doctrinam suam signis confirmant, volo illos vobiscum imitari; sin autem, dignum est ut illis punitis, vos ad fidem patrum vestrorum mecum poenitentes revertamini. Respondit populus:

1) Conradus add BC; conf. I, 34. V, 4. — 2) tam add BR. —
 3) BC abrenunciavi; conf. I, 34. p. 41. — 4) BC eorum. —
 5) ADP omnium peccatorum. — 6) B acellis, C asellis.
 — 7) diabolus om ABD; P habet daemon.

Nos plurima ab eis signa vidimus. Quibus Episcopus: Sed ego illa non vidi. Quid multa? Placuit populo consilium. Vocati sunt haeretici. Affuit Episcopus. Accensus est focus in medio civitatis. Prius tamen quam intrarent, ad Episcopum secreto¹⁾ vocati sunt. Quibus ipse ait: Volo videre si aliqua circa vos habeatis maleficia. Quo audito, mox exspoliantes se²⁾, cum magna securitate dixerunt: Quaerite diligenter tam in corporibus quam in vestimentis nostris. Milites vero, sicut ab Episcopo fuerant praemoniti, brachia eis levantes, et sub ascellis cicatrices obductas notantes, cultellis illas ruperunt, chartulas insutas inde extrahentes. Quibus acceptis, Episcopus cum haereticis ad populum exiens, facto silentio clamavit valide: Modo prophetae vestri ingrediantur ignem, et si laesi non fuerint, credam eis. Miseris trepidantibus, et dicentibus, non possumus modo intrare, Episcopo recitante, malitia eorum detecta est populo, et ostensa cyrographa. Tunc universi furentes, diaboli ministros, cum diabolo in ignibus aeternis cruciandos, in ignem praeparatum proiecerunt. Sicque per Dei gratiam et Episcopi industriam haeresis invalescens est exstincta, et plebs seducta atque corrupta, per poenitentiam mundata.

CAPITULUM XIX.

De haereticis Coloniae combustis.

Circa illa tempora sub Archiepiscopo Reynaldo Coloniae plures haeretici sunt comprehensi³⁾, qui a literatis viris examinati et victi, per⁴⁾ iudicium saeculare damnati sunt. Data vero sententia, cum ducendi essent ad ignem, unus illorum Arnoldus nomine, quem ceteri magistrum suum fatebantur, sicut narraverunt qui interfuerunt, panem et pelvim cum aqua sibi dari petivit. Quibusdam volentibus ut hoc fieret, viri prudentes dissuaserunt dicentes: Aliquid hinc⁵⁾ fieri posset opere diabolico, quod infirmis esset in scandalum et in ruinam. NOVICIUS: Miror quid de pane et de⁶⁾ aqua facere voluerit. MONACHUS: Sicut conicio ex verbis cuiusdam alterius haeretici, qui ante hoc triennium a Rege Hispaniae comprehen-

1) B secreta. — 2) BC se exspoliantes. — 3) B comprehensi sunt haeretici, P sunt haeretici comprehensi. — 4) B examinati victi sunt et per. — 5) ACDP hic. — 6) de om BC.

sus est et combustus, sacrilegam ex eis facere volebat communionem, ut suis viaticum fieret ¹⁾ ad aeternam damnationem. Nam quidam Abbas Hispanus ordinis nostri per nos transiens, qui cum Episcopo¹ et Ecclesiarum praelatis eiusdem haeretici errores damnavit, eum dixisse referebat, quod rusticus quilibet in mensa sua, et de pane suo quo vesceretur, conficere posset corpus Christi. Erat enim idem maledictus faber ferrarius. NOVICIUS: Quid ergo actum est de haeticis Coloniensibus? MONACHUS: Ducti sunt extra civitatem, et iuxta cimiterium Judaeorum simul in ignem missi. Qui cum fortiter arderent, multis videntibus et audientibus, Arnoldus semiustus ²⁾ discipulorum capitibus manum imponens, ait: Constantes estote in fide vestra, quia hodie eritis cum Laurentio; cum tamen nimis discordarent a fide Laurentii. Cum esset inter eos virgo quaedam speciosa, sed haeretica, et quorundam compassione ab igne subtracta, promittentium ³⁾, quia vel eam viro traderent, vel si hoc magis placeret, in monasterio virginum locarent, cum verbo tenus consensisset, iam extinctis haeticis, tenentibus se dixit: Dicite mihi, ubi iacet seductor ille? Cumque ei demonstrassent magistrum Arnoldum, ex manibus illorum elapsa, facie veste tecta, super extincti corpus ruit, et cum illo in infernum perpetuo arsura descendit.

CAPITULUM XX *).

De haeresi Valdosiana in civitate Metensi.

Paucis annis elapsis, sub Episcopo Bertrammo, viro valde literato, orta est haeresis Valdosiana in civitate Metensi ⁴⁾, hoc modo. Cum idem Antistes in festivitate quadam populo in ecclesia ⁵⁾ praedicasset, duos homines ministros diaboli in turba stare conspiciens, ait: Video inter vos nuncios diaboli. Ecce illi sunt, digito eos ostendens ⁶⁾, qui me praesente in Monte Pessulano ⁷⁾ propter haereses damnati sunt et eiecti. Qui Episcopo durius responderunt, habentes in comitatu suo scholarem, qui more canino contra eum latrabat, iniuriis eum lascesciens ⁸⁾. Egressi vero de ecclesia, multitudinem populi

1) CP fieret viaticum — 2) BC semiustus. — 3) BC promittentibus. — *) Homil. I. p. 138. — 4) Metz. — 5) in Homilia addit, sancti Stephani. — 6) B demonstrans. — 7) Montpellier. — 8) P lacesciens, C laccessiens, B lacescens.

circa se congregantes, errores suos illis praedicaverunt. Quibus cum quidam ex clericis dicerent: Vos domini, nonne Apostolus dicit: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur* ¹⁾? volumus scire quis vos miserit huc praedicare; responderunt illi: Spiritus. Non enim poterat illis Episcopus vim inferre propter quosdam potentes civitatis, qui eos in odium Episcopi fovebant, eo quod quendam usurarium defunctum ipsorum cognatum de atrio ecclesiae eiecisset. Revera missi fuerant a spiritu erroris, per quorum ora haereses Valdosianna, ab uno eorum sic dictae, in eadem civitate sunt seminatae, et necdum prorsus extinctae ²⁾. NOVICIUS: Heu quod tot hodie haereses sunt in ecclesia. MONACHUS: Hoc furor et malitia diaboli effecit.

CAPITULUM XXI.

De haeresi Albiensium.

Temporibus Innocentii Papae praedecessoris huius, qui nunc Papatum tenet, Honorii, durante adhuc schismate, quod erat inter Philippum et Ottonem Reges Romanorum, diaboli invidia haereses Albiensium coeperunt, pullulare, vel ut verius dicam, maturescere. Cuius vires erant tam validae, ut omne triticum fidei gentis illius versum videretur in lolium erroris. Missi sunt Abbates ordinis nostri cum quibusdam Episcopis, qui zizania rastro catholicae praedicationis eradicarent. Sed obsistente homine inimico, qui illa seminaverat, modicum ibi profecerunt. NOVICIUS: Quis fuit error illorum? MONACHUS: Quaedam ³⁾ haeresiarchae eorum collegerant puncta ex docmate Manichaei, quaedam ex erroribus, quae in Periarchon scripsisse fertur Origenes, plurima etiam, quae de suo corde finxerant adiicientes. Duo credunt cum Manichaeo principia, deum bonum et deum malum, id est, diabolum, quem dicunt omnia creare corpora, sicut deum bonum omnes animas. NOVICIUS: Moyses et corpora et animas confirmat Deum creasse, dicens: *Formavit Deus hominem, id est, corpus, de limo terrae, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae* ⁴⁾, id est, animam. MONACHUS: Si Moysen et Prophetas reciperent, haeretici non essent. Corporum resurrectionem negant;

1) Rom. 10, 15. — 2) BC haeresis Valdosianna — dicta — est seminata — extincta. — 3) BC quidam, hic et paulo post. — 4) Genes. 2, 7.

quicquid beneficii mortuis a vivis impenditur irrident; ire ad ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse. In his deteriores sunt Judaeis et paganis, quia¹⁾ illa credunt. Baptismum abiecerunt; sacramentum corporis et sanguinis Christi blasphemant. NOVICIUS: Ut quid tantas a fidelibus persecutiones sustinent, si nihil ex hoc in futuro retributionis expectant? MONACHUS: Gloriam spiritus dicunt se exspectare. Quidam supradictorum Abbatum monachus, cernens quendam militem in equo sedentem loqui cum aratore suo, haereticum illum aestimans, sicut fuit, propius accedens ait: Dicite mihi, probe vir, cuius est ager iste? Respondente illo, meus est; subiecit: Et quid de fructu illius facitis? Ego, inquit, et familia mea de eo vivimus, aliquid etiam ergo pauperibus. Dicente monacho, quid boni speratis de eleemosyna illa? respondit miles hoc verbum: Ut spiritus meus gloriose pergat post mortem. Tunc monachus: Quo perget? Ait miles: Secundum meritum suum. Si bene vixit, et hoc apud Deum meruit²⁾, exiens de corpore meo, intrabit corpus alicuius futuri Principis, sive Regis, vel alterius cuiuslibet personae illustris³⁾, in quo delicietur; si autem male, corpus intrabit miseri pauperisque, in quo tribuletur. Credidit stultus, sicut et ceteri Albienses, quod anima secundum meritum transeat per diversa corpora⁴⁾, etiam animalium atque serpentum⁵⁾. NOVICIUS: Foeda haeresis. MONACHUS: In tantum enim Albiensium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille civitates, et si non fuisset gladius fidelium repressus⁶⁾, puto quod totam Europam corrupisset. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo praedicata est contra Albienses in tota Alemannia et Francia crux, et ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemannia Lupoldus Dux Austriae, Engilbertus tunc Praepositus, postea Archiepiscopus Coloniensis, et frater eius Adolphus Comes de Monte, Wilhelmus Comes Juliacensis, et alii multi diversae conditionis atque dignitatis. Simile actum est in Francia, Normannia atque Pictavia⁷⁾. Horum omnium praedicator et caput erat Arnoldus Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus Nar-

1) BC qui. — 2) B vixerit — meruerit. — 3) ADP sive alterius cuiuslibet illustris personae. — 4) ADP per diversa transeat corpora. — 5) ADP serpentium. — 6) B gladio repressus fidelium. — 7) Poitou.

bonnensis. Venientes ad civitatem magnam, quae Biders ¹⁾ vocatur, in qua plus quam centum millia hominum fuisse ²⁾ dicebantur, obsederunt illam. In quorum aspectu ³⁾ haeretici super volumen sacri Evangelii mingentes, de muro illud contra Christianos proiecerunt, et sagittis post illud missis clamaverunt: Ecce lex vestra, miseri. Christus vero Evangelii sator iniuriam sibi illatam non reliquit inultam. Nam quidam satellites zelo fidei accensi, leonibus similes, exemplo illorum, de quibus legitur in libro Machabaeorum ⁴⁾, scalis apposis, muros intrepide ascenderunt; haeticisque divinitus territis et declinantibus, sequentibus portas aperientes, civitatem obtinuerunt. Cognoscentes ex confessionibus illorum ⁵⁾ catholicos cum haeticis esse permixtos, dixerunt Abbati: Quid faciemus, domine? Non possumus discernere inter bonos et malos. Timens tam Abbas quam reliqui, ne tantum timore mortis se catholicos simularent, et post ipsorum ⁶⁾ abcessum iterum ad perfidiam redirent, fertur dixisse: Caedite eos. Novit enim Dominus qui sunt eius ⁷⁾. Sicque innumerabiles occisi sunt in civitate illa. Aliam itidem civitatem magnam, a re Pulchramvallem vocatam, quae sita est iuxta Tholosam, virtute divina obtinuerunt. In qua populo examinato, cum omnes promitterent se velle redire ad fidem, quadringenti quinquaginta in sua pertinacia indurati a diabolo permanserunt, ex quibus quadringenti combusti sunt in igne ⁸⁾, ceteri patibulis appensi. Idem actum est in ceteris civitatibus atque castellis, miseris se ultro morti ⁹⁾ ingerentibus. Tholosani vero artati, omnem promiserunt satisfactionem, sed ut postea patuit, in dolo. Nam perfidus Comes sancti Aegidii, princeps et caput omnium haeticorum, omnibus sibi in Concilio ¹⁰⁾ Lateranensi abiudicatis, feodis videlicet et allodiis, civitatibus et castris, et ex maxima parte eisdem a Comite Simone de Fortimonte, viro catholico, iure belli occupatis, in Tholosam se transtulit, de qua usque hodie fideles vexare et impugnare non cessat. Et sicut hoc anno dominus Conradus Episcopus Portuensis et Cardinalis, contra Albienses missus legatus, scripsit Capitulo Cisterciensi, quidam ex potentibus Tholosanae civitatis quiddam

1) Biterrae, hodie Beziers. — 2) C esse. — 3) C conspectu. — 4) Machab. II, 11, 11. — 5) BC eorum. — 6) BP illorum, C eorum. — 7) Tim. II, 2, 19. — 8) BC igne combusti sunt, omisso in. — 9) ADP mortibus. — 10) BD consilio.

tam horrendum in odium Christi et ad confusionem nostrae fidei egit, ut etiam ipsos Christi inimicos movere merito debeat. Juxta altare maioris ecclesiae ventrem suum purgavit, et palla altaris ipsas immunditias deterisit. Ceteri vero furori furorem adiacentes, scortum super sacrum altare posuerunt, in conspectu ¹⁾ crucifixi eo ibi abutentes. Postea ipsam sacram imaginem detrahentes, brachia ei praesciderunt, multo militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent ²⁾, pepercerunt. NOVICIUS: Quis non stupeat ad tantam patientiam Dei? MONACHUS: Longanimis est enim et patiens redditor ³⁾. Qui Damiatanos post victoriam, eo quod crucifixi collo fune alligata ⁴⁾, per plateas illum traxerunt ⁵⁾, in collo et in gutture tam terribiliter ⁶⁾ punivit, puto quia has blasphemias minime dissimulabit. Albienses antequam veniret contra eos exercitus Domini, ut supra dictum est, Miralimomelinum Regem de Marroch in auxilium sibi invitaverant. Qui de Africa in Hispanias cum tam incredibile multitudinem venit, ut totam Europam se obtinere posse speraret. Mandavit etiam Innocentio Papae, quia equos suos in porticu ecclesiae beati Petri deberet stabulare, et super illam vexillum suum figere. Quod ex parte impletum est, etsi secus quam ipse cogitaverat ⁷⁾. Et quia Deus frangit omne superbum, eodem tempore, anno scilicet ⁸⁾ gratiae millesimo ducentesimo duodecimo, septimo decimo Kalendas Augusti, de exercitu eius occisi sunt quadraginta millia pugnatorum ⁹⁾. Ipse vero in Sibiliam ¹⁰⁾ se transferens, ex dolore mortuus est. Cuius vexillum principale in bello captum Innocentio est transmissum, et in ecclesia praedicta ad Christi gloriam erectum. Haec de Albiensibus dicta sint. NOVICIUS: Si fuissent inter homines istos viri literati, forte non tantum errassent. MONACHUS: Literati cum errare incipiunt, etiam illiteratis, instinctu diabolico, plus et gravius desipiunt.

1) ABP aspectu; mox B ea pro eo. — 2) D frangerentur. Johan. 19, 33. — 3) Eccli. 5, 4. ADP Altissimus est enim patiens redditor. — 4) libri alligato; conf. IV, 45. p. 213. — 5) AP traxerint. — 6) ADP mirabiliter. De Damiatanorum blasphemia atque poena vide et infra VIII, 27. — 7) ABCP cogitasset. — 8) ADP scilicet anno. — 9) ADP eius sexaginta millia pugnatorum ceciderunt. — 10) Sevilla.

CAPITULUM XXII.

De haereticis Parisiis exustis.

Eodem tempore quo manifestatae sunt haereses Albiensium, in Parisiensi civitate, in qua fons est totius scientiae et puteus divinarum scripturarum, quibusdam viris literatis persuasio diabolica perversum instillavit intellectum. Quorum nomina sunt haec, magister Wilhelmus Pictaviensis Subdiaconus, qui legerat Parisiis de artibus et tribus annis studuerat in theologia, Bernardus Subdiaconus, Wilhelmus aurifex ¹⁾ propheta eorum, Stephanus sacerdos de Veteri Curbuel, Stephanus sacerdos de Cella, Johannes sacerdos de Uncinis: isti omnes in theologia studuerant, excepto Bernardo; Dudo specialis clericus magistri Almerici ²⁾ sacerdotis, qui fere decem annis in theologia studuerat, Elmandus Acolitus ³⁾, et Odo Diaconus, magister Garinus, qui conventaverat Parisiis de artibus, et hic sacerdos audierat theologiam a magistro Stephano Archiepiscopo Cantuariensi; Ulricus sacerdos de Lueri, qui sexagenarius studuerat in theologia tempore multo ⁴⁾, Petrus de sancto Clodowaldo sacerdos et sexagenarius, qui etiam audierat theologiam, Stephanus Diaconus de Veteri Curbuelo ⁵⁾. Isti instinctu diaboli haereses multas et maximas excogitaverant, et iam in plurimis locis disseminaverant. NOVICIUS: Quae fuerunt capitula, in quibus viri scientia et aetate tam magni errare potuerunt? MONACHUS: Dicebant non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quam in alio pane et in qualibet re; sicque Deum locutum fuisse in Ovidio, sicut in Augustino. Negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse paradisum, neque infernum, sed qui haberet cognitionem Dei in se, quam ipse habebant, haberet in se paradisum; qui vero peccatum mortale, haberet infernum in se sicut dentem putridum in ore. Altaria sanctis statui, et sacras imagines thurificare ⁶⁾, idolatriam esse dicebant; eos qui ossa martyrum deosculabantur; subsannabant. Maximam etiam blasphemiam ausi sunt dicere in Spiritum sanctum, a quo omnis munditia est et sanctitas. Si aliquis in spiritu ⁷⁾ est, aiebant, et faciat forni-

1) BC aurifaber, ut infra. — 2) ACDP Emelrici. — 3) acolythus est proximus subdiaconatus gradus. — 4) BC multo tempore. — 5) C Curbuel, ut supra. — 6) DP thurificari. — 7) DR add sancto.

tionem, vel¹⁾ aliqua alia pollutione polluatur, non est ei peccatum, quia ille spiritus, qui est Deus, omnino separatus a carne, non potest peccare, et homo qui nihil est, non potest peccare, quamdiu ille spiritus, qui est Deus, est in eo²⁾. Ille operatur omnia in omnibus³⁾. Unde concedebant, quod unusquisque eorum esset Christus et Spiritus sanctus. Impletumque est in eis quod dicitur in Evangelio: *Surgent pseudo Christi et pseudo prophetae*, et cetera⁴⁾. Habebant etiam miserrimi illi argumenta sua nullius prorsus valoris, quibus suos errores confirmare nitebantur. Quorum perfidia hoc ordine detecta est. Praedictus Wilhelmus aurifaber venit ad magistrum Rudolphum de Naumutico, dicens se esse⁵⁾ missum a Domino, et hos infidelitatis articulos ei⁶⁾ proposuit: Pater sub quibusdam formis operatus est in veteri testamento, scilicet legalibus; Filius similiter sub quibusdam formis, ut in sacramento altaris et baptismi, et aliis. Sicut ceciderunt formae legales in primo Christi adventu, ita nunc cadent omnes formae, quibus Filius operatus est, et cessabunt sacramenta, quia persona Spiritus sancti clare se manifestabit in quibus incarnabitur, et principaliter per septem viros loquetur, quorum unus ipse Wilhelmus erat. Item⁷⁾ prophetabat quod infra quinque annos istae quatuor plagae evenire deberent. Prima super populum, qui fame consumetur⁸⁾; secunda erit gladius, quo se Principes interficient; tertia, in qua terra aperietur et deglutiet burgenses; in quarta descendet ignis super praelatos Ecclesiae, qui sunt membra Antichristi. Dicebat enim quia Papa esset Antichristus, et Roma Babylon; et ipse Papa⁹⁾ sedet in monte Oliveti, id est, in pinguedine potestatis. Iam enim tredecim anni elapsi sunt, et nihil horum contigit quae pseudo ille propheta futura infra quinquennium praedixerat. Et ut favorem sibi captaret Philippi Regis Franciae, etiam hoc adiecit: Regi Francorum subiicientur omnia regna et filio eius, qui erit in tempore Spiritus sancti, et non morietur, et dabuntur duo-

1) ACDP et. — 2) C et homo, qui in illo est, non potest peccare, quamdiu abest spiritus. Verba, et homo — peccare, absunt a codice B, qui sequentia in hunc modum exhibet: Quamdiu illum spiritum, qui est Deus, habet, in eo ille operatur omnia in omnibus. — 3) Cor. I, 12, 6. — 4) Math. 24, 24. — 5) esse om CD. — 6) C ei articulos. — 7) AP ipse. — 8) B conficietur. — 9) Papa add BC.

decim panes Regi Francorum, id est, scientia scripturarum et potestas. His auditis, magister Rudolphus interrogavit, si aliquos haberet socios, quibus ista fuissent revelata. Cui ¹⁾ cum respondisset, habeo multos, supradictos viros nominans, perpendens vir prudens imminens periculum Ecclesiae, et se solum ad investigandam ²⁾ eorum nequitiam, eosque convincendos non posse sufficere, ex quadam simulatione dicebat, sibi esse revelatum a Spiritu sancto de quodam sacerdote, qui cum eo praedicare deberet sectam eorum. Et ut famam suam servaret illaesam, nunciavit haec omnia Abbati sancti Victoris, et magistro Roberto, et fratri Thomae, cum quibus adiit Episcopum Parisiensem, et tres magistros legentes de theologia, videlicet Decanum Salebergiensem ³⁾, et magistrum Robertum de Kortui ⁴⁾, et magistrum Stephanum, omnia haec eis insinuantes. Qui territi valde, iniunxerunt saepedicto Rudolpho in remissionem peccatorum suorum, et alteri sacerdoti, ut se fingerent esse ⁵⁾ de illorum consortio, donec scientias omnium audivissent, et plenius omnes articulos incredulitatis eorum explorassent. Magister vero Rudolphus et suus socius sacerdos in executione huius laboris cum ipsis haereticis circuierunt Episcopatum Parisiensem, Lingonensem, Trecensem, et Archiepiscopatum Senonensem in tribus mensibus, et quam plurimos de eorum secta invenerunt. Ut itaque ipsi haeretici plene de ipso magistro Rudolpho confiderent, quandoque vultu elevato se spiritu in coelum raptum simulabat, et postea aliqua quae se vidisse dicebat, in conventiculis eorum narrabat ⁶⁾, et publice eorum fidem de die in diem se praedicaturum spondit. Tandem reversi ad Episcopum, visa et audita enarraverunt. Quo audito, Episcopus praedictus ⁷⁾ per provinciam pro eis misit, eo quod non essent in civitate, excepto uno Bernardo. Qui cum essent in custodia Episcopi, congregati sunt ad eorum examinationem vicini Episcopi et magistri theologi; proposita sunt eis supradicta capitula, quae quidam ex eis in praesentia omnium protestabantur, quidam vero cum resilire vellent, et se convinci viderent, cum ceteris stabant in eadem pertinacia, nec negabant. Tanta audita perversitate, consilio Episcoporum

1) AP qui. — 2) P investigandum. — 3) P Saleburgiensem — 4) A Korcui. — 5) esse om BC. — 6) BC in conventibus eorum enarrabat. — 7) BC praedictus Episcopus; mox D per provincias.

et theologorum ducti sunt in campum, et coram universo Clero et populo degradati, et in adventu Regis, qui tunc praesens non erat, exusti. Qui mente obstinata nullum ad interrogata dabant responsum, in quibus in ipso mortis articulo nullum perpendi poterat poenitentiae indicium. Cum ducerentur ad tormenta, tanta exorta est aeris inclementia, ut nemo dubitaret quin ab eis aer fuisset concitatus, a quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. In ipsa nocte is, qui inter eos potior habebatur, ad ostium cuiusdam inclusae pulsans, sero suum errorem confessus est, asserens se magnum hospitem esse in inferno, et aeternis incendiis deputatum. Quatuor ex eis fuerant examinati, sed non sunt combusti, videlicet magister Garinus, Ulricus sacerdos, Stephanus Diaconus, qui perpetuo reclusi sunt carcere; Petrus vero antequam caperetur, prae timore monachus effectus est. Magister Americus ¹⁾, qui praedictae pravitatis magister fuerat, eiectus est de cimiterio, et in campo sepultus. Eodem tempore praeceptum est Parisiis, ne quis infra triennium legeret libros naturales. Libri magistri David, et libri Gallici de theologia, perpetuo damnati sunt et exusti. Sicque per Dei gratiam haeresis exorta succisa est.

CAPITULUM XXIII.

De haeretico apud Trekas exusto, qui se dicebat esse Spiritum sanctum.

Vix sunt duo anni elapsi, quod quidam diabolo plenus apud Trekas ²⁾ se esse Spiritum sanctum publice praedicabat. Cuius insaniam populi non sufferentes, in crate posuerunt, et copioso igne circumposito in carbonem redegerunt. NOVICIUS: Puto vitam illorum multum execrabilem esse, quorum tam foeda est doctrina. MONACHUS: Ut amplius detesteris haereticorum sectas, unum tibi de illorum vita subiungam exemplum.

CAPITULUM XXIV.

De haeticis Veronensibus.

Tempore Frederici Imperatoris cum Lucius Papa fecisset Veronae civitate Lombardia moram, multis tam Ecclesiarum

1) B Americus, C Emelricus. — 2) Troyes.

praelatis quam regni Principibus ibidem congregatis, et esset ibi Godescalcus monachus noster, tunc maioris ecclesiae in Colonia canonicus, cum fratre suo Everhardo canonico sancti Gereonis, hospes illorum pene singulis noctibus cum uxore et filia de domo propria egressus est. Quod cum considerasset Everhardus, interrogavit nescio quem illorum, quo irent, vel quid agerent? Cui cum responsum esset, veni et vide, secutus est illos in domum quandam subterraneam, amplam satis, in qua multis ex utroque sexu congregatis, quidam haeresiarches sermonem blasphemis plenum cunctis tacentibus fecit, per quem vitam et mores illorum instituit. Deinde exstincta candela, unusquisque sibi proximam invasit, nullam habentes differentiam inter legitimam et absolutam ¹⁾, inter viduam et virginem, inter dominam et ancillam, et, quod horribilius erat, inter sororem et filiam. Everhardus vero haec videns, utpote iuvenis luxuriosus atque vagus ²⁾, simulans se discipulum, hospitis sui filiae, vel alteri cuilibet puellae in sermone se coniunxit, cum qua exstincta candela peccavit. Cumque hoc ³⁾ actitasset pene annum dimidium, magister cunctis audientibus ait: Juvenis iste tam studiose frequentat auditorium nostrum, cito habilis erit ad docendum alios. Hoc verbo audito, non amplius intravit. Et, sicut mihi retulit praedictus Godescalcus, cum illum de hoc argueret, respondit: Sciatis, frater, me non frequentare conventicula haereticorum propter haereses, sed propter puellas. Ecce talis est vita et lex ⁴⁾ haereticorum. Nec mirum, quia non credunt resurrectionem vel gehennam, sive poenam malorum; impune enim ⁵⁾ transire putant quaecunque agunt. **NOVICIUS:** Audivi quod multi haeretici sint in Lombardia. **MONACHUS:** Hoc mirum non est, habent enim suos magistros in diversis civitatibus, aperte legentes, et sacram paginam perverse exponentes.

CAPITULUM XXV. *)

De haeretico, qui diabolum dicebat esse principem huius mundi, eo quod mundum creasset.

Eo tempore quo Otto Rex profectus est Romam coronari

- 1) XII, 5: „nullam habens differentiam inter matrem et filiam, inter legitimam et absolutam.“ — 2) libri vanus. Conf. XI, 59. — 3) AP haec; paulo post C annum et dimidium. — 4) BC lex et vita. — 5) enim om BC. — *) Homil. III. p. 7.

in Imperatorem, et issent cum eo Johannes Episcopus Cameracensis, Henricus Scholasticus sancti Gereonis, magister Hermannus canonicus Bonnensis, simul ingressi sunt scholas cuiusdam haeresiarchae. Locus quem tunc legebat, is erat: *Jam iudicium mundi venit; iam princeps mundi huius eicietur foras* ¹⁾. Quem locum ita glossavit: Ecce Christus diabolum principem huius mundi vocavit, quia hunc mundum creavit. Cum quo praedictus Hermannus satis dure disputavit, et, sicut mihi retulit, quod Deus creasset omnia tantum verbo ²⁾, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia, non solum ex scripturis, sed etiam ³⁾ ex ratione demonstravit. Haec dicta sint de haereticis, qui membra sunt diaboli. Hoc enim noveris, quod multo intensius suam diabolus exercent malitiam ⁴⁾ in haereticis, quam in energuminis. NOVICIUS: Possunt energumini, id est, obsessi a diabolo, habere caritatem? MONACHUS: Etiam; sicut superius ⁵⁾ dictum est, non in animabus, sed in corporibus est.

CAPITULUM XXVI.

De puella, quam diabolus intravit cum esset quinquennis.

Mulier quaedam in Briseke satis crudeliter hoc angore ⁶⁾ vexabatur. Hanc diabolus cum esset quinquennis, hoc ordine intravit. Die quadam cum lac manducaret, pater eius iratus dixit: Diabolum comedas in ventrem tuum. Mox puellula ⁷⁾ sensit eius ingressum, et usque ad maturam aetatem ab illo vexata, hoc anno primum meritis Apostolorum Petri et Pauli, quorum limina visitavit, liberata est. Quis dicere audeat, quinque annorum infantulam baptizatam non habere caritatem? De qua idem daemon dicebat: Me egresso, nunquam aliud post hanc vitam sentiet purgatorium. Obsessi peccata sua confitentur, orant et communicant. Quod diabolus quosdam Dei permissione in corporibus suis laedat, quibusdam tibi ostendam exemplis.

1) Johan. 12, 31. — 2) tantum verbo add C. — 3) etiam add C; paulo post ADP monstravit. — 4) D exercet malitiam, BP malitiam exercent. — 5) BC in superioribus. — 6) hoc angore om C; ceteri libri omnes habent hoc anno. — 7) BD puella, C puella illa.

CAPITULUM XXVII.

*De Theoderico converso, quem diabolus transtulit
ultra civitatem Lubech.*

Theodericus Susaciensis conversus noster, sicut ab ¹⁾ eius ore audiui, cum esset iuvenis, puellam quandam in civitate Lubech alter quidam iuvenis ei procabatur, secundum quod illi promiserat. Femina consentiente, cum Theodericus se eius concubitu uti sperasset, socius eius ei ²⁾ illudens, ad illam accessit. Quo cognito, iratus dixit: Diabolus qui me huc adduxit, poterit me etiam hinc reducere. Mox invitatus affuit, hominem rapuit et in aera levavit, et ultra civitatem transferens, iuxta ripam cuiusdam lacus incommode satis deposuit. Ad quem sic ait: Si non quocunque modo te signasses, modo occidissem te. Tenuiter enim et imperfecte in ipso raptu signum sibi crucis impresserat. Dimissus a daemone, tam graviter cecidit, ut in terra sine sensu iacens sanguinem vomeret. Tandem aliquantulum virium resumens, manibus pedibusque reptando ad aquam venit, faciem lavit, atque ex ea bibens, cum multo labore ad hospitium suum pervenit. Ingressus domum, mox ut lumen aspexit, secundo in excessum ruit. Vocatus est sacerdos, qui initium Evangelii Johannis ³⁾ super eum legit, aliisque orationibus contra impetum ⁴⁾ diaboli illum munivit. Postea per annum integrum ita corpus eius totum erat tremulum, ut scyphum manu tenere non posset ad bibendum! Ecclesiam sancti Nycholai, omniaque civitatis aedificia, luna splendente, cum a diobolo portaretur, et portando comprimeretur, se vidisse testatur. Simile pene habes supra distinctione tertia capitulo undecimo de Henrico cive Susaciensi, quem diabolus noctu in foro rapuit, et ultra monasterium sancti Patrocli translatum in pasculo deposuit. Tam mala enim et tam venenata est daemonum natura, ut solò illorum intuitu saepe homines corrumpantur.

1) B ex. — 2) B socius eius, ADP socius ei; mox P accessit ad illam. — 3) D initium sancti Johannis Evangelii. — 4) ADP impetus.

CAPITULUM XXVIII.

De Alberone converso, qui diabolum videndo infirmatus est, et quae sit ratio eiusdem defectus.

Albero conversus noster cum novicius esset, et nocte quadam cum alio converso propter timores nocturnos ¹⁾ in curia vigilaret, ante signa matutinalia ambitum claustrum circuiens, quasi umbram humanam eminus iuxta lavatorium conspexit. Aestimans quia frater Fredericus esset monachus noster, accessit propius, volens ei innuere, ut iret dormitum. Et quia noverat eum non esse sanae mentis, pedem retraxit, ab illo laedi timens. Dum sic staret, umbra in oculis eius usque ad tabulatum domus crevit. Mox signis sonantibus in dormitorio, pistrinum intravit, et quia clibanus coquendis panibus praeparatus erat, mox ut ignem, quem quasi per parietem vitreum intueri sibi ²⁾ visus est, aspexit, infirmari coepit. Statim exiens, et sub arbore se reclinans, pene octo diebus ab illa hora in tanta defectione fuit cordis et corporis, ut non posset manducare neque bibere neque dormire. NOVICIUS: Vellem rationem scire, quare homo viso daemone, mox igne conspecto extasim incurrat. MONACHUS: Ignis lucis minister est, diabolus vero princeps et auctor tenebrarum est ³⁾. Lux et tenebrae sibi invicem contrariae ⁴⁾ sunt, sicut frigus et calor. Si egressus fueris de tenebris in radium solis, vel econverso, ex repentina mutatione visus tuus turbatur et deficit. Item si manum nimis in frigidatam igni adhibueris, sive de igne extractam aquae gelidae immeriseris, contrarium elementum amplius te cruciabit. Quid ergo mirum, si ex visione diaboli, qui, ut dixi, auctor est tenebrarum et ignis aeterni, hominis natura turbatur et terretur, contrahitur et deficit, cum ignem huius mundi viderit, qui omnino contrarius est igni gehennae? Ille tenebrosus, iste luminosus. Multum ab eo discordat tam in sensu quam in effectu. Viri tamen perfecti, ut supra dictum est, saepe daemones sine terrore et sine sensus defectione vident. NOVICIUS: Si visio diaboli tam periculosa et tam nociva est in forma subiecta, quis illum videre posset in sua ⁵⁾ natura? MONACHUS: Oculus ⁶⁾ corporalis

1) timores nocturni hoc loco sunt, ut puto, tentationes diabolicae. —
 2) sibi abest a libris. — 3) est om BC. — 4) C contrariae. —
 5) B propria. — 6) C add humanus.

diabolum ut est, videre non potest. NOVICIUS: Quare? MONACHUS: Quia diabolus spiritus est, et spiritum, ut est opinio pene omnium magistrorum, non nisi spiritus videre valet. Vident eum animae reproborum ¹⁾ in inferno. Et sicut summa beatitudo electorum est videre Deum, ita maxima dicitur esse poena malis cernere diabolum. Vis audire quorundam periculum, illum in sua substantia videre volentium? NOVICIUS: Volo et desidero, quia quanto plus horroris et malitiae de illo audiero, tanto amplius peccare pertimesco. MONACHUS: Audi ergo.

CAPITULUM XXIX.

*De Abbate sanctae Agathae, monacho et converso eius,
qui videntes diabolum defecerunt.*

Ante hos annos duodecim Wilhelmus Abbas de sancta Agatha Dioecesis Leodiensis, quae est domus ordinis Cisterciensis, dum tempore quodam iturus esset Eberbachum ²⁾, ad quam pertinet domus illa, venissetque Coloniam, dixit monacho suo atque converso Adolpho nomine: Opus est misericordiae, ut videamus obsessam illam, germanam scilicet talis conversi nostri de Eberbacho, ut per nos eius ille statum ³⁾ cognoscat. Quod cum illis placuisset, et domum, in qua illa cum multis et inter multos sedens erat, intrassent, cum Abbas nescio unde eam ⁴⁾ interrogaret, et illa nihil omnino responderet, subiunxit: Vis aliquid mandare fratri tuo? Illa obmutescente, adiecit Abbas: Adiuro te per eum quem hodie in missa tractavi, ut respondeas mihi. Mox diabolo obediente, et per os feminae ad interrogata respondente, rogatus est Abbas tam a converso quam a monacho, ut illam super solarium duceret, quatenus privato eius uti possent colloquio. Quod cum factum esset, et de diversis ab Abbate diabolus interrogaretur, et respondendo nimis mentiretur, ait: Adiuro te per Altissimum, ut non nisi vera mihi respondeas. Quod cum promisisset, iussit monachum atque conversum ⁵⁾ paululum secedere. Quem cum interrogasset de statu quarundam animarum ⁶⁾

1) C add impiorum. — 2) Eberbacum prope urbem Moguntinam.
— 3) B nos ille statum eius, D nos eius statum ille.
— 4) BC eam nescio unde. — 5) BC monacho atque converso. — 6) ADP animarum, fratrum videlicet. Conf. similem locum in Vit. S. Engelb. II, 16.

tam apud Eberbachum quam apud sanctam Agatham nuper defunctorum, ita probabiliter de singulis, quos tamen nunquam femina¹⁾ viderat, disseruit, ut Abbas de veritate nihil ambigeret. Dicebat, tales et tales esse in gloria, alios adhuc in poenis retineri²⁾. Pro quibus Abbas orationes instituit speciales. Instruxit eum et de aliis multis, ita ut vehementer miraretur. Postea rogatus a converso, ut sibi soli cum solo loqui liceret, et hoc Abbas annuens, cum monacho paululum secederet, ait conversus: Sicut praecepit tibi Abbas meus, videlicet ut ei non nisi vera ad interrogata responderes³⁾, ita te moneo, ut si aliquid nosti in me⁴⁾, quod nocivum sit animae meae, dicas mihi in instanti hora⁵⁾. Respondit diabolus: Novi. Heri Abbate tuo ignorante, duodecim denarios apud Traiectum accommodasti a tali femina et in tali loco, misistisque illos panniculo inligatos in sinum tuum satis profunde. Quod quidem verum fuerat. Nam idem conversus, sicut retulit, ista⁶⁾ cogitavit: Si Abbas tuus alicubi te forte⁷⁾ miserit, solidum istum ad expensas habebis. Qui ait: Nosti aliquid amplius? Dicente, diabolo, novi te furem esse; respondit conversus: Ex quo veni ad ordinem, nullius mihi furti conscius sum. Tunc ille: Ego tibi furtum tuum ostendam. Quando cara illa fuerunt tempora, annonam et quaedam alia, quae monasterii tui fuerunt, et non tua, pauperibus erogabas. Respondente converso, non⁸⁾ putavi huiusmodi misericordiae opera peccatum esse; ait daemon: Sunt per meam veritatem, quia sine licentia facta, nec aliquando inde susurrasti, susurrium confessionem appellans. Mox conversus ad Abbatem descendit, in⁹⁾ locum secretum illum traxit, et quae sibi fuerant a diabolo obiecta, per humilem confessionem aperiens, condignam poenitentiam suscepit. Tunc ad obsessam rediens, et si adhuc aliquod in se sciret peccatum, obsessam adinterrogans¹⁰⁾, audire meruit: Per iudicium meum nihil modo de te novi, quia mox ut genua tua ad susurrium inclinasti, omnia mihi prius scita subtraxisti. NOVICIUS: In hoc facto satis ostensa sunt tam praesentia daemonis quam virtus confessionis. MONACHUS: Satis de

1) ADP quas tamen femina nunquam. — 2) D detineri. — 3) BC ut mihi — respondeas. — 4) DR nosti de me vel in me. — 5) hora om BC. — 6) C ita. — 7) BC forte alicubi te. — 8) B ego non. — 9) BC et in — 10) BC interrogans.

talibus in distinctione confessionis dictum est. Post haec daemon adiuratus ab Abbate ut exiret, respondit: Quo ibo? Dicente Abbate, ecce os meum aperio, si potes ingredi; ait: Non possum intrare, quia Altissimus hodie intravit. Tunc Abbas: Ascende super hos duos digitos, pollicem et indicem ei offerens. Non valeo, inquit, quia hodie Altissimum tractasti. Dixerat enim missam Abbas¹⁾ de mane. Insistente eo ut exiret, respondit: Nondum vult Altissimus. Adhuc duobus annis ero in ea; post haec²⁾ in via illius Jacobi liberabitur³⁾. Quod ita factum est. Deinde rogatus est Abbas tam a monacho quam a converso, ut diabolo praeciperet, quatenus se eis in sua forma naturali ostenderet. Respondente Abbate, non hoc mihi bonum videtur, sufficiat vobis quod hucusque ei praecepimus; illis obstinatius ut fieret insistens, tandem victus ait: Praecipio tibi in virtute Christi, ut in tua naturali specie nobis appareas. Respondente illo, non vultis carere nisi me videatis? et Abbate dicente, non; coepit mulier in oculis eorum turgescere, et ad instar turris ascendere, ita ut oculi eius scintillarent, atque ad similitudinem fornacis fumigarent. Quibus visis, territus ruit in extasim monachus, factus est extra sensum conversus, et nisi Abbas, qui eis constantior erat⁴⁾, diabolo ut pristinam formam resumeret, ocius praecepisset, similem⁵⁾ mentis defectum incurrisset. Si his verbis meis minus credis, interroga illos, adhuc, ut opinor, vivunt, viri religiosi sunt, non tibi dicent nisi meram veritatem. Diabolus vero praecipienti obediens, et ad priorem speciem vultum feminae reducens, ait Abbati: Nunquam tam stultum praeceptum praecepisti⁶⁾. Pro certo scias, quia si hodie divinis non⁷⁾ communicasses mysteriis, nullus vestrum ulli homini quae hodie vobis ingessissem, diceret. Putas quod possit me homo videre et vivere? Nequaquam. Homines qui erant inferius exspectantes, strepitum superius audientes⁸⁾, ascenderunt, et conversum cum monacho semimortuos reperientes, aqua refocillaverunt, et inter manus illos deportaverunt. Tunc diabolus dixit Abbati: Quo iturus es modo? Respondente Abbate, Eberbachum; subiunxit ille: Ego

1) CP Abbas missam. — 2) D et post haec, CP post hoc. — 3) intelligit limina beati Jacobi in Compostella. — 4) BC erat constantior. — 5) C simul. — 6) ACP iussisti. — 7) C scias, nisi hodie divinis. — 8) B strepitum audientes superius, C audientes superius strepitum.

etiam in ¹⁾ Sueverbacho fui, et satis ibi truffavi, yronice nomini alludens. Erat enim post illa tempora, quando ²⁾ conversi se ordini opposuerant. Tam horrendus et tam venenatus est daemonum aspectus, ut non solum sanos infirmet, sed nonnunquam etiam interficiat.

CAPITULUM XXX.

De duobus iuvenibus, qui diabolum in specie mulieris videntes infirmati sunt.

Duo iuvenes saeculares nondum milites, ex quibus unus erat dapifer Abbatis Prumiae, qui mihi haec quae dicturus sum, retulit, in quadam vigilia sancti Johannis Baptistae post solis occasum circa rivulum, qui monasterium praeterfluit, in dextrariis suis spatiabantur. Videntes ex altera parte rivuli quasi speciem muliebrem ³⁾ in veste linea, putantes quia maleficia exerceret, ut quibusdam mos est in nocte illa, ut caperent eam, aquam transierunt. Quae cum veste levata fugere videretur, illi in equis velocissimis insequentes, cum fugientem, quam quasi umbram ante se videbant, comprehendere non valerent, deficientibus equis, unus dixit: Quid agimus? Diabolus est enim. Et signantes se, monstrum ultra non viderunt. Ab illa hora tam homines quam iumenta multo tempore languerunt, vix mortem evadentes. NOVICIUS: Non ista miror de diabolo, cum legam basiliscum solo visu homines et aves et iumenta interficere. MONACHUS: Hoc ipsum agit diabolus, in Psalmo per basiliscum designatus ⁴⁾, sicut subiectis tibi ostendam ⁵⁾ exemplis.

CAPITULUM XXXI.

De femina, quae a diabolo in specie servi sibi noti pressa, mortua est.

In Kumineskirgen, sicut sacerdos eiusdem villae retulit Lamberto monacho nostro, matrona quaedam honesta dum nocte quadam cum alia ⁶⁾ femina nescio unde veniens per villam eandem ⁷⁾ transiret, diabolus cuiusdam servi admodum

1) in abest a libris ABCDPK. — 2) pro (qñ, id est) quando, omnes libri habent: quo. — 3) P mulieris. — 4) Psal. 90, 13. — 5) D pandam. — 6) P alia quadam. — 7) BC eandem villam.

iocosi formam assumens, manum eius tenuit, et modicum strinxit. Cui cum diceret, dimitte me, mox illum non vidit. Quae statim male habere coepit, feminae sequenti se dicens: Servus ille compressit me, et ecce ex hoc defectio cordis invasit me. Dicente illa, nequaquam hic fuit; respondit matrona: Imo certissime, satis enim proterve respexit me. Vadensque in domum suam lecto decubuit, et post paucos dies defuncta est.

CAPITULUM XXXII.

Item de muliere in Are, quae a diabolo amplexata, post paucos dies defuncta est.

Mulieri cuidam iuxta castrum Are commanenti¹⁾ hoc anno simile contigit. Haec cum maritum haberet ebriosum, nulla praesumebat nocte ire dormitum, donec ille a taberna rediret. Quae dum una noctium, pasta ad coquendos panes praeparata, ante fores domus suae lassa sederet, viri praestolans adventum, duos in albis vestibus ad se venire vidit²⁾. In cuius amplexus dum unus illorum rueret, eamque brachiis stringeret, illa clamante, ambo disparuerunt. Quae in domum fugiens, mox ut lumen vidit, amens facta ruit, filiamque propriam in clamorem convertit. Post paucos dies defuncta est. Ecce, quo Dei iudicio talia fiant, prorsus ignoro. NOVICIUS: Horrenda sunt haec. MONACHUS: Audi aliud, quod satis terrere nos poterit, qui dicimur viri religiosi.

CAPITULUM XXXIII.

Item de converso, quem diabolus in specie monialis meridie dormientem complexus, intra triduum exstinxit.

Tempore quodam aestivo conversis ordinis nostri in dormitorio suo meridie quiescentibus, diabolus in specie monialis nigri ordinis singulorum lectos³⁾ circuivit. Ante quosdam stetit, quosdam cum festinatione praeterivit. Veniens ad quendam conversum, ante illum se inclinavit, et brachiis collum eius stringens tactuque meretricio demulcens, oscula in eius ore⁴⁾ defixit. Quod cum quidam frater religiosus vidisset, et illa disparuisset, satis tam de persona quam de opere et in tali loco stupens

1) B manenti, C commoranti. — 2) D conspexit. — 3) AD lecta. — 4) ACDP ora.

surrexit, et conversi lectum adiit, quem quidem dormientem, sed incomposite et impudice nudatumque iacentem invenit. Ceteris ad signum nonae surgentibus, ille gravem se sentiens, surgere non potuit, et ad vesperam in infirmitorium ductus, infra triduum vitam finivit. Haec apud nos eiusdem ut puto loci grangiarius recitavit, asserens sibi dictum ab eodem converso qui vidit visionem, sub typo confessionis. **NOVICIUS:** Cum Deus summe sit misericors, et ¹⁾ dormiens modicum differat a mortuo, quid est quod idem conversus pro tantillo punitus est? **MONACHUS:** Forte nimis erat negligens circa usum verecundiae. Verecundia sive pudicitia, quae omnium ornamentum est virtutum, non solum esse debet in habitu, sed etiam in actu. Frequenter contingit, ut sicut homo interior libenter ea quae de die cogitat, nocte per imaginationem retractat, ita exterior illa quae vigilans facit, dormiens frequenter repraesentet²⁾. **NOVICIUS:** In hoc consentio, quia novi quosdam raptores, qui saepe noctibus dormiendo surgunt, arma induunt, exerunt gladios, feriunt parietes, et postquam lassati fuerint, singula in loca sua³⁾ reponunt, sicque cubitum redeunt, nec aliquid horum mane⁴⁾ recordantur. **MONACHUS:** Forte idem conversus nimis indulserat vino. Inebriationem libenter sequitur denudatio. Si Noe non fuisset inebriatus, nec fuisset denudatus. Et quia denudatus, idcirco a filio est⁵⁾ subsannatus. Non solum angeli sancti, sed et mali noctibus nos lustrant, et si per negligentiam sive dissolutionem contigerit nos in lectis nostris iacere irreverenter, bonos a nobis fugamus, et malos ad nostram irrisionem invitamus. Quanta gratia sic dormientes quandoque se privent, audies in distinctione septima capitulo tertio decimo et capitulo quarto decimo, in quibus beata Dei genitrix per se dormientes visitavit⁶⁾. **NOVICIUS:** Habuitne conversus praedictus caritatem? **MONACHUS:** Non mihi hoc constat, sicut et de praedictis feminis, quas diabolicus exstinxit aspectus. Quod vero diabolus quosdam peccatores in peccatis⁷⁾ interficiat, subsequencia declarabunt exempla.

1) B et homo. — 2) ABDP repraesentat. — 3) BC loco suo. — 4) mane add BC. — 5) est add B. — 6) A visitabit. — 7) B add suis.

CAPITULUM XXXIV.

De Thiemone milite, cum quo diabolus nocte tesseribus ludens, viscera eius excussit.

In Susacia, quae civitas est Dioecesis Coloniensis, miles quidam Thiemo nomine habitabat, qui sic totus deditus erat ludo tesserum, ut non die, non nocte quiesceret. Semper sacculum cum nummis secum portabat ¹⁾, ut secum ludere volentibus obviaret. Ita in ludis expeditus et fortunatus erat, ut vix aliquis ab illo sine damno recederet. Ut autem posteris ostenderetur, quantum Deo tales ludi, in quibus irae, invidia ²⁾, rixae et damna suscitantur, peccatique verba rotantur, contrarii forent, permissum est diabolo, ut cum eo luderet qui multis illuserat, atque evisceraret qui multorum marsubia ³⁾ evacuaverat. Nocte quadam domum eius in specie cuiusdam ludere volentis intrans, saccellumque nummis refertum sub ascella portans, ad tabulam sedit, denarios liberaliter apposuit, tessereres iactavit, et acquisivit. Cui cum prospere succederet, et militi iam pecunia quam apponeret defuisset, iratus ait: Numquid non diabolus es tu? Et ille: Nunc satis est, appropinquat enim tempus matutinale, oportet nos ire. Tollensque illum, per tectum traxit, cuius viscera tegulis retrahentibus ⁴⁾ miserabiliter excussit. Et quid de eius corpore factum sit, vel in quem locum illud proiecerit, usque hodie tam a filio eius ⁵⁾ quam a ceteris qui illum noverant, ignoratur. Mane vero viscerum eius reliquiae tegulis inhaerentes repertae sunt, et in cimiterio sepultae. Bene diabolus suos ministros in hoc mundo sinit prosperari, quos semper in fine decipit.

CAPITULUM XXXV.

De homine, qui in Susacia spe ⁶⁾ diaboli de turri saltans diruptus est.

In eandem civitatem, sicut mihi retulit magister Gozmarus, vir religiosus et sancti Patrocli canonicus, homo quidam ignotus venit, dicens se velle saltare de turri sancti Juliani, quae multum est sublimis, si tamen aliquid ex hoc consequi

1) BC ferebat. — 2) C invidiae. — 3) BC marsupia. — 4) C extrahentibus. — 5) eius om BC. — 6) Homil. I. p. 76: „praesentem Homeliam de nomine Verbi, spe Verbi tractandam suscepi.“

posset honoris. Respondentibus civibus, sicut viris prudentibus: Nihil tibi propter hoc dabimus, ut te ipsum interficias; ait: Propter honorem civitatis saltabo. Congregata ¹⁾ multitudine populi circa forum, cui turris eadem contigua erat, et de fenestris domorum aliis prospectantibus, turrim ascendit. Quem alius quidam a tergo clamans, ait: Dic mihi, o homo, cum quo daemone agis talia? Cui cum ille nescio quem daemonem nominasset, respondit: Scias pro certo, quia decipiet te. Nequam est enim. Si fidei Oliveri te committeres, non te deciperet, quia curialis est et fidus. Respondit ille: Nequaquam me decipiet, quia in multis sum eius fidem expertus. Puto hunc Oliverum fuisse eundem, de quo supra dictum est capitulo quarto. Quid plura? Ascendit turrim, et saltavit, sed post saltum surgere non valuit. Mirantibus turbis, quare non surgeret, et ignorantibus causam mortis eius propter amplam quam induerat cappam ad capiendum ventum, propius accedentes, hominemque de terra levantes, invenerunt omnia viscera eius effusa. Ecce sic diabolus ministros suos remunerat, corpora quidem occidendo, et animas in poenas aeternas detrudendo. De quarum cruciatibus in distinctione duodecima audies sufficienter. NOVICIUS: Quantum considero ex iam dicto Olivero, non omnes daemones aequaliter mali sunt. MONACHUS: In quibus in coelo amplius intensa fuerat contra Creatorem superbia atque invidia, in his usque hodie magis viget²⁾ ad nocendum malitia. Quidam, ut dicitur, aliis cum Lucifero contra Deum se extollentibus simpliciter consenserunt, et hi quidem cum ceteris ruerunt, sed ceteris minus mali sunt, hominesque minus laedunt, sicut exempla subiecta explanabunt.

CAPITULUM XXXVI.

De daemone, qui in specie hominis militi fideliter servivit.

Daemon quidam adolescentis venusti speciem induens, ad quendam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cum multum placeret tam in decore quam in sermone, gratanter ab eo susceptus est³⁾. Qui mox militi servire coepit tam diligenter et tam timide, tam fideliter et tam iocunde,

1) B et congregata. — 2) C hodie viget contra nos magis. — 3) B gratanter illum suscepit.

ut satis ille miraretur. Nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille praeparatus ¹⁾ esset, et genu flexo strepam teneret. Discretum, providum et hilarem semper se exhibuit. Die quadam cum simul equitarent, et venissent ad flumen quoddam ²⁾ magnum, miles respiciens, et plures ex inimicis suis mortalibus post se venire considerans, ait servo: Mortui sumus. Ecce inimici mei post me festinant, fluvius ex opposito est, nullus superest locus refugii. Aut occident me, aut capient. Tunc ille: Ne timeas, domine, vadum fluminis huius bene novi, sequere tantum me, bene evademus. Respondente milite, nunquam homo fluvium istum in hoc loco ³⁾ transvadavit, spe tamen evasionis servum ducem secutus sine periculo pervenit ⁴⁾ ad litus. Et ecce eis transpositis, hostes ex opposito litore consistentes, mirati sunt dicentes: Quis unquam audivit vadum in flumine isto? Non alius nisi diabolus illum transvexit. Timentesque reversi sunt. Processu vero temporis accidit, ut militis uxor ⁵⁾ infirmaretur usque ad mortem. In qua dum omnes medicorum artes defecissent, ait iterum daemon domino suo: Si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur. Dicente milite, unde haberetur lac tale? respondit ille: Ego afferam. Qui vadens, et post spatium unius horae rediens, vas plenum secum attulit. A quo cum fuisset peruncta, mox meliorata, pristinum recuperavit vigorem. Cui cum diceret miles, unde habuisti tam cito ⁶⁾ lac istud? respondit: De montibus attuli Arabiae. Recedens a te in Arabiam ivi ⁷⁾, leaenae speluncam intravi, catulos abegi, et ipsam mulsi, sicque reversus sum ad te. Stupente milite ad verba ista, et dicente, quis ergo es tu? respondit ille: Non solliciteris de hoc, servus enim tuus sum ego. Instante milite, tandem confessus est dicens: Daemon ego sum, unus ex illis qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis milite stupente, subiunxit: Si natura diabolus es, quid est quod tam fideliter servis homini? Respondit daemon: Magna est mihi consolatio esse cum filiis hominum. Dicente milite, non audeo de cetero uti servitio tuo; iterum ille respondit: Hoc pro certo scias, quia si me tenueris, nunquam a me vel propter me aliquid mali tibi ⁸⁾ eveniet. Non audeo,

1) BC paratus. — 2) AD fluvium quoddam, CP fluvium quendam. — 3) BC hoc in loco. — 4) ABDP venit. — 5) BC uxor militis. — 6) BC tam cito habuisti. — 7) B fui. — 8) BC tibi mali.

inquit; sed quicquid pro mercede tua postulaveris, licet dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter et tam utiliter. Per tuam providentiam iuxta fluvium mortem evasi, per te uxor mea recepit sanitatem. Tunc daemon: Ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinque solidos requiro. Quos cum recepisset, militi illos reddidit dicens: Peto ut ex eis nolam compares, et super tectum pauperis illius ecclesiae ac desolatae suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur officium. Sicque ab oculis eius disparuit. NOVICIUS: Quis unquam tale aliquid de diabolo speraret? MONACHUS: Dicam tibi aliud, ut sic dicam, diabolicae bonitatis exemplum, quod non minus isto mireris.

CAPITULUM XXXVII.

De daemone, qui Everhardum militem transtulit Jerusalem.

Eodem anno quo Rex Philippus primum ascendit contra Ottonem postea Imperatorem, miles quidam honestus Everhardus nomine, de villa quae Ambula vocatur natus, graviter infirmabatur. Cui cum rapta fuisset materia in ¹⁾ cerebrum, ita coepit furere, ut propriam coniugem ante infirmitatem multum dilectam in tantum haberet exosam, ut illam neque videre neque audire posset. Die quadam diabolus in forma hominis infirmo apparens, ait: Everharde, vis ab uxore tua separari? Respondente illo: Hoc omnibus modis desidero; subiunxit diabolus: Ego te in equo meo ducam Romam, bene obtinebimus a Papa ²⁾, ut divortium faciat inter te et illam. Quid plura? Visum est militi ut equum invitantis ascenderet, ut Romam cum illo post tergum eius sedens pergeret, ut illo pro se allegante, Papa eum ab uxore coram Cardinalibus sollemniter separaret, ipsumque divortium literis pontificalibus atque bullatis confirmaret. Mira res. Ab eadem ³⁾ hora qua sic mirabiliter infirmi spiritus a diabolo raptus est, ita corpus iacebat exsangue, ut tantum modicum caloris in eius pectore sentiretur. Propter quod a sepultura dilatus est. Milite, ut sibi videbatur, nimis gaudente divortii causa, ait diabolus: Vis modo ut ducam te Hierosolyman, ubi Dominus tuus crucifixus est atque sepultus, nec non et ad reliqua sacra

1) C ad. VIII, 77: „cui cum materia rapta esset in cerebrum.“ Conf. IX, 43. XI, 42. — 2) D apud Papam. — 3) B ea, C illa.

loca, quae Christiani videre desiderant? Ex his verbis maxime postea intellexit illum daemonem fuisse. Respondente illo, volo et desidero; spiritus spiritum repente per mare transtulit, et in basilica Dominici sepulchri deposuit. Deinde ostendit ei loca reliqua: in quibus orationes suas fecit. Ad quem iterum ait: Vis etiam videre Sephadinum inimicum vestrum eiusque exercitum? Cui cum diceret, volo; ductus est in momento ad loca castrorum, viditque illo demonstrante Regem et Principes eius, milites, arma, vexilla, tentoria atque exercitum universum. Post haec ait daemon: Vis modo redire ad patriam tuam? Et ille: Tempus est ut revertar. Quem statim spiritus levavit, et in Lombardiam¹⁾ transtulit. Qui ait: Vides hoc nemus? Jam homo quidam de villa tua mercimonia sua ad has²⁾ provincias in azino venalia portans ipsum intrabit, et a latronibus interficietur. Vis ipsum³⁾ praemunire? Respondente eo, libenter, statim homini occurrit, et quia latrones in nemore essent praedixit. Quem sicut suum parochianum sibi⁴⁾ notissimum hilariter resalutavit, et gratias agens alia via divertit. Venientibus eis Franckinvord, rursum ait daemon: Cognoscis Walerammum filium Ducis de Limburg? Bene, inquit, illum novi, et frequenter cum illo⁵⁾ militavi. Dicentè daemone, vis nunc eum videre? et miles responderet⁶⁾, in partibus est transmarinis; ille subiecit: Nequaquam, sed iam in tali loco Regi Philippo confoederatur, et per ipsum terra vestra rapinis et incendiis vastabitur. Hoc impletum vidimus, quando ipso duce Andernachum, Remage, Bonna, aliaeque villae plurimae exustae sunt. Respondente milite, de hoc satis doleo; postquam Regem cum Principibus et Walerammo viderat, ad lectum et ad corpus sine omni laesione spiritus eius reductus est. Mox incipiens spirare et convalescere, uxorem ante raptum exosam amore pristino dilexit; et non sine multorum admiratione, quae viderat vel audierat saepius recitavit. Quicquid enim viderat Romae et in Hierosolyma, in Lombardia et in Alemannia, tam in locis quam in personis plenius utique vidit, melius visa cognoscere et retinere⁷⁾ potuit, quam si oculis corporeis

1) BP Longobardiam; sic et infra. — 2) Distas. — 3) CP eum. — 4) ABDP valdeque. — 5) AP eo. — 6) C videre? miles respondit. Sed vide IV, 55. V, 8. 29. — 7) sic legendum, non ut libri exhibent, recitare.

illa prospexisset. Structuram urbis Romae, nec non et effigiem domini Innocentii tunc Papae, Cardinalium et ecclesiarum, et in partibus Hierosolymitanis formam Sefhadini et exercitus eius, similiter montes, flumina, castra universaque loca per quae transierat, tam proprie in suis formis atque nominibus expressit, ut hi qui oculis corporeis illa viderant, quid¹⁾ contradicerent, non invenirent. Interim rusticus cum mercibus suis de Lombardia rediit, et quia illum ibidem vidisset, atque per eius cautelam latronum periculum evasisset, coram multis testificatus est. NOVICIUS: Audivi quod quidam daemones talis naturae sint, ut bene a se obsessos torqueant, sed eosdem criminaliter peccare non sinant. MONACHUS: De hoc satis evidens audivisse me recordor exemplum.

CAPITULUM XXXVIII.

De daemone, qui non permisit hominem a se obsessum de rapina in quinta generatione gustare.

Dives quidam sub typo eleemosynae pauperibus convivium fecit. Inter quos cum quidam obsessus esset, et ceteris manducantibus, carnes quidem²⁾ ori applicaret, sed eisdem vesci non posset, ex circumstantibus hoc videntes dixerunt: Inique, cur non sinis hominem manducare? Quibus ille respondit: Nolo ut peccet, eo quod eleemosyna ista de rapina sit. Dicentibus eis: Mentiris, quia is qui fecit eam, homo bonus est; respondit: Nequaquam mentior. Vitulus iste qui in pauperes³⁾ divisus est, in quinta generatione fuit ab illa vacca, quae per rapinam habebatur. Et satis mirati sunt qui aderant. NOVICIUS: Si daemones quintam generationem iudicant rapinam, puto quia multum acriter in poenis vindicabunt primam. MONACHUS: De hoc non dubites. Recordare vaccae illius, per quam et in qua punitus est Helias miles, sicut dictum est in distinctione secunda capitulo septimo. Revocat mihi etiam ad memoriam vacca haec verbum obsessae mulieris illius in Briseke, cuius superius mentionem feci capitulo vicesimo sexto. Haec cum die quadam Johannem burgravium de Rinecken vidisset, sicut mihi retulit qui audivit, multis praesentibus contra eum clamavit dicens: Vitulum illum, quem tali viduae abstu-

1) ABCP quod — 2) ADP manducantibus carnes, ipse quidem. — 3) AD qui hic pauperibus, P qui his pauperibus.

listi, flammis infernalibus a nobis liquatum guttatim mitemus in oculos tuos, et per omne corpus stillabimus pinguedinem eius. Vinum vero quod sub banno tuo in hac villa venditur, fervens in os tuum fundemus. Quibus verbis miles territus, tabernam amovit, et vitulum mulieri restituit. NOVICIUS: Satis mihi probatum iam ¹⁾ fateor, quod daemones sint, quod multi sint, et quod mali sint; nunc quam infesti nobis sint, aliquid sub exemplis audire delectat. MONACHUS: Ita infesti sunt hominibus, ut inter amicos discordias faciant, et inimicos reconciliari non sinant. Pro Christo et pro peccatis suis peregrinari volentes retrahunt, converti desiderantes avertunt, conversos multis modis turbant et impediunt. Ecce exempla.

CAPITULUM XXXIX.

De diabolo, qui visus est seminare discordiam inter duos peregrinos amicos.

Duo cives Colonienses, viri divites et honesti, et speciales ad invicem amici, ex quibus unus vocabatur Sistappus, alter vero Godefridus, ad sanctum Jacobum Apostolum ²⁾ simul profecti sunt. Die quadam cum ³⁾ soli equitarent, ceteris fratribus praecedentibus, diabolus invidens amicitiae et concordiae illorum ⁴⁾, in ingressu cuiusdam nemoris, baculum Godefridi in dorso ipsius pendentem ⁵⁾, satisque fortem, in duas partes fregit. Qui cum neminem adesse conspiceret, turbatus clamavit ad socium: Eia, frater, quare fregisti baculum meum? Illo negante etiam cum iuramento, sicut mihi iam dictus Godefridus retulit, ita in eum exarsit, ut vix manus ab eius laesione cohiberet. Tandem gratia Dei et meritis beati Apostoli ad mentem reductus, apud socium unice dilectum poenitentiam egit, et totius discordiae caput diabolus confusus ⁶⁾ aufugit.

1) BC iam probatum. — 2) Apostolum om B. — 3) B dum. — 4) C et concordiae eorum, B eorum et concordiae. — 5) BC baculum in dorso Godefridi pendentem. — 6) confusus om BC.

CAPITULUM XL.

Item de daemone, qui in specie sacerdotis militem per spineta ducens inimicos illos effecit.

Sicut mihi retulit quidam honestus sacerdos, nunc monachus in ordine nostro, plebanus cuiusdam villae, parochianis suis placere volens, ludos saeculares cum illis exercuit, tabernas frequentavit, et in quantum potuit, moribus illorum suos conformavit. Impletumque est in eo illud Prophetæ: *Et erit sicut populus sic et sacerdos* ¹⁾. Habebat autem in villa militem compatrem ²⁾, vitiis suis per omnia concordantem. Et erat eis, non in Christo, sed in mundo, cor unum et anima una ³⁾. Saepe alter ab altero ad ludos et ad epulas invitabatur, saepe ad tabernas trahebatur. Videns haec diabolus, totius doli artifex, ut amorem illorum ⁴⁾ vitiosum in odium verteret periculosum, nocte quadam cum isdem ⁵⁾ miles isset cubitum, in forma sacerdotis ad lectum eius venit, et ut se sequeretur, tam verbo quam signo importune satis institit. Miles cum territus pene nudus surgeret, et nudipes sequeretur praecedentem, per campum spinis et vepribus plenum ductus est. A quibus dum ⁶⁾ plantae eius vulnerarentur et sanguinem stillarent, iratus post eum clamavit: Male sacerdos, malo tuo huc me adduxisti. Diabolo semper clamante, sequere, sequere, miles turbatus, ligone quem ⁷⁾ casu reperit, ut sibi videbatur caput sacerdotis divisit. Sic illo prostrato, et vultu eius sanguine perfuso, miles cum multo labore ac dolore ad domum suam revertitur; qualiter ⁸⁾ ei sacerdos illuserit, uxori, familiae amicisque conqueritur. Illis minus credentibus, subiicit ⁹⁾: Ego caput eius et coronam non modicum vulneravi. Eadem nocte sacerdos, horum prorsus inscius, cum ex necessitate naturae iturus esset ad cameram, cum tanto impetu caput limini superiori illisit, ut corona graviter vulnerata, sanguis erumpens totam eius faciem cruentaret. Quo ad lectum revertente, cum mane populus pulsata missa in ecclesia exspe-

1) Isai. 24, 2. — 2) BC comparem. — 3) Act. 4, 32. — 4) D illum. — 5) BCR idem. Sed pronomini forma, isdem, haud raro occurrit apud scriptores medii aevi. Gregor. Moral. p. 17 D: „hinc est quod isdem beatus Job sibimet attestatur.“ — 6) BC cum. — 7) ABCDPK lignum quod, R ligno quod. — 8) C et qualiter. — 9) B subiunxit.

ctaret, et ille minime ob vulneris dolorem veniret, cognoscens miles causam a referentibus, ait: Ecce hoc est quod dixi vobis. Quid plura? Insanientibus cognatis et amicis eius, cum sacerdos obiecta fortiter negaret, et illi non crederent, per biennium de ecclesia sua eliminatus, vix tandem illis reconciliatus est. Ex his duobus exemplis colligitur, quod inter amicos, sive spirituales sint sive carnales ¹⁾, discordias seminant. Quod inimicos in quantum valent concordare non sinant, certum est.

CAPITULUM XLI.

De daemone, qui dixit se seminasse discordiam inter militem et coenobium.

Miles quidam nuper domum quandam ordinis nostri indebite satis vexabat. Garriente diabolo per os cuiusdam feminae, locutus est ad illum nescio quis de astantibus: Dic, inique, quare non suades illi militi, ut coenobium tale servorum Dei cesset inquietare? Cui daemon cachinnando respondit: Quid est quod loqueris, o imprudens? Meo consilio res agitur, et tu mihi dicis, ut suadeam ea quae sunt pacis? Quod autem pro Christo peregrinari volentes retrahant et impedian, praesto est exemplum.

CAPITULUM XLII.

De milite Mengoz, quem diabolus per pavimentum traxit.

Miles quidam Mengoz nomine, cum adolescens in Francia linguam disceret Gallicam, graviter infirmatus, spe convalescentiae ad sanctum Remigium Remis peregrinationis votum fecit, sed non solvit. Reversus vero in provinciam suam voti transgressor, multis diebus elapsis, cum alter quidam miles Guldolphus nomine vir nobilis, de villa Seffelingen ²⁾ oriundus, suscepta carena tempore Capituli generalis Cistertium ire proponeret, et hoc praedictus Mengoz cognosceret, rogavit illum ut se suscipere vellet in comitem peregrinationis. Quod cum ille gratum haberet, simulque ad villam, quae Tricastrum vocatur, iuxta Divionem ³⁾ sitam, venissent, cum ad prandendum

1) B sive sint carnales sive spirituales. — 2) BC Sefelingen. Intelligit, ut puto, villam Sevelen prope Geldern sitam. — 3) Dijon.

in terra more poenitentium consedissent, sanctus Remigius Remensis Episcopus, pontificalibus indutus, transgressori suo apparens ait: Mengoz, quare non solvis votum tuum? Miles vero cum tam de visione quam de voti improperatione terreretur, mox diabolus advolans, verbis admonitoriis verba dissuasionis subiunxit¹⁾ dicens: Noli festinare, bene votum solves quando poteris. Nihilque aliud dicens, hominem pedibus arripiens, per ventrem in pavimento tam immisericorditer traxit, ut facies eius in quatuor partibus vulnerata, sanguine erumpente terram infunderet. Quem cum Guldolphus sic trahi videret, et trahentem non aspiceret, sicut ab eius ore audivi, turbatus ilico surrexit, militemque brachiis stringens, cum fortis esset et sit, retinere²⁾ vix potuit. A quo cum causam culpae simul et poenae didicisset, ait: Consulo ut reddas votum tuum. Respondente illo, non modo habeo expensas; dedit ei solidum sterlingorum, et ille solvit votum neglectum. NOVICIUS: Ut video, non multum a nobis daemones sunt remoti, qui ad puniendum nos tam sunt parati. MONACHUS: Quod semper sint iuxta nos et circa nos, in subiecto cognosces exemplo.

CAPITULUM XLIII.

De daemone, qui vineam pro mercede custodivit.

Anno praeterito tempore vindemiae cellerarius de Lacu cuiusdam curtis monasterii vineam duobus servis custodiendam commisit. Nocte quadam unus ex illis vigiliis nocturnas sibi temperare volens, diabolum ioculariter³⁾ vocavit dicens: Veni diabole, custodi hanc vineam, et ego tibi pretium dabo. Vix verba compleverat, et ecce diabolus affuit dicens: Praesto sum. Quid ergo dabis mihi, si eam custodiero? Et ille: Cophinum plenum uvis⁴⁾, tali conditione, ut si aliquis⁵⁾ intraverit ab ea hora, qua dies et nox separantur, usque ad ortum diei, neque propriam neque alienam excipiens personam, collum ei frangas. Quod cum diabolus promisisset, et servus sero, quasi de vinea securus, domum intrasset, ait illi cellerarius:

1) ADP adiunxit. — 2) ABCDPK esset, et sic retinere, R esset, retinere. Emendavi ex loco I, 43: „haec cum esset et adhuc sit Arnoldi filia.“ — 3) B iocaliter. — 4) AD de uvis. — 5) ADP si quis.

Quare non es in vinea? Respondente illo, socium meum ibi reliqui, diabolum notans; cellerarius, putans quia de conseruo suo diceret, iratus ait: Vade cito, quia solus non sufficit ille. Ivit servus, et speculam¹⁾, quae erat extra vineam, cum socio ascendens, circa medium noctis motum quasi hominis inter vites ambulantis²⁾ audientes, ait is quem praedicta pactio latebat: Aliquis est in vinea. Respondit alter: Sede, ego descendam et videbo. Descendit, et vineam foris circuiens, cum nulla hominis vestigia in sepe reperisset, custodem suum adesse cognovit. Mane socio omnia aperiens, cophinum uvis refertum diabolo pro pretio dare volens, iuxta vitem unam fudit, et³⁾ discedens, atque cum socio post paululum rediens, nec unum ibi granum reperit. NOVICIUS: Satis de his admiror⁴⁾; sed dic quaeso, quomodo converti volentes impediunt. MONACHUS: Referam tibi quod mihi sanctimonialis quaedam retulit, coacta a sua Abbatissa.

CAPITULUM XLIV.

De Eufemia sanctimoniali, quam diabolus infestavit.

Cum esset eadem sanctimonialis puella parvula in domo patris sui, diabolus illi saepius in diversis formis visibiliter apparuit, et teneram eius aetatem diversis modis terruit ac contristravit. Quae cum incurrere timuisset amentiam, ad ordinem nostrum converti proposuit, verbis voluntatem exprimens. Nocte quadam in specie viri diabolus illi apparens, conversionemque dissuadens⁵⁾ ait: Eufemia, noli converti, sed accipe virum iuvenem pulchrumque, ut cum illo deliciis mundi fruaris. Vestes enim pretiosae et cibaria delicata non deerunt tibi. Si autem intraveris ordinem, semper eris misera et pannosa, famem, sitim frigusque patieris, nec unquam de cetero bene tibi erit in hoc saeculo. Ad quod illa respondit: Quid de me tunc erit, si in illis deliciis, quas tu mihi promittis, mortua fuero? Ad quod verbum diabolus nullum quidem⁶⁾ responsum dedit, sed puellam rapiens, et usque ad fenestram solarium in quo iacebat deportans, praecipitare eam conabatur. Quae cum angelicam salutationem diceret, inimi-

1) sic emendavi librorum lectionem speluncam. — 2) ACDP transeuntis. — 3) C et ita. — 4) C miror. — 5) B dissuadendo. — 6) B quidem nullum, P nullum.

cus eam dimisit, et ait: Si ieris ad claustrum, semper tibi adversabor. Quod si in hac hora mulierem illam non invocasses, occidissem te. Et hoc dicto, virginem valde comprimens, in canem maximum transmutatus, de fenestra exsilivit, et nusquam comparuit. Sicque ad ¹⁾ invocationem Dei genitricis et Virginis virgo liberata est. Quam infestus conversis sit diabolus, et quam multis quamque diversis modis illos vexet et impediatur, sequentia declarabunt. Cum praedicta puella fuisset monacha ²⁾ effecta, nocte quadam cum in lecto iaceret, et iacendo vigilaret, vidit circa se plures daemones in specie virorum. Ex quibus unus aspectu teterrimus stabat ad caput eius, duo ad pedes, quartus ex latere contra eam. Qui clara voce ad alios clamabat: Quid statis? Tollite illam totaliter sicut iacet, et venite. Responderunt illi: Non possumus. Invocavit enim mulierem illam. NOVICIUS: Quid est quod daemones matrem sui Creatoris nominare praesumerunt nomine tantum conditionis, et non honoris? Mulier nomen est corruptionis et naturae, Virgo, vel Maria, sive Dei genitrix, nomina sunt gloriae. MONACHUS: Non sunt ausi, quia indigni, ore polluto nomen integritatis vel gloriae nominare. Idem tamen daemon post verba angelicae salutationis, puellam brachio dextro traxit, et trahendo in tantum compressit, ut compressionem tumor, et tumorem sequeretur livor ³⁾. Quae cum haberet sinistram liberam, ex nimia simplicitate non est ausa se signare per illam, putans signum manus sinistrae nihil sibi prodesse. Cogente tamen necessitate, per eandem manum crucem sibi impressit, et daemones fugavit. Liberata ab illis, pene exanimis ad lectum cuiusdam sororis cucurrit, et fracto silentio, quid viderit vel quid passa sit, illi intimavit. Quam, sicut mihi retulit beatae memoriae domina Elizabeth, eiusdem coenobii Abbatisa, sorores in lecto suo ponentes, et principium Evangelii Johannis ⁴⁾ super eam legentes, mane regyratam invenerunt. Anno vero sequenti intempesta nocte cum eadem sanctimonialis in stratu suo iacens vigilaret, vidit eminus duos daemones in specie duarum sororum plurimum sibi dilectarum. Cui cum dicerent ⁵⁾: Soror Eufemia, surge, veni

1) B per. — 2) B esset monacha, P monacha fuisset. —

3) ADP livor sequeretur. — 4) BD sancti Johannis. —

5) P dicerent illae.

nobiscum in cellarium dimittere cervisiam conventui; illa habens eas suspectas, tum propter tempus intempestivum, tum propter fractum silentium, horrere coepit, operimento caput involvens, nihilque respondens. Statim ¹⁾ unus spirituum malignorum propius accedens, et manum pectori eius imponens, ita illud compressit, ut sanguis concitatus per os et nares eius largiter efflueret. Sicque daemones illi formas caninas assumentes, de fenestra exsilierunt. Sorores ad matutinas surgentes, cum illam in defectu cernerent, utpote pallidam et exsanguem, causam per signa sciscitatae sunt. Quam cum ex eius relatione cognovissent, satis turbatae sunt tam de daemonum crudelitate quam de virginis vexatione. Ante hoc biennium, cum conventui novum factum fuisset dormitorium, et lecti in eo dispositi ²⁾, vidit eadem sanctimonialis daemonem in specie homuncionis deformis satis et inveterati, omne dormitorium circuire, et lectos singulos tangere, quasi diceret: Loca singula diligenter notabo, quia non erunt absque visitatione mea. NOVICIUS: Quid est quod pius Dominus puellas tam teneras et tam mundas, a duris et immundis spiritibus tam crudeliter vexari sinit? MONACHUS: Amaro poculo ut nosti praelibato, dulce plus dulcescit; et colore nigro substrato, albus amplius clarescit. Lege Visiones Witiini, Godescalci, et aliorum, quibus concessum est videre poenas malorum et gloriam electorum, pene ubique visio poenalis praecedat. Volens Dominus sponsae suae secreta deliciarum suarum ostendere, bene eam prius permisit aliquibus visionibus horrendis ³⁾ tentari, ut postmodum amplius mereretur laetificari, sciretque distantiam inter dulce et amarum, lucem et tenebras ⁴⁾.

CAPITULUM XLV.

De infestationibus Elizabeth sanctimonialis a diabolo.

In eodem monasterio, quod Hovene ⁵⁾ vocatur, sanctimonialis quaedam est Elizabeth nomine, quam saepe diabolus infestat. Die quadam in dormitorio illum videns, et quia ipse esset non ignorans, alapham illi dedit. Cui cum diceret:

1) C statimque. — 2) ADP lecta — deposita, et sic postea lecta singula. — 3) BC horrendis visionibus. — 4) AD tenebras et lucem. — 5) Hoven prope Tulpetum.

Ut quid tam dure me caedis? respondit illa: Quia saepe me turbas. Ad quod diabolus: Multo amplius hesternae die turbavi sororem tuam cantricem, non tamen me percussit. Satis quidem illa die turbata fuerat. Ex quo colligitur, quod ira, rancor, impatientia et alia huiusmodi vitia saepe ex immissione sint diaboli. Alia vice cum eadem Elizabeth, matutinis nimis tardatis, opere ut post apparuit diaboli, ad campanam festinaret, candelamque ardentem in manu portaret, iam intratura fores oratorii, daemonem in specie viri, tunica indutum cultellata ¹⁾, contra se stare conspexit. Putans aliquem intrasse virorum, territa retrorsum per gradus dormitorii cecidit, ita ut per aliquot dies tam ex repentino terrore quam ex lapsu langueret. Nam et Abbatissa ex eodem casu stupefacta infirmitatem concepit. Quae dum causam illius lapsus atque clamoris ab ea sciscitata fuisset, et illa visionem exposuisset, adiecit: Si scivissem quod diabolus fuisset, et non homo, bonam illi alapham dedissem. Jam enim accinxerat fortitudine lumbos suos, et contra diabolum roboraverat brachium suum ²⁾.

CAPITULUM XLVI.

De inclusa, quae per Benedicite liberata est a daemone.

Alteri cuidam feminae propter Christum inclusae ita infestus fuit diabolus, ut etiam lectum illius violenter et impudenter ascenderet. A quo cum nullo posset remedio spirituali liberari, non oratione, non confessione, non signo crucis, diaboli importunitatem, propriamque vexationem cuidam viro religioso conquesta est. Cui ille tale consilium dedit. Cum tibi, inquit ³⁾, propius accesserit, dicas, Benedicite. Quod cum illa fecisset, malignus spiritus quasi turbine impulsus, se in saltus dedit, nec ulterius ad illam accedere ausus fuit. NOVICIUS: Gaudeo quod tantam virtutem ⁴⁾ audio in verbo nostrae salutationis. MONACHUS: Tanta est daemonum malitia, ut quos terroribus seducere vel frangere ⁵⁾ non praevalent, phantasticis visionibus seducant. Verbi gratia:

1) C cucullata, B cultello. — 2) Proverb. 31, 17. — 3) BC cum, inquit, tibi. — 4) C tantum virtutis. — 5) B frangere vel seducere.

Juxta castrum Volmuntsteine, quod situm est in Westfalia, quaedam habitat inclusa, Bertradis nomine, femina sancta et religiosa, et propter revelationes Dei, quibus illustratur, notissima. Haec multo tempore, quia minus circumspecta fuit, sicut audivi, pro angelo lucis angelum tenebrarum suscepit. Solebat enim diabolus phantastica circumfusis claritate, per quandam cellulae fenestram intrare ad illam, futura praedicere, et de interrogatis instruere. Ad quam si venisset quis ¹⁾, volens cognoscere statum alicuius amici sui defuncti, sive de alia re occulta certitudinem, illa inducias usque in crastinum petivit, angelum suum consuluit, a quo saepius decepta, falsa pro veris respondit. Quod cum comperisset frater Hermannus inclusus de Arnisberg, cuius in superiori distinctione capitulo octogesimo septimo memini, daemonum nequitas non ignorans, iam dictae inclusae mandavit in hunc modum: Cauta esto, soror, quia saepe angelus Satanae in angelum lucis se transfigurans, multos seducit, et viris sanctissimis nonnunquam illudit. Sic ergo facias. Crucem de cera benedicta fenestrae, per quam intrare consuevit, imprime, et si intrans illam non vitaverit, angelus Domini est; sin autem, angelus tenebrarum. Quod cum illa fecisset, et diabolus nocturno tempore cum solito fulgore venisset ad fenestram, et lumine immisso non intraret, ait femina: Quare non intras? Respondente illo: Non possum intrare, nisi ceram de fenestra proicias; illa diu se deceptam intelligens, contra eum sputit, in contumelias erupit, et ne de cetero talia praesumeret, sub invocatione summae Trinitatis illum adiuravit. Vides nunc qualiter Deus omnipotens contra diversas daemonum infestationes diversas creaverit medicinas? Alios a nobis compescit antidoto confessionis, alios verbis ²⁾ Dominicae annunciationis, scilicet, Ave Maria, quosdam per verbum Benedicite, multos per signum crucis. De his omnibus exempla habes in superioribus. NOVICIUS: Peccavitne inclusa haec, angelum tenebrarum pro angelo lucis recipiendo ³⁾? MONACHUS: Legi in scripturis maiorum, quod homo sic a diabolo

*) Homil. III. p. 188. — 1) B aliquis. — 2) ADP verbo. — 3) D suscipiendo.

deceptus ¹⁾ ei credendo mereatur, et hoc quamdiu bona ei suadet ²⁾. Non enim omnibus data est discretio ³⁾ spirituum. Unde Apostolus dicit ⁴⁾: *Probate spiritus si a Deo sint* ⁵⁾. Nec hoc silendum, quod ipse angelus Satanae non solum in claritate, quam assumit, transfigurat se in angelum lucis, sed et in vili effigie quibusdam solet apparere. Nam modo in specie porci vel canis, modo in forma ursi, catti vel cuiuslibet alterius animalis se hominibus ad deceptionem solet exhibere.

CAPITULUM XLVIII.

De converso, qui vidit daemonem phantasmata minare in chorum.

Visus est tempore quodam in Hemmenrode diabolus ⁶⁾ quasi gregem porcorum in ecclesiam minare, et eadem via, qua intraverat, denuo exire. Alio tempore conversus quidam, qui nomen suum vult suppressi, daemonem vidit in forma Prioris; et gestabat in collo quasi factum de stramine leguminis circum. Praecedebat eum ⁷⁾ unus de complicibus eius ⁸⁾, eumque eodem circulo quasi canem ducens. Interea ⁹⁾ cum in tali phantasia chorum transiret, accidit ut Prior eundem chorum ingrederetur, conversos, si quos dormientes invenisset, excitaturus. Quo intrante, visio illa phantastica ab oculis conversi mox subtracta est.

CAPITULUM XLIX.

De visionibus Hermannii cantoris.

Tempore quodam bonae memoriae Hermannus cantor noster, stans in choro, cum tempore aestivo laudes die clara decantarentur ¹⁰⁾, et oculos ex lassitudine clausos aperiret, posteriora quasi ursi de choro exeuntis conspexit. De qua visione cum satis miraretur, eundem ursum vidit redire, et stare ante

1) B a diabolo sic deceptus homo. — 2) BC ei bona suadet, D bona suadet. — 3) C gratia discretionis. Homil. I. p. 115: „non omnibus data est discretio spirituum.“ Conf. Cor. I, 12, 10. — 4) dicit add BC. — 5) Johan. I, 4, 1. — 6) diabolus add D. — 7) B enim. — 8) C suis. Mox omnes libri habent: eumque. Conf. VIII, 52. — 9) C praeterea. — 10) conf. similem locum IV, 32. p. 203.

presbyterium, in loco ubi monachi in viam exeuntes et redeuntes solent prosterni. Qui dum caput retorqueret, et hac illacque ¹⁾ circumspiceret, in vocem humanam erupit, dicens: Non curetis ²⁾. Licet modo sint firmi, ego egrediar, et iterum post modicum revertar. Sicque eo intuente egressus est. Huius visionis frater Richardus testis est, qui eam ab eius ore audivit. Iste est Hermannus, qui vidit coram Henrico Ficone ³⁾ amphoras cum vino, et ursum, sicut dictum est in distinctione quarta capitulo nonagesimo primo. NOVICIUS: Cum diabolus huiusmodi bestiarum formas ad nostram infestationem assumat, puto quod turpiter consentientibus illudat. MONACHUS: Hoc est certum.

CAPITULUM L.

De inclusa, quae daemones vidit super scapulas monachorum de Porceto.

Inclusa quaedam admodum religiosa Aquisgrani manet, satis mihi nota, cuius nomen supprimo, ne ei causa fiam persecutionis. Haec ante reclusionem, cum adhuc esset in aetate puellari, et in habitu saeculari, religiosa tamen, in humeris et in scapulis monachorum de Porceto deambulantium in oratorio daemones in formis symearum ⁴⁾ atque cattorum residere conspexit. Et quia ⁵⁾ quosdam ex illis iam per consensus vitiorum captivos tenebant, ad quemcunque locum sive personam phantasmata respiciebant, monachorum oculi sequebantur, et secundum levitates illorum gestus istorum formabantur. Vidit adhuc quod horribilius erat ⁶⁾. Quosdam ex illis canes magni et tetri antecedeabant, ita ut catenae, quae in eorum collis videbantur, etiam colla monachorum ambirent, quibus ad sua ludibria illos trahebant. NOVICIUS: Heu quod homines ad imaginem et similitudinem Dei creati, et dignitate ordinis etiam hominibus maiores effecti, qui spiritibus immundis imperare debuerant, ab ipsis propter malam vitam tam viliter illuduntur. MONACHUS: Hoc est quod Psalmista conqueritur dicens: *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est*

1) ACDP huc illucque. Mox ACDPKR conspiceret, B aspiceret. — 2) conf. infra VII, 7. — 3) C Fig. — 4) simiarum. — 5) quia om B. — 6) B est, ut Homil. I. p. 144: „suadet adhuc quod periculosius est.“

illis ¹⁾. NOVICIUS: Videtur mihi ex supradictis ²⁾, quod quandoque homo diabolo materiam det tentandi. MONACHUS: Hoc verum esse, uno tibi ostendam exemplo.

CAPITULUM LI.

De monacho a labore caulium recedente, et a diabolo per speciem mulieris mox tentato.

Stabat aliquando conventus de Hemmenrode in horto, plantaria caulium terrae infigens. Stabat et monachus unus cum ceteris, Thomas nomine, cui talis coepit cogitatio suboriri: Si modo esses in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur tam vilissimum ³⁾ opus facere. Exivit ergo de medio fratrum cum indignatione, illuc eum ducente spiritu ⁴⁾ superbiae, ubi fortius eum posset impugnare. Cum ergo in silva solus esset, tentator affuit, et quem ⁵⁾ prius sola cogitatione pulsaverat, nunc aperta impugnatione et visibiliter aggreditur. In specie namque mulieris apparens, coepit alloqui eum. At ille digitum superponens ori suo, signavit sibi non licere loqui ⁶⁾. Sed mendaciorum omnium caput et pater, ilico per mulierem illam phantasticam, quam effigiaverat ad deceptionem ⁷⁾, respondit: Quid hoc sit, inquit ⁸⁾, nescio. Ego venio de conventu, et Prior dedit mihi licentiam ut loquerer tecum. Credidit ille, et locutus est. Tunc illa asseruit, parentes ipsius misisse pro eo, et oportere eum Treverim ire secum ad emendum equum, et sic transire in terram suam. Praecedendo igitur misera, miserum ducebat, ipsa quidem fructorum omnium condensa sine impedimento transiens, ille vero cum magna difficultate sequebatur. Tandem asperitate itineris et laboris turbatus, in nomine, inquit, Patris, quomodo sic imus? Quo dicto, maligna illa mulier citius ⁹⁾ evanuit. Et cum coeli esset serenitas, magna eadem hora circa eum facta est tempestas et pluvia, ipsumque madefactum exterius, interius confusum remisit ad conventum. Confessus est postea ¹⁰⁾, quia quamdiu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis titillationem habuerit ¹¹⁾.

1) Psal. 48, 13. — 2) B praedictis. — 3) B tam vile. — 4) A deducente spiritu, D ducebat spiritus. — 5) ACDP qui. — 6) C significavit non licere sibi loqui, ADP significavit non licere loqui sibi. — 7) B decipiendum. — 8) CD nescio, inquit. — 9) C citius maligna illa mulier, B citius illa maligna mulier. — 10) AP postea est. — 11) ACDP habuerat.

NOVICIUS: Puto quod fuerit spiritus fornicationis. MONACHUS: Juste moveris. Saepe enim peccatum peccato punitur, et per lapsum carnis superbia mentis in multis ¹⁾ humiliatur. Inde habes exempla plurima in Vitaspatrum. NOVICIUS: Potest diabolus laedere aliquem ²⁾ prout vult? MONACHUS: Nequaquam sine Dei permissione, et hoc in corpore, sicut Job. Nunquam vero in anima hominem laedere potest, id est, ut eum peccare cogat, nisi mente consentiat.

CAPITULUM LII.

Quod diabolus similis sit leoni ad stipitem ligato.

Diabolus similis est urso sive leoni ad stipitem ligato, qui licet in catena sua rugiat circuiens, neminem tamen laedit, nisi quem infra suum circulum rapuerit. Diaboli potestas catena divinae cohibitionis sic artata est, ut neminem cogere possit ad peccandum, nisi ad eum ingrediatur per peccati consensum. Secundum Apostolum Petrum, tanquam leo rugiens circuit in sua catena, quaerens quem devoret ³⁾. Saepe sanctos viros terret et impedit, sed nocere non potest.

CAPITULUM LIII.

De canonico Bonnensi ab eo tentato.

In Bonnensi ecclesia, sicut audivi ab eius concanonicis, vir quidam exstitit castus multumque religiosus, cui diabolus ita erat infestus, ut saepe noctibus cum lecturus esset lectionem ad matutinas, literam tegetet vel folium verteret, et quandoque lumen exsufflaret. Hoc ideo egit, ut virum sanctum coram fratribus confunderet, et confundendo ad impatientiam provocaret. Cuius nequitia tanta est, ut cum religiosos irritare vel impedire non valet ⁴⁾, saltem eos irrideat et ⁵⁾ subsannet.

1) B in illis. — 2) BC aliquem laedere. — 3) Petr. I, 5, 8. — 4) B valeat. — 5) irrideat et om D; ceteri libri omnes habent impediatur et.

CAPITULUM LIV.

Quod conventum Montis sanctae Walburgis irrisit.

Retulit mihi quaedam religiosa sanctimonialis ordinis nostri, Petrisa nomine, quod cum staret in quadam sollemnitate ad matutinas a ceteris sororibus semota, et aliis valide psallentibus, in gratiarum actionem erumperet dicens: Benedictus sis, Domine, quod iste dilectus conventus tam devote te laudat, tu illis retribuas; mox audivit strepitum horridum¹⁾, quasi alicuius de retro ad conventum properantis, claraque voce dicentis: Hoc fiet pro Deo, orationem eius subsannans. Et inhorruerunt continuo omnes capilli²⁾ capitis eius. NOVICIUS: Saepe subitus horror invadit me, tam in choro quam in reliquis locis. Quae tibi videtur huius horripilationis esse ratio? MONACHUS: Ex praesentia daemonum est. Natura canis, qui lupum insequi consuevit, talis est, ut eum ex quadam vi naturae iuxta se sentiat, cum tamen oculis illum non videat. Et quia inter eos odium naturale est³⁾, statim turbatur et latrat. Sic est inter hominem et diabolum. Inimicitias posuit inter eos Dominus. Unde vae homini, qui cum illo pacificatur. Semper calcaneo eius diabolus insidiatur⁴⁾. Et licet eum homo exterior non videat, interior⁵⁾, id est, spiritus, spiritus⁶⁾ illius maligni iuxta se praesentiam bene sentit. Quid ergo mirum si tunc turbatur, si horrorem patitur? Hoc verum esse, sub exemplo tibi demonstrabo.

CAPITULUM LV.

De sacerdote, quem cum gladio euntem ad ecclesiam diabolus terruit.

Juxta Coloniam sacerdos quidam fuit Mychael nomine, satis religiosus in genere suo. Hic⁷⁾ duarum villarum ecclesias rexit, ex quibus una Burge⁸⁾, altera Rode vocatur. Tempore quodam in⁹⁾ Parascheve, cum in una ecclesia sero matutinas dixisset, et ante diem, servo suo absente, solus ad alteram properaret, timore viae gladium secum portavit. Qui

1) BC horrendum. — 2) C pili. — 3) D est odium naturale, BC naturale est odium. — 4) Genes. 3, 15. — 5) C interior tamen. — 6) spiritus om BC. — 7) Hic add C. — 8) B Berge. — 9) in abest a libris.

cum ad quoddam nemus venisset, tantus timor et horror eum invasit, ut omnes pili capitis eius, sicut dici solet, sursum erigerentur, et gelido sudore omnes eius artus ¹⁾ perfunderentur. Quem tamen ²⁾ tanti horroris causa latere non potuit, quia mox ut oculos ad nemus vertit, hominem teterrimum iuxta arborem satis altam stare conspexit. Qui eo intuente in momento adeo crescendo ascendit, ut eidem arbori aequaretur; circa quem fragor arborum et nimii fremitus ventorum excitabantur. Territus supra modum sacerdos, fugit ³⁾, quem diabolus cum turbine a tergo insequens, usque ad villam Rode non deseruit. Postea cum idem sacerdos visionem simul et timorem converso coenobii Veteris Montis, Richardo nomine, recitaret ⁴⁾, ille, sicut vir erat ⁵⁾ religiosus, religiosum ei verbum respondit: Domine, inquit, ecclesiastice, si ad divina eundo ⁶⁾ psalmum in os vestrum assumissetis ⁷⁾, non vobis haec in via evenissent. Terror ille poena peccati fuit. Diabolus revera timet psalmum, non gladium. *Corpus eius*, ut ait Job, imo Dominus ab Job, *quasi scuta fusilia, squamis* ⁸⁾ *se comprimentibus. Deputabit* ⁹⁾ *quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, aes. Non est super terram potestas, quae comparetur ei* ¹⁰⁾. NOVICIUS: Sicut colligo ex his verbis sancti Job, si diaboli virtus ligata et limitata non esset, nullus hominum subsistere posset ¹¹⁾. MONACHUS: Quod autem hominem laedere non possit, nisi quantum a Deo fuerit permissus, in fine huius distinctionis satis manifesto tibi pandam exemplo.

CAPITULUM LVI.

De campanario, quem diabolus transtulit in pinnam castris Ysinburg.

In villa quadam, ante paucos annos Dioecesis Coloniensis, quae Ambula ¹²⁾ vocatur, campanarius ¹³⁾ fuit, et forte adhuc

- 1) BC artus eius. — 2) C etiam. — 3) C transivit. — 4) ACP converso nostro Richardo recitaret, B Richardo converso nostro recitaret. — 5) ABCP est. — 6) BC eundo ad divina. — 7) BC sumissetis. — 8) R compactum squamis; mox CP sese. — 9) R reputabit. — 10) Job 41, 6. 18. 24. — 11) BC subsisteret. — 12) si Ambula ante paucos annos Dioecesis Coloniensis fuit, liquet eam non esse villam Amelen prope Juliacum. Forte intelligenda est villa Amblava, hodie Amel dicta, sitaque ad fluvium Ambleve prope oppidum S. Vith. — 13) BC campanarius quidam.

vivit, votum habens cuiusdam peregrinationis. Hic cum die quadam condixisset cum femina quadam villae suae, quod mane pariter ituri essent, illa eum rogavit, ut maturius¹⁾ matutinas pulsaret, propter solis fervorem. Et promisit. Eadem nocte diabolus ad lectum eius veniens, tetigit eum et ait: Pulsa matutinas. Sicque discessit. Qui mox surgens, et lumen in ecclesia ardens respiciens²⁾, cum ante primum galli cantum esse deprehendisset, putans quia a praedicta femina fuisset excitatus, de ecclesia exivit, volens illi dicere ut iret dormitum, eo quod nimis mane esset. Quam cum quaereret, nec inveniret, bovem nigrum contra se stare vidit³⁾. Qui lingua emissa hominem tetigit, eumque super dorsum suum per illam misit, et per aerem cum illo volitans, super pinnam turris castri, quod Ysinburg dicitur, deposuit. Cui cum diceret: Timesne aliquid⁴⁾ modo? respondit ille: Dei permissione huc⁵⁾ ductus sum, nihil contra me poteris, nisi quantum ille permiserit. Ad quod diabolus: Fac mihi hominium, et ego te deponam, daboque tibi divitias multas. Quod si non feceris, vel fame in hoc loco morieris, vel praecipitio interibis. Cui campanarius, spem habens in Christo, respondit: Adiuro te per nomen Jesu Christi, ne me laedas, et ut me sine periculo corporis mei deponas. Mox diabolus illum tollens, in campo iuxta villam Gerinsheim⁶⁾ satis incommode deposuit ante lucem diei, in dedicatione ecclesiae eiusdem villae. Diluculo homines ad matutinarum sollemnia cum faculis properantes, cum hominem in agro in magno defectu reperissent, atque refocillassent, auditis his, quae ei contigerant, satis mirati sunt. Quarto vero die regressus in domum suam, situm tam locorum quam aedificiorum, quae nunquam ante viderat, tam plene omnibus exposuit, ut de raptu eius nihil dubitarent. NOVICIUS: Jam mihi satis fateor probatum tam sententiis quam exemplis, daemones esse, multos esse, malos esse, et infestos esse hominibus. MONACHUS: Unum⁷⁾ consilium meum est, ut cognitis his, non illis consentiamus, ne nos audire contingat: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius; sed re-*

1) DR maturius surgeret et. — 2) ADP ardere conspiciens. — 3) B conspexit. — 4) aliquid om BC. — 5) B hic. — 6) Gerresheim villa notissima iuxta Dusseldorpium. — 7) ADP unde.

sistendo illis, omnibusque vitiis, audire mereamur cum electis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*¹⁾.



DISTINCTIO SEXTA DE SIMPLICITATE.



CAPITULUM I.

De virtute simplicitatis.

INTER omnia virtutum antidota contra tentationum incommoda ipsosque tentatores daemones, maioris efficaciae esse videtur usus²⁾ simplicitatis. Haec virtus felle caret totius amaritudinis, irae, invidiae atque³⁾ rancoris, caret et oculo venenato suspicionis, denteque canino detractionis. Simplicitas maxime necessaria est noviter conversis, quia si voluerit novicius ordinis simplicitatem⁴⁾ reprehendere, facta seniorum⁵⁾ et instituta maiorum iudicare, quare sic vel sic illa et illa fiant, cum magistro suo⁶⁾ disputare, nunquam quiescet. Unde Abbas Karolus, cum essem in probatione, mihi dicere consuevit: Frater, si vis quiescere in ordine, ordinis simplicitas sufficiat tibi⁷⁾. Virtutem simplicitatis Isaias in electis admirans ait: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas*⁸⁾? Fenestrae columbarum sunt oculi simplicium monachorum. Horum volatus, sublimitas est contemplationis; visus columbinus, simplicitas intentionis. Uterque oculus religiosorum simplex esse debet, exterior videlicet et interior. Oculus corporis, ut procul sit suspicio; oculus cordis, ut recta sit intentio. Haec⁹⁾ opus per se malum facit bonum, et econverso, sicut in sequenti capitulo satis aperto tibi ostendam exemplo. NOVICIUS: Bene hoc concedo, quia Salvatorem dixisse recolo: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*¹⁰⁾. MONACHUS: Revera, ubi

1) Matth. 25, 41. 34. — 2) B videtur esse virtus. — 3) atque add BC. — 4) B simplicitatem ordinis, ADP ordinem simplicitatis. — 5) seniorum add C. — 6) cum magistro suo om C. — 7) BC tibi sufficiat. — 8) Isai. 60, 8. — 9) C hoc. — 10) Matth. 6, 22.

simplex fuerit intentio, ibi necesse est ut lucida sequatur actio; sicut econtrario, oculus nequam, id est, intentio mala atque perversa, totum corpus, id est, opus, efficit tenebrosum. Unde bene in sexta distinctione tractandum videtur de simplicitate, quia sicut senarius numerus naturaliter est perfectus, ita haec virtus, secundum iam dictam sententiam Salvatoris, totum hominem luminosum facit¹⁾ atque perfectum. Jacob simplex a patre benedicitur; filius eius Joseph simplex²⁾ toti Aegypto a Pharaone praeficitur; Job simplex a Domino commendatur. Virtus simplicitatis a Christo discipulis praedicatur: *Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*³⁾. Simplicitati coniungit prudentiam, propter vecordiam. Item dicit: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut pueri*⁴⁾, id est, humiles et simplices, *non intrabitis in regnum coelorum*⁵⁾. Simplicitas via est ad Deum, grata angelis, hominibus delectabilis. Unde ceteris virtutibus omissis, quanta sit efficaciae sancta simplicitas, paucis explicabo exemplis.

CAPITULUM II.

*De simplici monacho, qui carnes in castro comedendo,
pecora monasterii sui reduxit.*

Dominus Wido Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cum missus fuisset Coloniam ad electionem confirmandam, quae facta fuerat contra Philippum in Ottonem, retulit ibidem quandam sanctae simplicitatis historiam, satis iocundam satisque mirabilem. Dicebat domum quandam ordinis nostri in terra cuiusdam nobilis viri atque potentis fuisse sitam. Quam idem tyrannus, eo quod Deum non timeret, neque hominem revereretur, multis modis saepe molestavit. De annonae, vino et pecoribus, quotiens et quantum voluit, tulit, quantum voluit fratribus dimisit. Cumque hoc ex consuetudine et quasi pro lege habens actitaret, et conventus, querimoniis multis inutiliter delatis, gemens taceret⁶⁾, die quadam maximam partem rapuit armenti, praecipiens illam ad castrum suum minari. Quo cognito, Abbas et fratres satis turbabantur, in quorum consilio quid facto opus esset, satis tractabatur. Visum est eis

1) A fecit, BC efficit. — 2) simplex add BC. — 3) Matth. 10, 16. — 4) C parvuli. — 5) Matth. 18, 3. — 6) consentiunt omnes libri in hac vitiosa lectione: et conventus querimoniis multis inutiliter taediati, gementes tacerent,

aliquem ire debere ad castrum, per quem saltem merces ¹⁾ ei innotesceret, maxime Abbatem. Qui respondit: Ego non ibo, quia monendo illum nihil proficimus, sed aerem tantummodo verberamus. Simili modo excusante se Priore et cellerario, subiunxit Abbas: Estne hic aliquis, qui adhuc semel ire velit? Tacentibus cunctis, unus divinitus inspiratus, promte ²⁾ respondit: Monachus ille vadat, hominem senem ac simplicissimum nominans. Vocatus est monachus; si ire vellet ad castrum inquiritur, obedit, mittitur. Qui cum ab Abbate recederet, ex multa cordis sui simplicitate verbum hoc protulit: Pater, inquit, si aliqua portio mihi fuerit restituta, recipiam, an non? Respondit: Quicquid rehabere poteris, accipias ³⁾ in nomine Domini. Melius est aliquid, quam nihil. Abiit ille, venit ad castrum, nuncium Abbatis et fratrum cum orationibus deferens tyranno. Et quia simplicitas iusti, secundum Job ⁴⁾, lampas est contempta in oculis malorum, tyrannus sermones eius parvipendens et irridens ait: Domine, exspectate, donec pransus fueritis, tunc enim respondebitur vobis. Hora prandii ad mensam communem positus est, et cibaria communia, carnes scilicet in bona quantitate, ei sicut ceteris sunt appositae. Vir sanctus verbi Abbatis sui reminiscens, et carnes, quae tam laute ministrabantur, de pecoribus monasterii sui esse non dubitans, quantum ex carnibus sumere potuit, cum ceteris, ne inobediens esset, manducavit. Dominus castri ex opposito cum uxore residens, et quia monachus manducaret carnes, satis considerans, finito prandio hominem vocavit seorsum, et ait: Dicite mihi, bone domine, solet conventus vester manducare carnes? Respondente illo: Nequaquam; adiecit: Quid cum exeunt? Nec intus, inquit, nec extra carnes comedunt. Tunc tyrannus: Et quare vos comedistis hodie ⁵⁾ illas? Respondit monachus: Cum Abbas meus huc me mitteret, praecepit mihi, ut quicquid ex pecoribus rehabere possem, accipere non recusarem. Et quia mihi constabat carnes appositae fuisse monasterii mei, item quia timui nil amplius mihi fore restituendum, nisi quantum dentibus capere possem, comedi propter obedientiam, ne omnino vacuus redirem.

1) hoc est, poena, quam accipiet a Deo propter suas depraedationes. Pro saltem merces omnes libri habent satis inepte: saltem res. — 2) ACDP yronice. — 3) C potueris, recipias. — 4) Job 12, 4. 5. — 5) B hodie comedistis, C hodie manducastis.

Et quia Deus simplicem non proiicit, nec porrigit manum impiis¹⁾, scilicet contra illum, audito eius verbo, et in simplicitate eius motus, imo a Spiritu sancto, qui per os senis loquebatur, admonitus, respondit vir nobilis: Expectate me hic, ego consilium habebo cum uxore mea, quid vobis faciam. Ad quam cum venisset, et senis ei verba per ordinem recitasset, adiecit: Timeo celerem Dei super me vindictam, si vir iste tam simplex et tam rectus aliquam nunc a me passus fuerit repulsam. Similiter et illa respondit, quia eodem spiritu accensa fuit. Reversus ad senem, ait: Bone pater, propter sanctam simplicitatem vestram, quae me ad misericordiam inflexit²⁾, monasterio vestro quicquid adhuc de pecoribus superest³⁾ restituam, de illatis a me iniuriis in quantum potero satisfaciam, et nunquam ab hac die illud turbabo. Ad quod verbum senex gratias illi referens, cum rapina ad monasterium laetus rediit, et⁴⁾ Abbate et fratribus stupentibus, verba potentis retulit. Pacem ab illo tempore habentes, quanta esset virtus simplicitatis exemplo didicerunt. Ecce habes⁵⁾ exemplum, quod opus aliquando per se malum, propter oculum simplicem, id est, bonam intentionem⁶⁾, efficiatur lucidum et bonum. Revera monachus idem comedendo carnes, et hoc in castro, peccasset, si simplicitas illum non excusasset. Quod autem non solum non peccaverit, imo etiam meruerit, rei exitus ostendit⁷⁾. NOVICIUS: Peccantne illi, qui monachis exeuntibus carnes, sagimen, vel ius carniū apponunt, et illos aliquo artificio ut comedant, decipiunt? MONACHUS: Non videntur peccare, si eos impellit necessitas hospitalitatis, vel, quod dignius est, fervor caritatis. Edentem excusat a peccato ignorantia, vel simplicitas; ministrantem, ut dixi, caritas. Ecce exemplum.

CAPITULUM III.

De Christiano Decano Bonnensi, qui Abbati pisam sagimine conditam apposuit in simplicitate.

Bonae memoriae Christianus Decanus Bonnensis, vir bonae vitae, et valde literatus, qui apud nos novicius defunctus est, cum in virtute hospitalitatis plurimum ferveret, die quadam

1) Job 8, 20. — 2) BP reflexit. — 3) ACDP est. — 4) et om BC. — 5) ACDP hic. — 6) id — intentionem add C. — 7) C probavit.

Hermannum Abbatem de Hemmenrode, quondam Decanum sanctorum Apostolorum in Colonia, virum aequè literatum ac discretum, ad mensam suam invitavit. Et cum non esset ibi pulmentum sine carnibus, secretae praecepit ministro, ut lardum extraheret, sicque pisam Abbati apponeret. Comedente illo simpliciter apposita, monachus eius qui tam simplex non fuit, particulam lardi in scutella sua reperiens, Abbati mox ostendit. Qua visa, statim scutellam amovit Abbas propter conscientiam. Venientibus eis in viam, Abbas de curiositate monachum arguit, dicens: Male habeas, quod hodie abstulisti mihi pulmentum meum. Si tacuisses, ego ignoranter comedens comedendo non peccassem. Facto huic contrarium recordor fecisse Daniele Sconaviae¹⁾.

CAPITULUM IV.

De Godescalco monacho, qui in Sigeberg artocreas sagimine decoctas simpliciter manducavit.

Tempore quodam cum idem Daniel, tunc Prior noster, pranderet in Sigeberg, et esset cum eo frater Godescalcus de Volmuntsteine, monachus simplex et iustus, appositae sunt eis a fratribus eiusdem coenobii artocreae, in sagimine decoctae²⁾. Quod Prior mox odoratu deprehendens³⁾, comedere noluit, non⁴⁾ tamen monachum comedentem prohibuit. Finito prandio, cum loqui possent, dixit Godescalcus Priori: Domine Prior, quare non comedistis de artocreis? Valde enim erant bonae⁵⁾. Respondit ille: Non mirum si valde erant bonae, quia valde bene erant sagiminatae. Et quare, inquit, hoc non signastis mihi? Respondit Prior: Ego nolui vobis auferre cibum vestrum. Nolite contristari, quia ignorantia excusabit vos. Erat enim idem Daniel vir literatus, et ante conversionem Scholasticus. NOVICIUS: Non miror quod monachi quandoque decipiuntur in sagimine et carni pinguedine; sed quod tam simplices sunt aliqui, quod in grossa substantia, id est, in ipsis carnibus seduci⁶⁾ possunt, satis admiror. MONACHUS: Puto hoc quandoque fieri propter caritatem ministrantium. Cum sanctus Theophilus Alexandrinus Epi-

1) BC Daniele Abbatem Sconaviae. — 2) BC et pr A apposita — artocrea — decocta. — 3) D percipiens. — 4) BD nec. — 5) B et pr A bona; sic et paulo post. — 6) BC pie seduci.

scopus tempore quodam plures ex sanctis patribus ¹⁾ ad prandium invitasset, eisque carnes ex avibus apposuisset, putabant se omnes olera comedere, donec ab ipso proditum est quod appositum fuerat. Non enim erat illis visus cum gustu ablatu, sed propter caritatem ministrantis, divinitus immutatus. Simile pene egit dominus Ensfridus ²⁾ Decanus sancti Andreae temporibus meis. Hoc etiam noveris, quod ex dissuetudine scientia ³⁾ discernendi inter cibos gustui minuatur. Non enim mirum si dominus Theobaldus Abbas Eberbacensis, qui in quinquaginta sex annis, quibus in ordine fuit, nunquam carnes comedit, sub typo piscium illas comedendo, falli potuisset. Praedictus enim Ensfridus pro rumbo monachis carnes apposuit, et illi comederunt. NOVICIUS: Casum hunc plenius nosse vellem. MONACHUS: Viri huius venerabilis vita tantis misericordiae operibus exstitit ornata, ut digna sit poni super candelabrum. Casum de quo quaeris, et reliqua eius opera, quae ex parte vidi, et ex parte aliis referentibus didici, fida tibi pandam relatione. In eadem enim ecclesia, in qua Decanus fuit, literas didici, et poenitet me nunc de eius virtutibus tam pauca investigasse.

CAPITULUM V.

Vita domini Ensfridi Decani sancti Andreae in Colonia.

Igitur Ensfridus de Episcopatu Coloniensi oriundus fuit, vir simplex et rectus et in misericordiae operibus praecipuus. Qualis eius vita ante sacerdotium fuerit, vel quid in adolescentia egerit, nescio. Quod autem cum illo creverit et convalescerit ⁴⁾ miseratio, ex actibus ⁵⁾ eius sequentibus colligo. Quod docilis fuerit ingenio, sollicitus in discendo, effectus comprobavit. Adeo enim in puerilibus fundatus erat, ut, sicut ab eo audivi, iuvenis scholas regeret, et plurimos tam verbo quam exemplo, non solum ad discendum, sed, quod pluris est ⁶⁾, ad bene vivendum informaret. Ordinatus sacerdos, ecclesiam in Sigeberg, parochiam scilicet bonam, id est, oblationibus pinguem, regendam suscepit, in qua scientiam in actum produxit. Foris non mansit peregrinus, ostium eius

1) B fratribus sanctis. — 2) BC Eufridus. — 3) C etiam fit ex dissuetudine quod scientia. — 4) DP et pr A coaluerit. — 5) BCD actis. — 6) ADP erat.

patuit viatori ¹⁾). Pater erat viduarum, consolator orphanorum, lima peccatorum. Nam cum in domo eius plures nutrentur scholares, et esset columbinae simplicitatis, tempore illo, quo matura erant cerusa ²⁾, dicebat cellerario suo: Bone, licentia pueris, ut ascendant arbores, ut ³⁾ de cerusis comedant, quantum volunt et quantum possunt, nec est necesse te alia eis dare cibaria, quia in nullo cibo tantum delectantur. Non hoc dicebat ex aliqua tenacitate, sed ex multa cordis sui pietate ⁴⁾. Quod cum per dies aliquot factum fuisset, et licentia concessa pueris sicut pueris placuisset ⁵⁾, ait illi cellerarius: Certe, domine, nisi pueri aliis utantur etiam cibariis ⁶⁾, cito deficient. Et acquievit statim. Post haec ⁷⁾ factus est Coloniae in ecclesia sancti Andreae canonicus, et non multo post, ob vitae meritum, in Decanum sublimatus. Qui licet vitae esset irreprehensibilis, et polleret virtute ⁸⁾ castimoniae, maxime tamen fervebat in operibus misericordiae. In parochia sancti Pauli, quae attinet ecclesiae sancti Andreae, pauper vidua non fuit, cuius lares ignoraret, quam suis eleemosynis non visitaret. Tantum panis ex eius mensa ostiatim mendicantibus dabatur, tantum aeris ex eius manibus in gazophilacium Christi, id est, in ⁹⁾ manus pauperum, mittebatur, ut multi, qui eius annuos redditus noverant, mirarentur. Habebat autem ¹⁰⁾ cognatum, Fredericum nomine, eiusdem ecclesiae canonicum, officio cellerarium. Iste avunculum saepius arguere consuevit de indiscreta liberalitate, et ipse versa vice increpabatur ab illo de nimia parcitate. Habebant enim communes expensas, et idcirco satis gravabatur Fredericus, quia quicquid rapere poterat Decanus, occulte dabat pauperibus. Tempore quodam idem Fredericus de officio suo multos et magnos habens porcos, occidit, et in pernas formavit, easque in coquina ¹¹⁾ tempori congruo reservandas suspendit. Quas Decanus frequenter intuens, earumque suspendio satis invidens, cum nullam ex eis a cognato petere posset vel ¹²⁾ praesumeret, dolum sanctum, dolum pium, dolum memoria dignissimum ex-

1) Job 31, 32. — 2) ACP cerasa. — 3) ADP et. — 4) ADP simplicitate. — 5) ADP et licentia pueris esset concessa, sicut eis placuit. — 6) D aliis etiam utantur cibariis, C aliis etiam cibis utantur, B etiam aliis cibis utantur. — 7) C hoc. — 8) ACDP in virtute. — 9) in om C. — 10) ACDP enim. — 11) ACDP coquinam. — 12) posset vel om BC.

cogitavit. Quotiens neminem sensit esse in coquina, ipsam latenter intrans, et nonnunquam nacta occasione pueros emittens, scala suspensorium ascendit, et ex ea parte pernas, qua muro coniungebantur, omnes pene usque ad medietatem incidit. Anteriorem vero integram reliquit, ut aliarum incisiones celarentur. Ista faciebat per dies multos, carnes abscisas viduis, egenis atque pupillis distribuens. Quid plura? Tandem furtum rei familiaris cognoscitur, fur quaeritur, sed citius invenitur. Furit clericus, silet Decanus, et cum ille fratrum praebendam et totius anni subsidia se perdidisse conquereretur, vir sanctus verbis quibus potuit eum lenire studuit, dicens: Bone cognate, melius est ut modicum defectum patiaris, quam pauperes fame ¹⁾ moriantur. Bene tibi Dominus restituet. Quibus verbis placatus tacuit. Alio tempore eunte eo ad sanctum Gereonem, puto quod in sollemnitate fuerit eiusdem Martyris, pauper eum importunis clamoribus sequebatur, et cum non haberet quod illi dare posset, scholarem se sequentem paululum antecedere iussit. Secedensque in angulum iuxta ecclesiam beatae Dei genitricis Mariae, ubi Episcopis in die Palmarum consuetudinis est populo facere indulgentiam, quia aliam vestem exuere non potuit, aspiciente paupere femoralia sua solvit, et cadere dimisit ²⁾. Quae ille levans, gaudens discessit. Quam virtutem cum vir sanctus occultare vellet, nutu Dei tali occasione posita est super candelabrum, ut posteris esset in exemplum. Reversus a ³⁾ sancto Gereone, cum ad prunas sederet, nec pelliceum se calefacturus secundum consuetudinem levaret, dixit ei praefatus Fredericus: Levate pelliceum, et calefacite vos. Erat enim frigus, et ipse senex homo erat. Respondente eo: Non est necesse; subiunxit ille: Satis puto quod non habeatis bracas, hoc ipsum in rubore vultus eius considerans. Tandem ille confessus est, sibi illas delapsas ⁴⁾ fuisse, tacita virtute. Ad quod verbum clericus risit, per cuius os haec publicata sunt. NOVICIUS: Tale aliquid non legitur in actis ⁵⁾ sancti Martini. Plus fuit bracas dare, quam pallium dividere. MONACHUS: Propter haec aliaque his similia facta ⁶⁾, quidam dixerunt, nunquam

1) fame add D. — 2) B permisit. — 3) C de. — 4) ABCD dilapsas. — 5) C actibus. — 6) AD aliaque eius etiam facta, PKR aliaque eius facta, etiam, B aliaque eius facta, C aliaque eius opera.

se legisse de aliquo homine, qui tantae fuerit circa pauperes compassionis, tantae misericordiae ac pietatis. Vestimenta sua pauperibus pene sine discretione largiebatur, et cum algeret, aliaque mitterentur, de illis simile faciebat. Semper habebat in corde illud Salvatoris: *Date, et dabitur vobis*. Compassus est ei venerabilis plebanus sancti Jacobi, dominus Everhardus, cuius memini in distinctione quarta capitulo nonagesimo octavo, quibus erat in Domino cor unum et anima una. Cum ¹⁾ vellet ei vestem aliquam dare, ut illa diutius uteretur, dixit: Ego vobis hanc vestem accommodabo ²⁾. NOVICIUS: Puto quod multum liberalis fuerit circa hospites, qui sic profusus exstitit circa pauperes. MONACHUS: Quanta illos caritate suscepit, sequens narratio declarabit. Cum die quadam viros religiosos, non mihi constat utrum fuerint Cistercienses, vel Praemonstratenses, hospitio ³⁾ suscepisset, et cibi regulares deessent, piscesque non haberet, dicebat coco suo: Pisces non habemus, monachi simplices sunt et esuriunt, vade fac ⁴⁾ esicium, et ossibus eiectis, cum piperamentis praepara, sicque appones et dices: Comedite de bono rumbo. Quod cum factum fuisset, illi, sicut viri boni et simplices, boni sui hospitis ac simplicis pium dolum non observantes, nihil etiam, tum propter regulare silentium, tum propter conscientiam, interrogantes, apposita pro pisce comederunt. Scutella pene evacuata, cum unus auriculam porcinam reperisset, et socio, vidente Decano, ostendisset, ille ⁵⁾ aliquid indignationis simulans intulit: Comedite pro Deo, monachi non debent esse tam curiosi; rumbo etiam aures habet. Humani generis inimicus diabolus, tantis virtutibus invidens, illumque turbare volens, visibiliter tempore quodam se eius obtutibus obiecit, et versibus his eum alloquens, disparuit:

*Mors exemplificat, quod longius ⁶⁾ haud tibi restat
Vita, nec incolumis amplius, Ensfrid, eris.*

Vides quanta sit versuti diaboli stultitia? In quo virum sanctum putabat se impedire, in hoc illum promovit. Nam postea circa annos triginta vixit, tanto in operibus iustitiae ferventior, quanto prophetatus est morti fore vicinior ⁷⁾. In

1) DR cumque. — 2) BC ego vobis accommodo hanc vestem. — 3) ABCDPK in hospitio. — 4) ABDP accipe. — 5) ille add BC. — 6) C longior. — 7) C fore morti confinior.

quadam sollemnitate, cum eum dominus Adolphus, maioris ecclesiae Decanus, postea Coloniensis Archiepiscopus, ad convivium suum invitasset, renuit ille, dicens se magnos hospites habere. Dicta missa, cum ad domum suam vir beatus festinaret, Godefridus eius concanonicus, maioris ¹⁾ Decani notarius, qui mihi ista recitavit, de fenestra solarii Portae Clericorum respiciens, vidit plures pauperes illum sequentes, ex quibus alii claudi, alii caeci fuere. Et cum non possent transire lapides, qui plateam illic ²⁾ dividunt, ipse, cum esset aetatis decrepita, manum singulis porrigebat. Statim clericus dominum suum ad fenestram vocans, ait: Ecce domine, isti sunt magni hospites, quos Decanus meus dicebat se habere. Et non modicum aedificatus est uterque. Aliud quoddam pietatis opus simile huic ego de illo vidi. In anniversario domini Brunonis Coloniensis Archiepiscopi, ecclesiis conventualibus ad ecclesiam sancti Pantaleonis Martyris, quam idem Bruno extruxit ³⁾, confluentibus, cum dicta pro anima eius missa, Priores, secundum institutum, refectorium pransuri intrassent, dominum Ensfridum nescio quot pauperes sequebantur usque ⁴⁾ ad ostium refectorii. Quem cum refectorarius introducere vellet, pauperibus exclusis ⁵⁾, commotus ille clamavit: Ego sine istis hodie non intrabo. Noverat vir prudentissimus, pauperes esse amicos Dei ⁶⁾, camerarios coeli, bene habens in memoria consilium illud filii Dei: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula* ⁷⁾. Hinc est quod tempore quodam, cum positus fuisset iuxta ⁸⁾ reliquias, monere intrantes ut darent eleemosynas ad aedificia ecclesiae, cuius tunc custos erat, his verbis populum allocutus est: Boni homines, bene videtis quam grandia disposita sint hic aedificia, bene quidem facietis dando eleemosynas vestras ad illa, melius tamen et tutius in pauperes ⁹⁾ eas locatis. Hanc praedicationem bonae memoriae Fredericus monachus noster intrans cum militibus ecclesiam sancti Andreae tunc audivit, mihi postea saepius illam recitavit. Personas Deum timentes, ut et ipse illarum meritis esset particeps, de suo stipendio

1) B maioris ecclesiae. — 2) B illuc, C illam. — 3) CP construxit. — 4) usque add BC. — 5) BC exclusis pauperibus. — 6) B Christi. — 7) Luc. 16, 9. — 8) ADP ante. — 9) ABDP pauperibus.

pascere curavit. Unde et venerabilem illam inclusam ordinis nostri, dominam Heylekam, secundum nomen suum vere sanctam, cuius cella monasterio sancti Andreae adhaerebat, de sua praebenda, quoad vixit, sustentavit. Aliorum enim eleemosynas beata illa recipere recusavit. Solebat autem inopes appellare thesauros coelestes¹⁾, quos tinea non demolitur et quos fures non effodiunt, neque furantur²⁾. Unde, sicut supra dictum est, multo illi amplior³⁾ cura fuit de consolatione pauperum, quam de aedificiis, vel thesauris et ornamentis perituris ecclesiarum. Pueros pauperes, manus ulcerosas et valde neglectas habentes, quando secretius epulabatur, ad mensam suam posuit, et de scutella sua comedere praecipit. NOVICIUS: Satis admiror Decani huius pietatem, humilitatem, simplicitatem. MONACHUS: Audi unde amplius mireris. Civis quidam Coloniensis, nomine Lambertus, familiaris illi erat, et in vicino manebat. Iste cum die quadam cum supradicto Godefrido notario coenaret, et confabularentur de eleemosynis domini Ensfridi, ait me audiente: Dicam vobis qualiter me tractaverit. Tempore quodam invitaverat me et uxorem meam ad coenam suam. Sedentibus nobis in mensa cum illo, diu eramus ferculum aliquod exspectantes, nihil ante nos praeter solum panem habentes. Et quia bene noveram consuetudines eius, vocavi ad me unum de pueris, in aure⁴⁾ illi haec dicens: Dic, bone, dabitur nobis aliquid ad comedendum? Respondente illo: Nihil habemus, sufficienter enim vobis fuerat praeparatum, sed dominus meus ante horam refectionis coquinam intravit, et praeparata, etiam nobis reclamantibus, pauperibus divisit. Tunc ego subridens, eundem puerum ad domum meam misi, et tantum est de cibariis allatum, ut omnibus convivis nostris sufficeret. Die quadam cum coquinam eius intrassem, et anseres nescio quot versarentur ad ignem, dixi in corde meo: Certe bene procurat⁵⁾ familiam suam Decanus iste. Assatis⁶⁾ vero anseribus ipse intravit, eisque excisis⁷⁾, et per scutellas ordinatis, viduis atque egentibus totaliter misit⁸⁾. Saepe ei mittebantur anseres et pulli, tum ex officio Decaniae, tum ex dono, quia multi eum venerabantur, cognoscentes eius caritatem. Et quia

1) BC coelestes thesauros. — 2) Matth. 6, 19. — 3) BC amplior illi. — 4) ADP aurem. — 5) ADP procurat bene. — 6) ABCP assis. — 7) R concisis. — 8) C divisit.

multae fuerat pietatis: quicquid ex eis sive fratribus sive aliis suis vicinis mittere voluit, ut statim comederent, non vivum, sed occisum transmisit. Tanta, ut saepe dixi, circa pauperes compassionis fuit ¹⁾, ut quandoque faceret, quod secundum humanum iudicium minus rectum videbatur. Civis quidam de Colonia, sicut mihi retulit quidam ex sacerdotibus sancti Andreae, uxorem propriam minus diligens, saepe illam affligebat. Propter quod illa furata est ei pecuniam in bona quantitate. Cui cum maritus crimen imponeret, et ipsa fortiter negaret, timens ab illo deprehendi, pecuniam proiecit in cloacam. Postea dolens de facto, ad Decanum venit, furtum furtique causam per confessionem aperuit, et satis puto virum sanctum illi suasisse, ut pecuniam marito proderet; sed quia illa cum iuramento negaverat, facere non audebat, timens propter hoc amplius affligi. Cui Decanus respondit: Si potero pecuniam habere sine nota, vis ut detur pauperibus? Dicente illa, hoc omnimodis desidero; post aliquot dies Decanus locutus est civi: Vis mihi licentiam dare, ut purgari faciam cloacam tuam, et si aliquid mihi Dominus ibi dederit, inde tollam? Sciens ille eum virum sanctum ²⁾ esse, cogitans etiam quia Deus aliquid ei revelasset, licentia-vit. Purgata est cloaca, inventa est pecunia, et infra paucos dies per manus hominis Dei pauperibus erogata. **NOVICIUS:** In hoc loco posset detractor figere dentem. **MONACHUS:** Triā videntur eum hic excusare a peccato. Primum, quod pecunia eadem sicut mariti, ita et feminae fuit. Secundum, quod tamen perdita fuit, quam propter confessionem proderere non licuit. Tertium, quod pauperibus eam distribuit. Novissime caritas, quae eum ad hoc instigavit. Solent enim sacerdotes saepe ³⁾ licentiare feminis, ut maritis suis avaris et immisericordibus rapiant et indigentibus largiantur. Fecit et aliud quiddam quod magis adhuc ⁴⁾ disputabile fuit. Dum ⁵⁾ nihil haberet ad comedendum, pistrinum fratrum intravit, et cum essent panes ordinati et compositi in tabula ad deportandum, cuius essent illi vel illi pistorem interrogavit. Expeditus de singulis ⁶⁾ a pistore, panes illorum, quos noverat esse divites, in domum suam deportari ⁷⁾ iussit, dicens: Illi abun-

1) ACDP fuerat. — 2) BC virum sanctum eum. — 3) B interdum. — 4) libri huic. — 5) ACD cum; paulo post BD ad manducandum. — 6) ADP a singulis. — 7) BC deferri.

dant, et ego nihil habeo quod comedam. NOVICIUS: Quomodo excusabitur hoc factum? MONACHUS: Multa licent sanctis, quae his qui sancti non sunt, non licent. Ubi spiritus Domini, ibi libertas ¹⁾. Unde auctoritas: Habe caritatem, et fac quicquid vis. Excusavit eum caritas, excusavit eum necessitas, excusavit eum auctoritas, excusavit eum fraternitas. Caritas, quia consolatio pauperum fecit illum ²⁾ egere. Necessitas vero, quae ³⁾ legem non habet, de qua Rudolphus maioris ecclesiae in Colonia Scholasticus sic discipulis suis dicere consuevit: Antequam fame morerer, de pedibus ⁴⁾ raperem crucifixi quod comederem. Excusavit eum quodammodo auctoritas, quia Decanus erat, et quasi pater fratrum. Fraternitas, quia iudicabat omnia omnibus esse debere communia, sicut et sua omnibus fecerat communia. Cum iam ex defectu corporis aetatisque senilis diem mortis suae sibi imminere sentiret, ne pauperem spiritum aliqua terrena possessio repatriantem oneraret, domum suam vendidit, pretiumque illius, non cognatis, non amicis, sed Christi pauperibus propriis manibus divisit. Noverat enim concanonicos manufideles, post mortem minus esse fideles. Cui cum diceret is qui domum emerat, quidam ecclesiae illius sacerdos atque canonicus, nomine Conradus: Domine, ego volo habere domum meam; respondit ille valde simpliciter: Bone Conrade, homo sum decrepitus et senex, cito moriar, expecta paululum, et ⁵⁾ bene habebis eam. Ubi vis ut maneam interim? Ille vir bonus, de necessitate faciens virtutem, satis patienter obitum eius exspectavit. Tanta igitur pietatis existit vir beatus, ut saepe in porticu ecclesiae sedens, cum pauperes musso ⁶⁾, quem de nemore collegerant, oneratos praeterire cerneret, emeret ipse, non quod ⁷⁾ eo in aliquo indigeret, sed ut pauperes a labore liberaret. De quo etiam retulit mihi Renerus monachus noster, quandoque eiusdem ecclesiae Scholasticus, quod die quadam cum pauper quidam plurima flabella portaret venalia ⁸⁾ in iam dicta porticu, nec vendere posset, sibi illum dixisse: Renere, eme flabella ista. Cui cum diceret: Domine, non eis indigeo; respondit ille: Eme ea ⁹⁾, et da amicis tuis. Qui emit illa, sciens compassionem Decani sui tantum esse in causa. Misericordiae visceribus

1) Cor. II, 3, 17. — 2) BCD eum. — 3) C quia. — 4) P panibus. — 5) et add C. — 6) sic libri, ut videtur pro musco. — 7) libri ut. — 8) BC venalia portaret. — 9) ea add B.

ita abundavit, ut sustinere non posset, in quantum vetare potuit, ut aliquis caederetur, vel iniuriaretur. Die quadam cum in scholis clamores cuiusdam canonici, qui graviter excesserat, et a quatuor scholaribus ad verberandum tenebatur, praeteriens audisset, scholas anhelus intravit, et sicut leo accurrens, baculumque contra Scholasticum et suum concanonicum nobis videntibus levans¹⁾, puerum de manibus eius liberavit. Quid agis, inquit, tyranne? Positus es, ut scholares doceas, non ut occidas. Ad quod verbum ille confusus obmutuit. Quanta fuerit patientiae, lectio sequens²⁾ declarabit. Die quadam sedente eo secundum consuetudinem in ecclesia, sicut puto inter nonam et vesperam, Scothus quidam homo miserabilis et frequenter ebrius, presbyterique honore prorsus indignus, ad solum solus accessit, et caputio illum trahens, extracto cultello minatus est ei dicens: Si non dederis mihi aliquid, modo occidam te³⁾. Nutu Dei canonicus quidam juvenis et fortis superveniens, Scothum dure satis abstraxit. Quem cum caedere vellet, morteque dignum iudicaret, comescuit eum vir mitissimus dicens: Ne turberis, frater, vide ne laedas eum, in ioco enim fecit hoc. Nemini reddidit malum pro malo, quia simplicitas columbina regnabat in illo. Et cum esset, ut saepe dictum est, mirae misericordiae, ferebat tamen zelo⁴⁾ iustitiae. Tempore quodam obviam habuit Abbatissam sanctarum virginum undecim millium. Praecedebant illam⁵⁾ clerici mantellis griseis monialium circumamicti, sequebantur domicellae et pedissequae, verborum inutilium aerem replentes strepitu⁶⁾. Decanum vero inopes sequebantur, eleemosynam ab illo postulantes. Accensus vero vir iustus zelo disciplinae, cunctis audientibus exclamavit: O domina Abbatissa, magis deceret vestram professionem, plus vestram decoraret religionem, ut vos, sicut me, sequerentur pauperes, non histriones. Et erubuit illa valde, nihil praesumens tanto viro respondere. Tantus ei inerat amor iustitiae, ut die quadam cum nescio quis ipso audiente loqueretur de mala vita clericorum, quasi ex abrupto responderet⁷⁾: Unum est qualiter vivant. Ac si diceret: De radice mala

1) C levans nobis videntibus. — 2) B sequens lectio. —

3) CD te occidam. — 4) ABDP in zelo. — 5) B illi. —

6) AP strepitu aerem replentes, BC aerem replentes.

— 7) DR loquenti responderet.

non potest surgere arbor bona. Noverat enim paucos esse clericorum, qui canonicè intrassent, ita ut non essent sanguinitae, id est, a cognatis introducti, vel choritae ¹⁾, id est, per potentiam magnorum intrusi, sive symoniaci, pecunia scilicet vel obsequiis intromissi. NOVICIUS: Hoc vitium his temporibus valde regnat in Clero. MONACHUS: Verum est, maxime in illis ecclesiis, in quibus praelati sine electione stipendia porrigunt. Rudolphus enim Episcopus Leodiensis ita in symonia gloriabatur, ut tempore quodam, praebenda cuiusdam ecclesiae suae ²⁾ a se vendita, pecuniam ipsam in gremio suo teneret, et multis coram ³⁾ positis diceret: Ego valde Ecclesiam Leodiensem ditavi, ego redditus illius ampliavi. Praebendam enim quam antecessores mei pro decem marcis vendiderunt, ego ad quadraginta marcas perduxì. Et quia vir sanctus paucos consideravit canonicas suas simpliciter intrare, paucos iudicavit in eis simpliciter ⁴⁾ vivere. Habebat etiam cum zelo iustitiae amorem et studium regularis disciplinae. Nam post eum usque ad haec tempora non surrexit Decanus in illa ecclesia, sub quo tantum vigeret disciplina. Etiam cum esset in aetate occidua, usque ad diem mortis suae, non patiebatur se aliquam hebdomadam divini servitii praeterire. Saepe missam in conventu celebrans, alienis brachiis ne caderet sustentabatur. Alleluia festivis diebus, sicut ceteri, ad gradum ipse cantavit. Aliis exeuntibus de oratorio, ipse raro, nisi ad prandendum, exivit; et ante altare sanctae crucis residens, illic horam horae continuavit. Publice poenitentibus ita erat paratus, ut frequenter cum illis in porticu sedens, chartulas legeret, consolationem impenderet, orationum suffragia conscribi ⁵⁾ faceret. Tanta erat humilitatis, ut cum omnium esset supremus tam aetate quam dignitate, exceptis praecipuis sollemnitatibus, semper pene locum chori novissimum teneret. Vestimenta eius satis erant despecta et humillima, non grisea, non varia, sed ovina, eiusdem generis pilleo ⁶⁾ utens. NOVICIUS: Quid est quod de tanto viro nullum refert miraculum? MONACHUS: Quis maior Johanne Baptista? Nullum signum fecisse legitur ⁷⁾, quod de Juda pro-

1) clerici isti ideo choritae appellantur, quia antea quasi histriones fuerunt. Nam vocabulum choritae procul dubio descendit a chorea. Erant autem tunc temporis histriones tam Regibus quam Principibus multum accepti. — 2) ADP ecclesiae suae cuiusdam. — 3) D add eo. — 4) C canonicè. — 5) ACDP scribi. — 6) id est, pileo. BCP pallio. — 7) Johan. 10, 41.

ditore Evangelium prodit¹⁾. Unde quibusdam nunc in Christi nomine miracula facientibus, ipse in fine dicturus est: *Nescio unde sitis; discedite a me omnes operarii iniquitatis*²⁾. Miracula de substantia sanctitatis non sunt, sed signa sanctitatis. Volens Dominus militem suum meritum remunerare post laborem, tali illum ordine vocavit ad gloriam. In vigilia Dominicae Resurrectionis, cum exspectaretur ad sollemne officium, eo quod hebdomadarius esset, repente coepit viribus destitui. Vocatus est supradictus Renerus, qui per tactum venae illius in ianuis mortem³⁾ sentiens, de sacra inunctione eum monuit, modicum medicinae confortativae ori eius imponens. Quam cum ille exspueret, et diceret: Ego missam⁴⁾ in conventu celebrabo; respondit: Missa in hac vita nunquam celebrabitur. Quo audito, se inungi petiit, et cum fratribus psalmos et letaniam decantavit. Circa horam nonam cum Christo reddidit spiritum, sociandus spiritibus iustorum. Sequenti die post sanctum Pascha cum tumularetur, dominus Everhardus sancti Jacobi plebanus, cuius vitam virtutibus plenam in distinctione quarta capitulo nonagesimo octavo descripsi, in audientia multorum tale de illo testimonium dedit: Hodie, inquit, hic terrae commendatur caro sanctissima, quae super terram vixit. Et quia de miraculis quaestio fuit, post mortem signis non caruit. Sacerdos quidam et stipendiarius ecclesiae, nomine Adam, sicut mihi retulit ore suo, cum tempore quodam vehementissimo capitis dolore torqueretur, ad sepulchrum eius accessit, et in hunc modum oravit: Domine, inquit, propter merita sancti huius viri mitiga dolorem capitis mei. Qui mox exauditus, sanus abcessit, qui infirmus accesserat. Multa adhuc alia fecit iustus iste opera memoria digna, quae studio brevitatis sunt ommissa. NOVICIUS: Utinam essent tales omnes Decani, tam simplices et tam sancti. MONACHUS: Recordor nunc alterius cuiusdam Decani, viri simplicis ac Deo digni, de cuius virtutibus quaedam mihi nuper retulit magister Johannes Decanus Aquensis, de eadem civitate oriundus, in qua idem iustus fuerat Decanus, quae tecum communicabo.

1) Marc. 6, 13. — 2) Luc. 13, 27. — 3) BC mortem in ianuis.
— 4) B missam hodie.

CAPITULUM VI.

*Item vita domini Hermanni Decani Hildinshemensis
Ecclesiae.*

Fuit nostris temporibus in Hildinshemensi Ecclesia vir bonus Deoque carus, nomine Hermannus, variis virtutibus et virtutum operibus adornatus. Vigiliis sanctis; orationibus, ieiuniis et operibus misericordiae Deo omnipotenti studuit placere. Quibus operibus humani generis inimicus irritatus; cum illum omnibus modis impediret, dicere ei solitus erat: O multum male diabole, ut quid tantum me vexas? Tempore quodam cum arbusculam in pomerio suo plantaret, et trunculo ¹⁾ illius duas virgulas ²⁾ insereret, una aruit, et altera convaluit. Mox signum petens a Domino ait: Rogo te, omnipotens Deus, si voluntas tua est ³⁾, ut sacerdos fiam, fac ut surculus hic aridus revirescat. Mira clementia Dei ⁴⁾. Statim virga arida succo coepit animari, et tempore suo fructificare. Sicque virtus divina, quae Aaron primum sacerdotem per virgam aridam contra naturam florentem in sacerdotio confirmavit ⁵⁾, hunc virum sacerdotio dignum eadem virtute praeostendit. Post cuius mortem cum quidam eius clericus, Everhardus nomine, cui ecclesiam vivus contulerat, visum perdidisset, et quotidie ad illius tumbam, de sanctitate ac pietate eius spem habens, oraret, postulans se propter merita domini sui illuminari, sanctus Hermannus die quadam visibiliter illi apparens, ait: Quid vis ut faciam tibi? Dicente caeco: Domine, ut videam; voce evangelica sanctus illi respondit: *Respice, nam fides tua te salvum fecit* ⁶⁾. Eadem hora clericus ⁷⁾ lumen recepit, et quia Dominus mirificasset ⁸⁾ sanctum suum in se ipso expertus, quamdiu vixit, gratias egit. Postea cum quidam aegrotus ad memoriam Martyrum fuisset deportatus, nec sanatus, consilio cuiusdam iam dicto Confessori votum fecit, et convaluit. Factum est, ut in anniversaria die domini Hermanni ecclesiam intraret, et compulsantibus campanis, cum ille causam inquireret, et quidam ei responderent: Hodie dies est

1) ACDP trunco. — 2) ADP virgas. — 3) C ut si voluntas tua est, B ut si est voluntas tua, ADPKR ut si voluntas tua sit. — 4) ACDP Christi. — 5) Numer. 17. — 6) Luc. 18, 42. — 7) B caecus. — 8) B mirificavit.

anniversaria domini Hermanni, ecclesiae huius quandoque Decani, viri boni et iusti, et dicenda est missa in conventu pro eo; respondit homo: Rogo ut ostendas mihi sepulchrum eius. Quod cum ille fecisset, et iste ibidem diutissime ac devote oraret, cantor ecclesiae hoc considerans, hominem solus convenit, causam orationis inquisivit, et agnovit. Sicque per os peregrini ostensa sunt merita domestici. Et quem fratres habuerant Decanum hactenus, nunc ¹⁾ invocare coeperunt ut patronum. NOVICIUS: Rara sunt ista temporibus nostris. MONACHUS: Ego supradicti Decani opera pietatis, huius Decani praefero miraculis. Illa enim, ut dixi, sanctum faciunt, ista sanctum ostendunt. NOVICIUS: Satis placet quod dicis. Si adhuc aliqua nosti de operibus simplicitatis, referre ne pigriteris. MONACHUS: Dicam tibi historiam hominis simplicissimi secundum ²⁾ naturam, per quam satis cognosces ³⁾, quantum Deo placeat sancta et prudens simplicitas, quae habetur per gratiam.

CAPITULUM VII.

De simplicitate Werinboldi canonici sancti Gereonis in Colonia.

In ecclesia sancti Gereonis Martyris civitatis Coloniensis nostris temporibus canonicus quidam exstitit, Werinboldus nomine, genere nobilis, dives satis in stipendiis ecclesiasticis. Hic tantae simplicitatis fuit ⁴⁾, ut nullius rei summam caperet, nisi quantum ex paritate numeri vel imparitate colligere posset. Cum tempore quodam multas haberet pernas in coquina sua pendentes, ne aliqua ei subtrahi posset, intravit, et in hunc modum eas numeravit: Ecce perna et eius socia ⁵⁾, ecce perna et eius socia, sicque de ceteris. Una ex illis nequitia servorum subtracta, cum iterum intrasset, et praedicto modo suas pernas numerasset, impares inveniens exclamavit: Unam ex pernis meis perdi. Cui servi subidentes responderunt: Domine, bene invenietur. Illoque educto, cum una iterum subtracta numerum parificassent ⁶⁾, et sic inductus secundo eas numerasset, paresque reperisset, satis iocunde dicebat illis: Eia vos domini, nimis diu poteram tacuisse. Quando servi sibi

1) nunc om BC. — 2) ACDP per. — 3) B agnosces. — 4) libri fuerat. — 5) C et socia eius. — 6) DP parificasset.

convivia facere voluerunt, dixerunt ad illum: Domine, quare non providetis vobis? Valde enim infirmus estis. Quibus cum diceret: Unde hoc nostis, boni pueri? responderunt: Bene consideramus in capillis vestris, eo quod inflati sint. Quem in lecto reclinantes, cibariis delicatis, quasi eius infirmitati praeparatis, se ipsos refecerunt. Audiens tantam simplicitatem rusticus quidam nequam et astutus, quia ¹⁾ servus eius esset originarius ab omnibus attavis suis ²⁾ confinxit. Non potui, inquit, domine, ut res vestrae tali modo distraherentur sufferre, vel quod sic negligantur ³⁾. Servus enim vester sum, iustum est ut nobilitati vestrae serviam, et quae vestra sunt fideliter custodiam. Quid plura? Commissa sunt ei omnia. Qui noctibus, cum dominus eius isset dormitum, ad prunas cum servis sedit, et potationibus vacavit. Cum vice quadam ioculatorem introduxisset, et ille dulcedine fialae dormientem excitasset, surgenti servus occurrit, dicens: Quo vultis ire, domine? Respondente illo: Melodiam audio dulcissimam, sed nescio ubi sit; servus subiunxit: Redite ad lectum vestrum, monachi Tuienses ⁴⁾ in organis cantant. NOVICIUS: Puto quod peccent, qui sic simplices irrident. MONACHUS: Hoc fixum teneas. Audi quid sanctus Job dicat: *Deridetur enim iusti simplicitas* ⁵⁾. Super quem locum dicit Gregorius: Justorum simplicitas irridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus, fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultitia putatur, et quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiae fatuum sonat ⁶⁾. NOVICIUS: Videtur mihi vir iste magis fuisse stolidus, quam simplex, quia simplicitas prudentia carere non debet. MONACHUS: Prudentia in praecavendis malis consistit, cuius virtutis expertus non fuit. Igitur ⁷⁾ divino nutu factum est, ut in ecclesia sancti Gereonis, cuius redditus multi sunt et ampli, cellerarius efficeretur. Et, sicut legitur de sancto Joseph ⁸⁾, cum nihil nosset nisi panem, quo vescebatur, nec hoc ad plenum, Dominus, cui accepta est simplicitas, defectum eius supplevit, et omnia, ad quae suas manus misit ⁹⁾, benedixit. Die quadam intrans granarium ecclesiae, cum plures catts in annona dis-

1) ADP et quia. — 2) BC suis attavis. — 3) BC domine, pati, ut — distraherentur et negligantur. — 4) Tuitium, Deutz. — 5) Job 12, 4. — 6) Gregor. Moral. X, 29, 48. — 7) D ideo. — 8) Genes. 39, 6. — 9) BC misisset.

currere vidisset, vix horam Capituli exspectare potuit. Proster-nens se ante pedes Decani, officii sui petivit absolutionem clavibus resignatis. Dicente Decano et fratribus: Bone domine Werinbolde, quid habetis? cur ista facitis? respondit: Quia non possum videre damnum ecclesiae ¹⁾. Quale, inquiunt, damnum? Et ille: Hodie plures cattos vidi in granario, qui totam annonam vestram ²⁾ devorabunt. Rogantibus illis et dicentibus: Catti annonam non comedunt, sed mundant, ut claves reciperet, vix obtinuerunt. Experimento enim didicerant, quod benedixerit ³⁾ eis Dominus propter simplicitatem illius. Vice quadam cum diversae monetae ex diversis censibus pecuniam haberet, quidam ex servis eius ⁴⁾ partem furtive tulit et fugit. Quo cognito, cum graviter lamentaretur, consolantibus se respondit: Ego non defleo damnum, sed periculum. Denarii dativi non sunt, miser capietur, et si pro eis fuerit damnatus, ego reus mortis ero ⁵⁾ illius. NOVICIUS: Tales viri temporibus istis non eligerentur in cellerarios. MONACHUS: Sicut mutata sunt tempora, ita et homines. Nam usque hodie frequenter contingit, ut sub praelatis et officialibus simplicibus domus religiosae in exterioribus proficiant, et sub astutis atque in schola mundi exercitatis deficiant ⁶⁾.

CAPITULUM VIII.

De simplicitate Christiani cellerarii in Bruwilre.

Apud monasterium sancti Nycholai in villa Bruwilre ⁷⁾ monachus fuit simplicissimus, nomine Christianus. Huic Abbas cellerarii officium iniunxit. Deus vero, qui amator est rectae simplicitatis, omnia opera eius dirigebat, ita ut tempore provisionis eius plus abundaret domus ⁸⁾ in rebus necessariis, quam antea ⁹⁾ vel post. Saepius ei servi et mercenarii annonam, vinum et alia quam plura ¹⁰⁾ furati sunt, uxoribus et liberis suis ea deferentes. Et cum sciret, et quandoque videret, ex multa cordis pietate videre se dissimulavit, dicens intra se: Isti pauperes sunt et indigent, fratribus necessaria

1) B ecclesiae meae. — 2) B nostram. — 3) D benedixerat, AP benedixit. — 4) C ex eis, et paulo post aufugit. — 5) BC ero mortis. — 6) ADP non proficiant. — 7) Brauweiler. Mox BC monachus quidam. — 8) C domus eius; mox ABDP in omnibus necessariis. — 9) B ante. — 10) BC alia quaeque. Conf. VIII, 48. IX, 16.

non deerunt. Simplex quandoque mimo vel ioculatori comparatur. Sicut illorum ¹⁾ verba, vel opera in eius ²⁾ ore vel manibus, qui ioculator non est, saepe displicent, et poena digna ³⁾ sunt apud homines; quae tamen ab eis dicta vel facta, placent: ita est de simplicibus. Ut sic dicam, ioculatores Dei sunt sanctorumque angelorum simplices. Quorum opera si hi qui simplices non sunt, quandoque facerent, haud dubium quin Deum offenderent, qui in eis, dum per simplices fiunt, delectatur.

CAPITULUM IX.

De monacho de Porceto.

In Porceto monachus quidam fuit tantae simplicitatis, ut singulis pene diebus in balneis, quae ibi ante ostium monasterii naturaliter calent, inter pauperes sederet, et pauperum dorsa fricaret, capita ablueret, vestimenta mundaret. Pro qua re cum tam ab Abbate quam a fratribus crebrius et acrius argueretur, non propter hoc dimisit, sed his verbis valde simpliciter respondit: Si ego modo desisterem, quis pauperibus ista exhiberet? Quod si alius, quem simplicitas excusare non posset, talia praesumsisset contra Abbatis sui imperium, haud dubium quin Deum graviter offendisset. Melior est enim obedientia, quam stultorum victimae ⁴⁾. Quod autem praedicti simplicis opera Deo placuerint, sequens miraculum declarabit. Tempore quodam cum orationis causa isset Coloniam, in domo cuiusdam Abrahae hospitatus est. Nocte eadem cum signum matutinarum pulsaretur in ecclesia beati Petri, surrexit, illucque festinans, cum solarii fenestram, in quo dormiebat, vidisset apertam, ostium esse putans, per eam exivit, sicque mirabiliter depositus ad ecclesiam pervenit. Finitis matutinis rediens, cum ad ianuam domus pulsaret, et interrogaretur ab intromittentibus, unde veniret vel ubi exivisset, ex eius responsione, quod non per ostium, sed per fenestram egressus fuerit ⁵⁾, cognoverunt. Ipse sibi tamen eiusdem miraculi conscius non fuit. Et cum eadem fenestra, bene mihi nota, satis alta sit, haud dubium quin a sanctis

1) ACDP illius. — 2) libri eorum. — 3) ACP digni; a codice D absunt verba: et poena — placent. — 4) Eccles. 4, 17. — 5) B fuerat.

angelis depositus sit, ut impleretur in eo quod de capite scriptum est: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum* ¹⁾. Quam fidus custos simplicium sit Dominus, sequens ostendet relatio.

CAPITULUM X.

Vita Engilberti caeci.

Homo quidam simplex, Engilbertus nomine, de provincia Tulpeti natus, ante paucos annos defunctus est. Iste cum esset caecus natus, propter varia dona, quibus hominem eius interiorum illuminaverat gratia divina, in diversis provinciis noscebatur, et a multis magnisque personis sexus utriusque ²⁾ venerabatur. In cappa simplici et tunica lanea nudisque pedibus tam aestate quam hyeme ³⁾ incedebat, et puero se regente, sic limina sanctorum satis remota saepius visitavit ⁴⁾. Carnibus nunquam vescebatur, non lectisterniis, sed modico tantum straminis vel feni noctibus utebatur. Ego multa bona de eo ⁵⁾ vidi, et ipse multos tam verbo quam exemplo aedificavit. Hic tempore adolescentiae suae ⁶⁾ cum nocte quadam in domo materterae suae, matronae divitis, inter alios eius servos se cubitum locasset, in ipso conticinio duo fures parietem subfodientes ingressi sunt. Qui igne discooperto, et lumine incenso, cistis apertis, intrepide colloquebantur. Quos ut praedictus Engilbertus audivit, et fures esse non dubitaret ⁷⁾, cum servos ex utroque latere dormientes excitare non posset, subsellio cultello suo perforato ⁸⁾ collo iniecit, et clava manum armavit. Et quia illos quasi caecus videre non potuit, Deo duce auditum ⁹⁾ ad illos tendens, et clavam utraque manu vibrans, ex omni parte quicquid tangere potuit quasi furiosus feriens, de domo illos eiecit. Quos usque ad foramen secutus, dum aditum scala obstrueret, et illi stantes extra domum, neminem praeter ipsum solum vigilare sensissent, de tali expulsionem confusi, habito consilio, denuo nisi sunt intrare. Quod ut ille ex motu scalae sensit, unam

1) Psal. 90, 11. 12. — 2) BD utriusque sexus. — 3) B tam hyeme quam aestate. — 4) BC visitabat. — 5) BC de illo. — 6) suae add C. — 7) D dubitavit. — 8) dictum pro: subsellium cultello suo perforatum. I, 40. p. 52: „cum — corpore exportato ad lavandum detectum fuisset.“ Sic saepissime apud nostrum. — 9) ACDP potuit, duce auditu.

partem scalae arcae magnae, in qua continebantur grana, et erat foramini contigua, supposuit, alteramque utraque manu servavit. Illis intransibus ¹⁾ usque ad umbelicum, Engilbertus dorsa eorum, quia proni iacebant, per scalam fortiter pressit et in tantum depressit, ut non solum eis progressum, imo etiam regressum prorsus adimeret. Qui quasi sub torculari positi, dum mane capi timerent, veniam postulaverunt. Datis vero terribilibus iuramentis, quod nunquam personam eius laederent, vel domum illam intrarent, dimissi sunt. Mane cum prodente Engilberto, a vicinis nulla arte dormientes possent excitari, et quaererentur circa domum maleficia, quorum virtute haec noverant fieri, supra foramen de tecto pendentem ²⁾ quasi spinam humani cadaveris reppererunt. Qua amota, mox omnes excitati sunt. NOVICIUS: Magna sunt ista ab homine caeco et simplice gesta. MONACHUS: Maius est quod sequitur, quia ad salutem pertinet animarum. Postea ³⁾ multis annis elapsis, iidem fures fama et virtutibus iam dicti Engilberti excitati, eiusque ut opinor precibus compuncti, eum adierunt, et quia ipsi essent, confessi, deinceps vitam duxerunt ⁴⁾ religiosam. Hoc factum mirabile, et alia quaedam, de quibus in sequentibus dicitur, ab aliis mihi relata, et utrumnam vera essent a me interrogatus, ita gesta fuisse simpliciter testatus est. Et quia cum simplicibus sermocinatio Domini est ⁵⁾, dedit ei etiam spiritum prophetiae, ut damnum luminis exterioris claritate oculorum interiorum recompensaretur. Tempore quodam invitatus a Duxissa ⁶⁾ Saxoniae, uxore Henrici Ducis, matrona valde religiosa, inter alia multa quia unus ex filiis eius Imperator esset futurus praedixit. Quod postea impletum vidimus in Ottone, qui Henrico successit in imperio. Hic cum post electionem in maximis fuisset tribulationibus, et pene ab omnibus desperatus, ab eodem caeco confortatus est, ei asserendo ⁷⁾, quia omnimodis forent implenda, quae a Deo fuerant ⁸⁾ praeordinata. Ante illa tempora, cum Helswindis ⁹⁾ de Giemenich, vidua religiosa, ob discordiam duorum Comitum terrae nostrae timeret filiis suis, Arnolde et fratribus eius, ipsumque rogaret, ut pro ipsorum incolumitate Deo supplicaret; respondit: Ne sollicita sis pro ista discordia, quia bene

1) ADP illos intranses. — 2) ABCD pendens, PK procedens.
— 3) ADP nam. — 4) ADP duxerunt vitam. — 5) Proverb. 3, 32. — 6) AD Ducissa. — 7) ABDP eo asserente. — 8) C fuerint. — 9) B Heylwingis, C Hildegundis.

sopietur; nam alia multo maior iam ¹⁾ in ianuis est, pro qua non solum filii tui, sed et tota terra concutietur. Hoc impletum est sub iam dicto Ottone et Philippo eius in regno adversario. Die quadam eunte eo in quadam strata Coloniae, occurrerunt ei plures honestae matronae eiusdem civitatis, euntes ad ecclesiam. Quae dum confabularentur, ait: State vos dominae. Stantibus eis, adiecit: Loquatur illa iterum ²⁾ quae iam loquebatur. Haesitantibus matronis, de qua diceret, ad verbum illius quaelibet singulariter, ceteris tacentibus, loquebatur. Cum ventum fuisset ad Astradam, quae hodie sanctimonialis est in Monte sanctae Walburgis, voce eius audita Engilbertus cunctis audientibus propheticè respondit: Haec cum omni domo sua convertetur ad Christum. Quod non multo post impletum est. Nam cum marito, filio, et filia, quae hodie abbatizat in iam dicto coenobio, servo et ancilla ad ³⁾ ordinem nostrum venit. Vides quam celeriter in aperi-tione oris praefatae feminae Deus revelaverit auriculam eius ⁴⁾. De statu animarum plurima dicere consuevit, et nonnunquam, ut aiunt, spiritus erroris sive humanus eum fefellit. Nec mirum. Non semper Prophetæ loquebantur spiritu prophetiae, sicut Nathan, qui David ad hoc spiritu suo hortabatur, quod Spiritus sanctus mox per eum fieri prohibuit ⁵⁾. In quadam sollemnitate Dominae nostrae cum matertera eius praedicta vespere iret ad proximam villam propter matutinas, et diceret illi: Engilberte, cras mane venias ad me; in ipsa nocte ante lucem audivit vocem cuiusdam ad ostium pulsantis atque dicentis: Engilberte, veni eamus ad matutinas. Quam vocem cum non agnosceret, surrexit tamen et secutus est illum. Ductusque est in ecclesiam quandam, in qua audivit matutinas, primam, tertiam, sextam, nonam ⁶⁾. Deinde cum solus reverteretur, et ubinam fuisset, interrogaretur ⁷⁾, respondit: Nunquam audivi tam pulchrum cantum, tam suavem melodiam, missam tam gloriosam, sicut audivi hodie. Et hoc sequenti ⁸⁾ anno ei iterum contigit. Nondum enim susceperat habitum religiosum. Nocte quadam de lecto suo raptus, transpositus est iuxta castrum Molbach ⁹⁾ in solitudinem satis horrendam. In eodem loco egressa anima eius de corpore, universos angulos

1) iam add B. — 2) iterum add BC. — 3) ADP in. — 4) Reg. I, 9, 15. — 5) Paralip. I, 17. — 6) BCD et nonam. — 7) C interrogatus, ADP interrogatus fuisset. — 8) C in sequenti. — 9) C Molsbach. Videtur esse castrum Maubach.

et situs eiusdem solitudinis lustravit et consideravit, ita ut postea eo recitante multi mirarentur. Regressa anima, diabolus erranti occurrit dicens: Corpus tuum meum est. Illo se signante, et sanctam Dei genitricem invocante, adiecit: Media pars capitis tui mea est, eo quod pulsata vespera sabbati fuerit lota. Et statim massam picis misit in illam. Quae postea cum maximo labore multorum deposita est. Cum vero moriturus esset, mater eius flens sic ¹⁾ ait: O fili dulcissime, modo recedens a me dimittis me in maxima infirmitate. Respondit ille: Sancta Maria liberabit te mater. Eoque expirante, eadem hora sanata est illa ab ²⁾ infirmitate durissima, qua ³⁾ novem annis laboraverat. Legi in libro Visionum beatae Aczelinae, quod in coelesti mansione sedem viderit vacuum mirae pulchritudinis et gloriae, et dictum est ei, quod esset ⁴⁾ cuiusdam caeci de Alemannia. Et statim intellexi de fratre isto Engilberto. NOVICIUS: Ut audio, multum Deo cara est ⁵⁾ simplicitas. MONACHUS: Non solum Deo, imo et hominibus placet. Est ⁶⁾ quandoque maioris in auribus eorum efficaciae, quam prudentia saecularis.

CAPITULUM XI.

De domino Petro Abbate Claraevallis, in cuius simplicitate adversarii eius compuncti, bonis, pro quibus contenderant, renunciaverunt.

Dominus Petrus Abbas Claraevallis, monocus ex infirmitate, vir sanctus, nomine et re Petri Apostoli imitator, filius ⁷⁾ columbae dictus est ⁸⁾, eo quod magnae et purae fuerit simplicitatis. Cum ipso et fratribus eius miles quidam pro quibusdam bonis contendebat. Praefixus est dies, in quo vel miles cum Abbate componeret, vel coram iudice litem intraret. Venit ad diem miles cum amicis suis, venit et Abbas solo monacho quodam simplice secum assumpto. Non tamen in equis, sed pedites venerunt. Et cum esset Abbas venerabilis pacis et paupertatis amator, rerumque transeuntium contemtor, coram omnibus dicebat militi: Homo Christianus es. Si dixeris in verbo veritatis, quod bona ista, pro quibus contentio est, tua sint et tua esse debeant, bene

1) AD sic flens. — 2) B ab illa. — 3) ABCDPK in qua. — 4) B erat. — 5) BC multum cara est Deo. — 6) libri placet, et. — 7) libri et filius. — 8) dictus est add C.

sufficiet mihi testimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quam de verbo veritatis, respondit: In veritate dico, quod mea sint haec bona. Ad quod Abbas: Sint ergo tua tibi, ego de cetero illa non requiram¹⁾. Sicque reversus est ad Claramvallem. Miles etiam ad uxorem suam quasi victor rediens, cum ei per ordinem recitasset quid ei²⁾ Abbas dixisset, vel quid ipse egisset, illa territa ad verba tam pura et tam simplicia, respondit: Dolose egisti contra sanctum Abbatem³⁾, ultio divina nos puniet. Nisi monasterio bona sua restituas, consortio meo carebis. Territus ille, ad Claramvallem venit, bonis ultro renunciavit, de indebita sancti Abbatis vexatione veniam postulans⁴⁾. Vir iste beatus temporibus seniorum nostrorum visitavit in Claustro. Erat antem secundum carnem nobilis, et consanguineus Philippi Regis Franciae, qui praecipuus amator erat sanctae simplicitatis.

CAPITULUM XII.

De Philippo Rege Francorum, qui in Abbatis sancti Victoris simplici taciturnitate aedificatus, adversarios eius compescuit.

Retulit mihi Constantinus monachus noster, quod eo tempore quo Parisiis in studio fuit, Johannes Abbas sancti Victoris, qui natione Teutonicus est, cum quibusdam nobilibus et magnis viris pro magno allodio coram Rege Philippo placitaverit⁵⁾. Qui cum secum adduxisset quosdam⁶⁾ ex fratribus viros literatos et iurisperitos, haberentque adversarii advocatos in causis exercitatos, partibus hinc inde respondentibus, Abbas simpliciter sedens, nec unum verbum ad allegata respondit, ita ut magis videretur vacare orationi, quam litigationi⁷⁾. Hoc cum Rex considerasset, ait Abbati: Domine Abbas, quare vos nihil loquimini? Respondente Abbate multum leniter et valde simpliciter: Domine, nescio quid loqui⁸⁾; aedificatus Rex et compunctus subiecit: Revertimini vos in claustum vestrum, et⁹⁾ ego loquar pro vobis. Post quorum

1) ADP non repetam illa, ut IV, 61. — 2) ei add B. — 3) ADP Abbatem sanctum. — 4) ADP postulavit. — 5) pr A placitaverit. — 6) quosdam om BC. — 7) C legationi, ADP allegationi. — 8) II, 2. p. 59: „nescio quid tibi iniungere.“ — 9) et om B.

discessum Rex iram simulans, dixit militibus: Ego praecipio vobis sub interminatione gratiae meae, ne de cetero sanctum Abbatem istum inquietetis. Sicque factum est, ut bona quae fratres obtinere non poterant per multas querimonias, sola apud Regem obtineret Abbatis simplicitas. Et est impletum in eo illud Moysi: *Alius pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* ¹⁾. Aliis tibi adhuc ostendam exemplis, qualem locum venerationis in corde eiusdem Regis virtus obtinuerit simplicitatis.

CAPITULUM XIII.

Item de eodem, qui Laudunenses clericos commendavit ob simplicem electi sui praesentationem.

Tempore quodam clerici Laudunenses ²⁾, Episcopo suo defuncto, quendam ex suis fratribus canonicum simplicem in Episcopum eligentes, sub his verbis praedicto Regi illum praesentaverunt: Domine, nos praesentamus vobis dominum Emelricum ³⁾ electum nostrum. Hoc ei nomen erat. Rege tacente, et formam illius praesentationis considerante, tandem respondit: Quem praesentatis mihi? Responderunt ⁴⁾: Dominum Emelricum. Et Rex: Vultis aliquid plus dicere? Illis timentibus, ne forte aliquid Regi displiceret in persona, vel in verbis praesentationis, responderunt: Nihil, domine. Tunc ait Rex: Raro audivi talem praesentationem. Quando aliquis mihi praesentatur electus, nomen dignitatis eius exprimitur ab electoribus, in hunc modum: Domine, nos praesentamus vobis dominum N. Archidiaconum, Praepositum, Decanum, vel Scholasticum nostrum. Fateor vobis, satis mihi placet tam simplex simplicis canonici praesentatio, et idcirco spero, quod a Deo facta sit ipsa electio. Nostis qualiter in iam dictis dignitatibus electiones celebrentur? Si Scholasticus est, causas ⁵⁾ canonicorum suorum fovendo, tum propter literaturam, tum propter comparatam amicitiam, ab ipsis in Episcopum eligitur. Si Decanus est, hypocrisi sua fratrum excessus dissimulando, cognatos et amicos ⁶⁾ introducit a quibus sublimatur. Si Archidiaconus, vel Praepositus est, utpote vir nobilis, parentum potentia magis intruditur quam eligatur ⁷⁾. Ecce haec

1) Exod. 14, 14. — 2) Laudunum, Laon. — 3) B Amelricum, et infra Almericum. — 4) responderunt add C. — 5) B causam. — 6) B amicos suos. — 7) CP eligitur.

est causa quare capita Ecclesiae sint infirma. Deinde conversus ad electum, ait: Domine Emelrice¹⁾, quia electio vestra videtur mihi esse simplex, rationabilis et canonica, non vobis deero, ubicunque me²⁾ indigueritis. Lambertus monachus noster, qui mihi haec retulit, eodem tempore dicit se fuisse³⁾ Parisiis. Qualis vero ac quantus fuerit huius Regis circa simplices affectus, sequentis operis declarabit effectus.

CAPITULUM XIV.

Item de eodem Rege, qui simplicem monachum in Abbatem sancti Dyonisii promovit, praelatis ambitiosis prudenter amotis.

Ante hoc triennium, defuncto Abbate sancti Dyonisii gentis Francorum Apostoli, cum ditissima illa abbatia vacaret, et ad eam plures aspirarent, venit ad Regem saepedictum is qui in congregatione videbatur esse potior, Praepositus videlicet, pro abbatia supplicans, et dicens: Domine, ecce quingentas offero vobis libras, ut propitius mihi sitis in hac abbatia. Cui Rex nihil promittens, sed symoniacum muneris receptione quasi in arce spei ponens, respondit: Date pecuniam camerario meo secreta⁴⁾. Recedente igitur Praeposito, et quasi de regio favore certificato, cellerarius, de his nihil sciens, eundem Regem adiit, et Praeposito similia petens, similem pecuniae quantitatem obtulit, a quo simile responsum accepit. Novissime venit thesaurorum infidus custos, et ipse pro abbatia Regi quingentas libras offerens. Cui sicut superioribus responsum est. Et licet Rex, sicut homo prudens, dissimularet, plurimum tamen ei displicebat trium illorum monachorum ambitio, et proprietatis vitium, imo tam execrabile furtum, sciens oblatam pecuniam monasterio fuisse subtractam. Praefixit tamen conventui diem, in qua eis Abbatem constitueret, eo quod abbatia in manus eius⁵⁾ devoluta fuisset. Sedente Rege in Capitulo, verbis ad hoc idoneis praemissis, cum diligenter circumspiceret, et personas consideraret, tres praedicti monachi, Praepositus videlicet, cellerarius et sacrista, in summa expectatione erant positi, singuli per momenta singula abbatiam sibi sperantes esse porrigendam.

1) B Amelrice. — 2) ADP mei. — 3) forte studuisse. — 4) BC secreta camerario meo. — 5) C abbatia illa in manus Regis.

Et licet spes sancta non confundat¹⁾, omnes tamen in sua exspectatione sunt confusi. Nam Rex videns monachum quendam simplicem in angulo Capituli residentem, et nihil minus quam de abbacia sperantem, inspiratione divina ut surgeret praecepit. Stante illo cum verecundia coram Principe, dictum est ei ab eodem Rege: Domine, en committo vobis abbaciam sancti Dyonisii. Quo audito, homo ille simplex cum Regi non assentiret²⁾, imo fortiter reclamaret, asserens se personam esse humilem, privatam et despectam, atque ad tantam dignitatem nimis indignam nimisque insufficientem, se vituperando apud Regem commendavit. Et coegit eum. Postea subiecit: Domine, ecclesia ista plurimis debitis est obligata, nec est unde solvantur. Cui Rex subridendo respondit: En in instanti mille quingentas libras vobis dabo³⁾, et cum necesse fuerit, vobis accommodabo pecuniam, insuper auxilium et consilium impendam. Praecepitque camerario suo praedictam⁴⁾ pecuniam ei afferre⁵⁾. Adhuc puto vivit, et forte per eum domus illa melius regitur, quam per illos esset regenda, qui ad eius regimen aspiraverant. Occurrit mihi et simile huic⁶⁾.

CAPITULUM XV.

De simplici monacho, cui Fredericus Imperator contulit abbaciam occasione acus.

Ante haec tempora, cum sub Imperatore Frederico, huius Frederici avo, una ex imperialibus abbatiis vacaret, duoque electi essent, nec concordare possent, unus illorum magnam summam argenti, quam in monasterio congregaverat, eidem Frederico obtulit, quatenus sibi assisteret. Et promisit ei pecunia recepta⁷⁾. Postea intelligens adversarium eius virum esse bonum, simplicem et ordinatum, coepit cum suis habere consilium, qualiter indignum amoveret, et ob virtutes suas electum confirmaret. Et dixit ei quidam: Domine, sicut audivi, monachi omnes ex regula tenentur acus portare. Sedente vobis in Capitulo, dicite illi inordinato, ut ad punctionem di-

1) Rom. 5, 5. — 2) R assentiretur. — 3) B do vobis. — 4) C suo supradictam, B praedictam, ADPKR supradictam. — 5) ACDP afferri. — 6) ADP huic in hoc exemplo. — 7) CD accepta.

gitorum vestrorum acum suam vobis accommodet, et cum non habuerit, invenietis contra eum occasionem quasi de irregularitate. Quod cum factum fuisset, et ille acum¹⁾ non haberet, ait alteri: Domine, praestate vos mihi acum vestram. Quam cum ille mox exhiberet²⁾, forte praemunitus; respondit Imperator: Vos estis monachus in ordine iustus³⁾, et ideo tanto honore dignus. Ego decreveram honorare adversarium vestrum; sed ille irregularitate sua se reddidit⁴⁾ indignum. Bene apparet in his minimis, quam negligens et dissolutus sit in maximis. Talique sophismate monachum astutum Imperator amovit, et simplicem in Abbatem promovit. NOVICIUS: Ignoravi hactenus tantam inesse⁵⁾ virtutem in acu. MONACHUS: Virtus non est in acu, sed acus signum virtutis, id est, humilitatis est in monacho. Ad resarciendum vestimenta sua dissuta⁶⁾ portat illam.

CAPITULUM XVI.

De Abbate, quem Otto Imperator commendavit propter acum.

Otto Imperator antecessor⁷⁾ iunioris Frederici, qui nunc imperat, cum die quadam tres Abbates ordinis nostri illi loquerentur, volens eos probare, uni illorum dicebat: Domine Abbas, concedite mihi acum vestram. Respondente eo: Non habeo, domine; rogavit secundum, qui etiam non habuit. Tertius vero requisitus, cum haberet acum, respondit ei Imperator: Vos estis verus monachus. Ecce hoc est quod iam dixi, acum in monacho signum esse virtutis.

CAPITULUM XVII.

De monacho, super quem morientem diabolus acum ignitam proiecit, eo quod acum sanus portare contemneret.

Retulit mihi vir quidam religiosus de quodam monacho ordinis nostri rem satis terribilem, quae huic loco satis congruit pro exemplo. Cum acum secundum monachorum consuetudinem⁸⁾ sanus portare non curaret, vel forte contemneret,

1) acum add B. — 2) ACDP extraheret. — 3) BC monachus ordinatus. — 4) BC reddidit se. — 5) libri fuisse. — 6) AP dissoluta. — 7) ADP Otto antecessor in imperio. — 8) BC consuetudinem monachorum.

posito eo in agonia, diabolus affuit, et acum ignitam, ad humani corporis longitudinem, manu ¹⁾ ferens, iecit super illum dicens: Quia acum noluisti portare sanus, feras hanc acum moriturus. Qui visum astantibus referens, terruit omnes. NOVICIUS: Si haec ita se habent, de cetero sine acu non ero. MONACHUS: Monachus, nisi necessitas excludat, sine plenitudine ordinis esse non debet. NOVICIUS: Recordor monachorum supradictorum, qui pro abbatiis adipiscendis pecunias obtulerunt. Possuntne ²⁾ monachi ordinis nostri, qui pecunias non habent, in talibus symonias ³⁾ facere? MONACHUS: Possunt utique, quia sicut symonia est corporalis, ita et mentalis. Haec facit ut monachus ad dignitates aspiret, et qualiter adimpleri ⁴⁾ possit, diligenter excogitet, vel quod periculosius est, ut fiat, ingeniose procuret ⁵⁾. De hoc tibi referam exemplum, quod nobis retulit dominus Karolus Abbas Vilariensis, tunc recenter gestum.

CAPITULUM XVIII.*)

De Abbate, quem inclusa symoniace intrasse dicebat, eo quod electionem suam astute procurasset.

Abbas quidam ad quandam veniens inclusam, quam noverat feminam esse sanctam, et divinis revelationibus assuefactam, ait illi: Peto, soror, ut Deum roges pro me, quatenus tibi ostendere dignetur, si ei placeat, et mihi expediat, manere in officio huius abbaciae. Mox illa surgens abiit et oravit, celeriusque reversa, quae sibi fuerant revelata, Abbati manifestavit. Non est, inquit, voluntas Dei, neque expedit tibi, ut in hac abbacia maneat, neque salvare poteris in ea animam tuam. Quare? Quia symoniace intrasti. Abbate stupente super hoc verbo, ac dicente: Quid est quod loqueris, soror? non enim mihi alicuius symoniae in electione mea ⁶⁾ conscius sum; respondit illa: Ego tibi ostendam symoniace te intrasse. Mortuo antecessore tuo, tu ad abbatiam aspirans non simpliciter ambulasti, sed fratres tuos simplices tali modo nimis astute circumvenisti. Non est necesse, aiebas, ut aliquam per-

1) P in manu. — 2) B possentne. — 3) R symoniam. —
 4) C qualiter id impleri, D qualiter adimplere. —
 5) libri excogitat — procurat. — *) Homil. II. p. 50. — 6)
 B electione me sciente.

sonam extra domum nostram, quae valde honesta est, eligamus, ne nos ipsos confundere videamur. Tibi enim constabat, quia si electio fieret in domo, non aliam nisi tuam personam eligerent¹⁾. Ecce sic factus es Abbas. Quod ille audiens, confessus est, et non negavit. Statimque patrem Abbatem adiens, donec absolveretur petere non cessavit. NOVICIUS: Si Abbas iste ad abbatiam aspirando tam graviter peccavit, quid est quod Apostolus dicit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*²⁾? MONACHUS: Apostolus non reprehendit Episcopatum, sed desiderium, quia in illo attendit laborem, in isto ambitionem. Unde mox subiunxit: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, humilem, hospitem, doctorem, et cetera.* Idem³⁾ sanctus Benedictus diffinit de Abbate in regula: Licet nemo sibi assumere debeat honorem, sicut hodie heu multi faciunt, sed qui electus fuerit a Deo sicut Aaron⁴⁾: videtur tamen quod aliquis possit desiderare sine periculo huiusmodi dignitates, ad hoc tantum, ut prosit, non ut praesit. Teste Salvatore, *si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*⁵⁾. NOVICIUS: De hoc audire delectat exemplum.

CAPITULUM XIX.

De Mauritio Episcopo Parisiensi, qui se ipsum simpliciter elegit.

MONACHUS: Dum⁶⁾ nostris temporibus Parisiis vacaret Episcopatus, et electores inter se concordare non possent, tribus sua vota commiserunt. Qui tres cum in unam convenire nequirent personam, magistro Mauritio, qui unus trium erat, duo suam dederunt auctoritatem, ut quemcunque ipse nominaret, Episcopus esset. Et quia idem Mauritius, ut rei exitus probavit, magis cupiebat prodesse, quam praeesse, se ipsum nominavit, dicens: Aliorum conscientias et propositum ignoro, Episcopatum hunc, gratia Dei me adiuvante, irreprehensibiliter regere propono. Quod et fecit. Sanctae enim vitae fuit, tam verbo quam exemplo plurimis profuit, dies

1) libri esse eligendam. Homilia: „satis ei constabat, quod non aliam praeter suam eligerent personam.“ — 2) Tim. I, 3, 1. — 3) B item. — 4) Hebr. 5, 4. — 5) Matth. 6, 22. — 6) BCP cum.

suos in eodem Episcopatu clausit. Hoc etiam noveris, quod saepe ambitiosi a desiderio suo ¹⁾ nutu Dei fraudentur, et si promoti fuerint eius permissione, vix evadant ²⁾, quin in ipsis dignitatibus periculose tribulentur, vel cum confusione deponantur. Audi de his exempla forte aliquibus necessaria.

CAPITULUM XX.

De astuto Priore, qui personam ob infamiam eiectam elegit, ne sua pars infirmaretur.

Prior quidam ordinis nostri, defuncto Abbate suo, ad abbatiam aspirans, cum tempore electionis a Visitatore, sicut ceteri seniores de persona idonea interrogaretur, non cordē columbino monachum quendam de domo eadem ob infamiam eiectum nominavit. Sciebat enim Prioris auctoritatem non esse modicam, et si aliquem de conventu nominaret, per hoc suam electionem posse infirmari, et se in suo desiderio impediri. Factum est nutu ut creditur divino, ut ceteri, eius exemplo, eandem personam eligerent, dicentes intra se: Prior noster ³⁾ oculus noster est, nec talem personam nominasset, si ei de illius innocentia non constaret. Forte si idem Prior simpliciter ambulasset, factus esset Abbas. Et satis puto, quantum ex verbis cuiusdam Abbatis, qui mihi haec retulit, conicio, quod tantum fuerit cruciatus in eiusdem monachi promotione, quantum ille tribulatus exstiterat in sua eiectione. Ecce sic astutos et dolosos punit etiam in praesenti Deus. De tribulatione, confusione et deiectione praelatorum Ecclesiae hodie magis ⁴⁾ quam ante nostra tempora abundant exempla. Et hoc forte ideo, quia Dei voluntas in illorum promotione non fuit. *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi.* Verba sunt Dei per os Jeremiae ⁵⁾ Prophetae. NOVICIUS: Cum Deus in virtute simplicitatis, sicut probatum est exemplis, plurimum delectetur, puto quod in vitio ei contrario, id est, astutia multum exacerbetur. MONACHUS: Vitium simplicitati oppositum duplicitas est, cui sodalis est astutia. NOVICIUS: Unde dicitur duplicitas? MONACHUS: A duplici plica, sicut simplicitas quasi sine

1) ADP suo desiderio. — 2) CP evadunt. — 3) noster add B. — 4) B praelatorum hodie magis Ecclesiae. — 5) imo, Oseae 8, 4.

plica. Simplex enim hoc quod dicit, hoc intendit, hoc agit. Duplex autem aliud habet in corde, aliud in ore, aliud agit, et aliud intendit¹⁾. De quo per Apostolum Jacobum dicitur: *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis*²⁾. Bonum enim simulat, ut simplices efficacius decipiat. Unde per Ecclesiasticum dicitur: *Vae peccatori terram duabus ingredienti viis*³⁾. Tales sunt illi, de quibus Dominus dicit: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*⁴⁾. Tales sunt multi ex his barbatis, qui in habitu et tonsura religionis terras circueunt, et plurimos decipiunt. Ex quibus nostris temporibus multi sunt propter sua maleficia interfecti. Et licet quidam ex huiusmodi viatoribus viri sint sancti et sine felle, propter malos tamen despiciuntur. Hinc est quod anno praeterito dominus Engilbertus Coloniensis Archiepiscopus in Synodo sua praecepit, ne aliquis illorum in sua Dioecesi hospitio reciperetur.

CAPITULUM XXI.

De homine, qui sub typo simplicitatis Bonnae plures decepit.

Non sunt multi anni elapsi, quod quidam sub typo religiositatis Bonnam venit, et simplicitatem simulans, orando, vigilando atque ieiunando plurimos decepit. Quem cum canonici eiusdem pagi talem esse putassent, qualem se simulaverat, hospitale illi pauperum⁵⁾ commiserunt. Cui etiam plures saecularium pecuniam dederunt reservandam. Parvo emerso⁶⁾ tempore coepit ille deceptor⁷⁾ a simulato rigore discedere, bibere vinum, carnes comedere, orare rarius, dormire diutius. Quod cum ei fuisset obiectum, respondit: Ego ad tempus a sacerdote huiusmodi observantias suscepi. Quid plura? Tandem clanculo discedens, pecuniam commendatam detulit, et quam damnosum vitium esset duplicitatis⁸⁾, operibus ostendit. Quo audito, Christianus Decanus tale verbum respondit: Eia fratres, certe animam meam pro nullius anima dabo. De

1) B aliud intendit, aliud agit. — 2) Jac. 1, 8. — 3) Eccli. 2, 14. — 4) Matth. 7, 15. — 5) BC pauperum illi. — 6) ABCP emenso. — 7) ADP simulator. — 8) BD esset vitium duplicitatis, C vitium duplicitatis esset.

huiusmodi trufatoribus plurima deceptionum genera, temporibus nostris gesta, tibi dicere possem, sed non sunt aedificatoria. Vis nunc audire quali poena Deus saepe punit in praesenti vitium duplicitatis et astutiae? NOVICIUS: Volo et desidero. MONACHUS: Audi ergo.

CAPITULUM XXII. *)

De homine, qui per serpentem punitus est in collo, quia dolose egerat in matrem.

Juvenis quidam saecularis de Mosella natus, si bene memini nomine Henricus, matrem simplicem verbis quidem mellitis, sed intentione venenata, tali modo circumvenit. Mater, inquit, peto ut omnibus tuis bonis, feodis scilicet et allodiis, sollemniter renunciatis ¹⁾, me illa suscipere sinas, ut divitiarum ²⁾ gratia uxorem ducere valeam honestiorem. Omnia mea tua sunt, et ego tibi honestissime ³⁾ providebo. Mater in filio serpentis astutias non observans, petitionibus eius annuit, omnium suorum usufructuario resignato, immemor dicti Sapientis: *Melius est ut rogent te filii tui, quam te respicere in manus illorum* ⁴⁾. Quid plura? Sponsa introducitur, et mater expellitur. Quae cum egeret, et plangeret quotidie ⁵⁾, ille aures obturavit, ne gemitus matris audiret. Die quadam cum uxore in mensa sedens ⁶⁾, et matris ad ostium pulsantis vocem ⁷⁾ intelligens, ait: Ecce, iterum diabolus clamat ibi. Dixitque puero: Vade pone ⁸⁾ pullum istum in cistam, donec recedat. Quod cum factum fuisset, et illa intromissa, dum ⁹⁾ filio supplicasset, ut sui miseretur, cum multo verborum turbine expulsa est. Tunc ille ad puerum: Refer, inquit, nobis pullum. Puer vero, ut cistam aperuit, non in scutella pullum, sed serpentem complicatum conspexit. Qui territus rediens, quid viderit domino renunciavit. Post quem missa ancilla dixit se similia vidisse. Ille sibi putans illudi, ait cum indignatione: Etiamsi diabolus fuerit, ego tollam eum. Et surgens de mensa, mox ut se in cistam ad levandam scutel-

*) Homil. I. p. 141. — 1) C renunciatis, ADP renunciatis et. — 2) libri ut sic eorum. Homilia: „quatenus divitiarum gratia honestiorem ducere posset uxorem.“ — 3) ADP honestius. — 4) Eccli. 33, 22. — 5) ADP quotidie plangeret. — 6) in Homilia addit: habens ante se pullum assum. — 7) ADP et ostium pulsantis vocem matris. — 8) ADP et pone. — 9) B cum.

lam inclinavit, serpens collo eius insiliens, ut vitium duplicitatis congrue puniret, circa eius guttur se colligando duplicavit. Cum comedente comedit, et quotiens ei subtrahebantur cibaria, vel adhibebantur aliqua quibus deponi deberet instrumenta, ita collum hominis strinxit, ut intumescente facie, oculi de sedibus suis moverentur. NOVICIUS: Merito autem videtur mihi punitus per serpentem, quia sicut diabolus per serpentem Evam decepit, ita per istum mulierem simplicem circumvenit ¹⁾. MONACHUS: Recte sentis. Jam ²⁾ tredecim anni sunt elapsi, plus minus ³⁾, ex quo ista contigerunt. Nam ductus est idem Henricus in carruca per provinciam nostram ad diversa sanctorum limina, et viderunt eum multi. Quem praedicta mater, poenae eius compatiens, materno affectu sequebatur. Circa eadem tempora vitium duplicitatis et astutiae a supradicto Philippo Rege Franciae, tali ordine deprehensum, terribiliter est punitum.

CAPITULUM XXIII.

De Praeposito Parisiensi, quem Rex Philippus vivum infodi iussit, eo quod mortuo dolose vineam abstulisset.

Habebat idem Rex in civitate Parisiensi Praepositum, qui cuiusdam sui concivis vineam concupiscens, ut sibi venderet illam, importune nimis institit ⁴⁾. Respondente cive sicut Naboth respondisse legitur Achab Regi Israel: *Vivit Dominus, quia non vendam tibi patrum meorum hereditatem* ⁵⁾, eo quod nulla ad hoc me compellat necessitas; Praepositus minas intulit, sed non profecit. Contigit ut interim homo moreretur. Quo cognito, Praepositus effectus hilarior, huiusmodi dolos, sicuti homo astutus nimis, ad sui ⁶⁾ perniciem excogitavit. Duos siquidem ex scabinis, ut sibi testimonium falsitatis ferrent, pecunia corrupit. Cum quibus, sicut condictum fuerat, mox intempesta nocte defuncti sepulchrum adiit, terraque eiecta in fossam descendit, et sacculum pecuniae, quam vivo pro vinea obtulerat, in manu ponens mortui, ait: Testes estis vos domini, quod tantam pecuniam homini isti pro vinea sua

1) Homilia: „merito per serpentem punitus est, quia viperæ naturam imitatus est.“ — 2) libri Nam. — 3) D plus nec minus, ut II, 10. — 4) ADP instabat. — 5) Reg. III, 21, 3. — 6) B suam.

tali dederim, quam ipse quidem, ut vos videtis, manu sua recipit, nec aliquid contradicit. Dicentibus illis, testes sumus, mox recepit pecuniam, et reiecit terram. Mane, testibus eisdem adhibitis, vineam sibi vendicavit. Quod cum relicta defuncti didicisset, stupens accurrit, et contradixit, asserens neque maritum neque se vineam illam Praeposito vendidisse, neque unquam pecuniae aliquid pro ea recepisse. Cui ille respondit: Ego tanto vineam comparavi, pecuniam sub testimonio horum scabinorum in manus viri tui posui, nec contradixit. Quae se nihil videns proficere, ad Regem cucurrit, de violentia Praepositi illi conquerens. Illo sub praedictorum testimonio contradicente, Rex, quia audientiae vacare non potuit, quibusdam causam commisit. Qui testimonio scabinorum decepti, in partem Praepositi declinantes, pro eo contra viduam dedere sententiam. Tunc illa amplius turbata, cum Regi clamoris ¹⁾ fletibus nimis esset importuna, Rex testes vocari iussit, et quasi ²⁾ vir prudens ³⁾, prudenter illos examinavit, accersito ⁴⁾ prius uno, et solus loquens cum solo, ait: Nosti Dominicam orationem? Respondente illo: Novi, domine; subiunxit Rex: Dic ergo illam me audiente. Quod cum fecisset, nihil aliud ei loquens, praecepit ut in vicinam cameram parum secederet ⁵⁾. Et advocans alterum, severius eum allocutus est, dicens: Socius tuus de vinea illa tam meram ⁶⁾ mihi retulit veritatem, sicut est sanctum Pater noster, quo nihil est verius. Quod si ab eo discordaveris, punieris. Aestimans ille, quia Regi omnia dixisset, timens ac tremens ad pedes eius corruit, dicens: Miseremini nostri, domine, quia sic et sic fecimus, a Praeposito vestro ⁷⁾ inducti. Iratus Rex valde, vineam viduae restituit, et Praepositum vivum sepeliri praecepit. NOVICIUS: Juste actum est, ut is sine misericordia infoderetur vivus, a quo inhumane mortuus fuerat effossus. MONACHUS: Poena peccati a Deo est, et fit saepissime, ut secundum modum culpae formetur modus vindictae. De quo tibi subiungam exempla.

1) B clamorosis. — 2) libri quia. — 3) APKR prudens fuit, D prudens erat, BC prudens est. Conf. IV, 50. — 4) ACDP accito. — 5) B secederet parum. — 6) C veram. — 7) BP nostro.

CAPITULUM XXIV.

De fure a patibulo liberato, et denuo suspenso, dum suum liberatorem inique impeteret.

Canonicus quidam sancti Andreae in Colonia, sicut mihi retulit magister Renerus eius concanonicus, ad colligendam cuiusdam ecclesiae suae ¹⁾ decimam singulis annis mittere consuevit servum suum ²⁾. Qui ante quoddam patibulum transiens, et hominem recenter in eo appensum adhuc palpitare cernens, misericordia motus, laqueum gladio ³⁾ incidit, atque allata aqua refocillavit. Qui resumptis viribus, mala pro bonis retribuens, ad proximam villam liberatorem suum secutus, in equi eius frenum manum misit, et quia eundem sibi vi abstulisset, vociferatus est. Mox homines circumquaque accurrentes, et de rapina frementes, sine audientia iuvenem ad idem patibulum, de quo fuerat fur depositus, duxerunt. Nondum homines alterius villae, qui ad suspendium iam dicti furis confluerant, plene reversi fuerant ⁴⁾; et ecce concursum ad patibulum, quod commune erat utrique villae, videntes, nutu Dei reversi sunt, causam interrogantes. Data est homini copia loquendi. Ego, inquit, hominem istum de hoc ⁵⁾ patibulo liberavi, et ecce tam iniquum beneficium rependit mihi. Quem illi considerantes et cognoscentes, secundo eum plene suspenderunt, et liberatus est sanguis innoxius.

CAPITULUM XXV.

De falso peregrino iusto Dei iudicio suspenso, dum vero peregrino furti crimen impingeret.

Non est diu, quod peregrinis quibusdam de Alemannia ad limina sancti Jacobi tendentibus, falsus eis ⁶⁾ frater nocte quadam se ⁷⁾ sociavit. Mane exeuntibus de hospitio, usque ad portam civitatis illos secutus, uni illorum manus iniecit, clamans sibi equum eundem ab eo ablatum ⁸⁾. Et compulsi sunt redire in hospitium a iudice. Testificantibus peregrinis

1) suae add BC. — 2) B servum suum consueverat, AD consuevit servum, C servum consuevit. — 3) BC gladio laqueum. — 4) ADP nondum erant homines alterius villae plene reversi, qui — confluerant. — 5) hoc add BC. — 6) eis om BC. — 7) BC se illis. — 8) D esse ablatum.

omnibus, quod is, quem ille iniquus ¹⁾ impetierat, esset vir simplex et bonus, iudex prudenter agens, fure absente, omnium equorum sellas et frena deponi, sicque eos in stabulum duci praecepit. Quo facto, dixit ad furem: Intra et educ equum tuum. Intravit ille, et adduxit equum foras ²⁾, non tamen illum, quem in porta sibi dixerat fuisse sublatum. Non enim plene tunc eum consideraverat. Tunc omnibus ridentibus, et cuius equus esset extractus, iudicij exponentibus, dolosus ille patibulo appensus est. Vides nunc qualiter Deus in simplicitate ambulantes protegat, et male astutos puniat? NOVICIUS: Recordor te superius dixisse, poenam peccati esse a Deo. MONACHUS: Quod a Deo sit omnis poena ³⁾, testis est Amos Propheta dicens: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* ⁴⁾? Item Dominus per Isaiam: *Ego Dominus, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum* ⁵⁾. Malum dicit poenam et tribulationem ⁶⁾, quae patientibus videntur mala, licet in se sint bona, utpote Dei creatura. Quod autem a Deo sit peccati poena, tibi exemplificabo.

CAPITULUM XXVI.

De Bertolpho Palatino de Wittillinbach, cui divinitus praeceptum est, ut hominem primo sibi obviantem suspenderet.

Bertolphus Palatinus de Wittillinbach iudex erat severissimus, ita ut furibus etiam pro damno unius obuli ⁷⁾ vitam auferret. Et sicut a quodam Abbate audivi, quotiens exivit, laqueos cingulo suo appendit, ne reorum poena caperet dilationem. Die quadam mane surgens, et laqueum cingulo suo solito subnectens, huiusmodi vocem in aere audivit: Bertolphe, quicumque tibi egresso de castro tuo primus occurrerit, hoc laqueo eum suspendas. Qui vocem pro omine accipiens, mox ut egressus est, occurrit ei quidam scultetus suus primo. Quo viso, cum satis doleret, eo quod hominem diligeret, dicebat illi: Doleo de occursu tuo. Quare? Quia

1) iniquus add BC; mox pr A impetiebat, CDP impetebat. — 2) BC et eduxit equum. Mox ADP sed non tamen. — 3) in libris post poena additum est peccati. — 4) Amos 3, 6. — 5) Isai. 45, 7. — 6) B poenam peccati et tribulationem, C tribulationem et poenam peccati. — 7) ABC oboli.

suspenderis. Et ille: Quare suspendar? Respondente illi ¹⁾ Palatino: Nescio, sed praepara te per ²⁾ confessionem, et ordina de rebus tuis, quia voci divinae resistere non debeo; ille videns aliter esse non posse, ait: Justus est Dominus. Ego plures in domum meam declinantes, insequens occidi, multis multa rapui, nec tibi domino meo unquam fidelis exstiti, neque pauperibus peperci. Et mirati sunt omnes audientes eius confessionem, et cognoverunt in eius morte, peccati poenam esse a Deo. Et quia idem Palatinus sine misericordia iudicavit, cum in ultionem Philippi Regis, quem occiderat, ab Henrico marschalco eius interficeretur, misericordiam quaesivit, nec invenit. Non est aequum iudicium, nec a Deo praeceptum, ut minor et maior culpa simili poena plectantur ³⁾. NOVICIUS: Jam satis ex his didici, quod Deus peccatum ⁴⁾ puniat secundum modum et qualitatem culpae. MONACHUS: Hoc plenius scies in sequentibus capitulis, in quibus nostris temporibus evidentissime punire voluit vitium duplicitatis.

CAPITULUM XXVII.

De Theoderico de Erinportze, qui revoluto anno eadem die, eadem via mortuus est elatus, qua Philippus Rex eius industria fuerat introductus.

Tempore schismatis, quod erat inter Philippum et Ottonem Reges Romanorum, cum Colonienses tum propter obedientiam Sedis Apostolicae, tum propter iusiurandum eidem Ottoni factum ⁵⁾, fideliter assisterent, et multis expensis atque damnis et periculis ⁶⁾ subiacerent, quidam ex eis pecuniis ⁷⁾ a fautoribus Philippi, ut dicebatur, corrupti sunt occulte. Inter quos potior videbatur Theodericus de Erinportze. Per cuius astutiam tantum laboratum est, ut deserto Ottone Philippus in civitatem reciperetur. Ore quidem fuerat cum illo, sed corde cum isto. Die quadam cum idem Philippus patronos civitatis, qui circumferebantur, sequeretur, ducebat idem Theodericus eum ⁸⁾ ad matronas, respiciens et dicens: Ecce

1) illi om BC. — 2) ADP ad. — 3) B plectatur. — 4) peccatum om C. II, 7. p. 72: „Deus secundum qualitatem et modum peccati ipsum punit peccatum.“ — 5) factum om BC. — 6) ACDP et multis damnis atque periculis. — 7) pecuniis add BC. — 8) BC eum idem Theodericus.

vos ¹⁾ dominae, iste est Rex meus, quem semper optavi. Mira dispensatio Dei. Anno revoluto die eadem, per eandem plateam mortuus efferebatur. Et cum in monasterio sanctimonialium, quod Piscina ²⁾ dicitur, esset sepeliendus, literis Priorum, quos saepe ³⁾ nimis turbaverat, est prohibitus.

CAPITULUM XXVIII.

De Henrico Ratione, cuius praebendam obtinuit is qui eius consilio a Petro Cardinale ⁴⁾ fuerat intrusus.

Ante hos paucos annos, cum Petrus Cardinalis de Saxo ⁵⁾ esset Coloniae, Henricus cognomento Ratio, ecclesiae sanctae Mariae ad Gradus canonicus, et causarum advocatus peritissimus ⁶⁾, ad hoc eundem Cardinalem induxerat, ut eiusdem ecclesiae canonicis praeciperet, quatenus cuiusdam civis filium, nullo stipendio vacante, in fratrem et concanonicum eligerent. Quod cum illis visum fuisset absurdum nimis, nec acquiescerent, suspensi sunt a divinis. Judicantes vero ⁷⁾ eandem suspensionem frivolam, unanimiter Praepositum elegerunt. Henricus autem, ut turbatos amplius turbaret, solus alium Praepositum elegit, cum quo et pro quo fratrum pacem litibus et damnis non modicum turbavit. Justo Dei iudicio eodem anno primus omnium defunctus est, et aperto ore sepultus. Obtinuitque praebendam illius adolescens consilio eius intrusus. Audivi veraciter, nulla arte os eius potuisse claudi, ut omnibus patesceret, quanta culpa esset, in causis vendere linguam. NOVICIUS: Rogo ut vitio duplicitatis postposito ad simplicitatem sermo redeat, quae in causis, ut praedictum est, etiam linguas disertas enervat. MONACHUS: Hoc plenius sequentis capituli declarabit oratio.

1) vos add BC. — 2) Piscina ante portam Weiherthor dictam fuit. Vide de hoc monasterio Gelen. de Magn. Colon. p. 358. — 3) saepe add B. Mox pro nimis fortasse legendum minis. — 4) ADP Cardinali; eodem modo P supra IV, 79: „Episcopo et Cardinali.“ Conf. sanctimoniali. — 5) ADP Saxonia. — 6) unde Ratio cognominatus fuit. — 7) C quoque.

CAPITULUM XXIX.

De sacerdote idiota, qui simplicitate verborum suorum coram Innocentio Papa ecclesiam obtinuit.

Dominus Innocentius Papa vir literatissimus ¹⁾ et sermonis disertus, sicut mihi retulit Caesarius monachus noster, Abbas quandoque Prumiensis, qui praesens tunc erat, ita in cuiusdam sacerdotis simplici sermone compunctus est, ut ecclesiam, quam propter illiteraturam perdere merito ²⁾ debuerat, per eam obtineret. Cui cum quidam clericus ecclesiam suam nescio quo pacto abstulisset, et ille appellatus ab eo coram iam dicto Innocentio comparuisset, verbisque compositis et sententiis ponderosis pro se allegasset, simplex ille ³⁾ sacerdos sermonem eius interrumpens ait: Sancte pater, ipse non dicit verum, ipse magnam ⁴⁾ mihi fecit iniuriam. Considerans illum dominus Papa hominem simplicissimum ⁵⁾, respondit: Enarra mihi causam tuam. Et ille: Ego nescio Latine loqui. Loquere, inquit, sicut ⁶⁾ nosti, bene te intelligam. Tunc ille satis timide satisque corrupte his verbis usus est: Sancte pater, iste clericus multos habet ecclesias, et ego tantum habui unum, et eundem mihi rapuit, modo habet unum ⁷⁾ cum aliis. Hoc tibi conqueror. Cui Papa compassus, ait eius adversario: Quid ad haec loqueris, frater? Tua avaritia non sinebat te pluribus esse contentum ecclesiis, quin isti pauperi etiam suam auferres. Tam simplicis naturae est, ut si causam habuisset iniustam, nunquam venisset ad curiam Romanam. Justitia audaciam illi contulit. Praecipio tibi ne eum in ecclesia sua de cetero inquietes, et ego de ecclesiis tuis dispensabo. Quo audito, timens cessit, quia simplicitas pro eius adversario pugnavit. NOVICIUS: Cum simplicium verba et opera saeculi Principes tantum venerentur, puto quod in illorum oratione Deus plurimum iocundetur. MONACHUS: Hoc tibi Simplex Paulus ⁸⁾ ostendit, sed et ego recentioribus tibi pandam exemplis.

1) BC vir valde literatus. Conf. II, 11. — 2) BC merito perdere. — 3) ille om BC. — 4) ADP verum, magnam enim, C verum, magnam. — 5) C hominem simplicem, ADP simplicem hominem. — 6) ACDP ut; mox C ego bene. — 7) BCP multas — unam — eandem — unam. — 8) de Abbate Paulo Simplicem vide Vitt. Patr. I. p. 1126. ed. Paris. 1849.

CAPITULUM XXX.

De simplici oratione conversi, qui minabatur Christo, quia matri eius conquesturus esset de illo, si non liberaret eum a tentatione ¹⁾.

In Claustro ²⁾ quidam conversus simplex satis graviter tentabatur. Qui stans in oratione his verbis usus est: Vere, Domine, si non liberaveris me ab ³⁾ hac tentatione, ego matri tuae de te conquerar. Pius Dominus magister humilitatis et amator simplicitatis ⁴⁾, ac si timeret apud matrem accusari, conversi querimoniam praevenit, tentationem eius mox mitigans. Alius quidam conversus post tergum eius stans, cum hanc orationem audisset, subrisit, aliis eam ⁵⁾ ad aedificationem recitans. NOVICIUS: Quem non aedificet tanta Christi humilitas? MONACHUS: Dicam tibi alias simplicium orationes, in quibus adhuc amplius iocunderis.

CAPITULUM XXXI.*)

De inclusa, quae Christum quaesivit in foramine, et invenit.

Magister Johannes, nunc Abbas sancti Trudonis ⁶⁾, cum tempore quodam in Saxonia inclusam sibi familiarem visitaret, et illa fleret, ait: Quid habes, mulier? Quare lacrimaris? Respondente illa: Ego perdiidi Dominum meum, devotionis fervorem notans, Abbas ⁷⁾ sciens illam feminam esse sanctam, ioculariter ⁸⁾ subiunxit: Circui angulos cellulae tuae, et dic: Domine, ubi es? responde mihi; forsitan in aliquo foramine muri reperies eum ⁹⁾. Quae verba simplicia simpliciter intelligens, post discessum illius parietes cellulae circuiens, et sicut

1) B matri suae — de ipso — de tentatione. — 2) C add nostro; mox B quidam simplex conversus, P conversus quidam simplex. — 3) ADP de. — 4) ADP simplicitatis et amator humilitatis. — 5) B et pr C aliis, ADPKR et corr C aliisque. Paulo post omnes libri habent: recitavit. IV, 48: „quo verbo audito, ille multum aedificatus est, multis illud ad aedificationem recitans.“ — *) Homil. I. p. 134. — 6) BC Magister Johannes Decanus Aquensis. Sed idem narrationis exordium habes in Homil. III. p. 171. Magister Johannes Xantensis anno 1222 ex Decano B. M. V. Aquisgranensis in Abbatem S. Trudonis Dioecesis Leodiensis postulatus est. Conf. Gelen. ad Vit. S. Engelb. p. 198. — 7) BC magister. — 8) C (non B) ioculariter. — 9) AP illum.

edocta fuerat, dilectum invocans, quem quaesivit invenit, et quod perdiderat recepit. Saepe Deus gratiam suam subtrahit, ut avidius quaeratur, et inventa diligentius custodiatur. Post annos aliquot cum idem Johannes eam iterum visitaret ¹⁾, et de statu eius inquireret, illa ²⁾ hilariter respondit: Optime. Gratias vobis ago, quia sicut me docuistis, ita Dominum meum inveni. Qui cum verbum non intelligeret, et illa, secundum quod praedictum est, ad memoriam ei cuncta revocaret, subrisit, Christum glorificans, qui simplicibus se conformat.

CAPITULUM XXXII. *)

De simplici sorore in Kummede, cui in oratione Christus respondit, quod esset in saccello.

In Kummede ³⁾ monasterio sanctimonialium ordinis nostri, simplex quaedam puella erat ⁴⁾, ligneam habens imaginem crucifixi. Quam cum frequenter adoraret et deoscularetur, saccello impositam sub stramentis lectuli sui abscondit. Oblita ubi illam ⁵⁾ posuisset, omnes angulos monasterii tristis circumvit ⁶⁾, quaesivit, sed non invenit. Die quadam ante quoddam altare prostrata, cum pro eiusdem imaginis restitutione oraret, Christumque cum multis lacrimis interpellaret, desiderio puellulae condelectans Dei filius respondit: Noli flere, filia, quia in saccello sub stramine lectuli tui iaceo. Putabam mihi relatum fuisse a Priore loci illius, quod in somnis ⁷⁾ vocem percepisset, sicuti posuisse me recolo in Homeliis Moralibus de Infantia Salvatoris; sed sic esse postea veraciter intellexi. Mox puella surgens, stramenta sua revolvit, et sicut audierat, sic invenit. Ecce hoc est quod dictum est superius, quod quandoque Dominus suam subtrahat gratiam, ut avidius quaeratur, et quaerendo amplius mereatur. NOVICIUS: Cum Deus in simplicium oratione tantum delectetur, puto quod in conspectu eius valde pretiosa sit mors illorum. MONACHUS: Veraciter pretiosa, quia virtus simplicitatis etiam martyrii palmam et miraculorum gloriam meretur. Tria de hoc subnectam exempla.

1) C iterum visitaret eam, ADP eam visitaret. — 2) B et ut videtur pr A illi. — *) Homil. I. p. 134. — 3) coenobium Kummede in Palatinatu situm, pertinebat ad Eberbacum; anno 1566 deletum est. — 4) ADP fuit. — 5) D oblita vero illam ubi. — 6) B circuiens. — 7) AP somno.

De passione simplicis Marcadelli.

In Ferraria civitate Lombardiae ¹⁾ ante annos paucos erat homo quidam, Marcadellus nomine, mirae simplicitatis, et erga sanctorum loca maximae devotionis. Qui cum ob nimiam simplicitatem a multis pro fatuo haberetur, et in oculis Dei esset prudentissimus, quicquid de suis laboribus ultra necessitates naturae reservare poterat, illud in visitando limina sancti ²⁾ Jacobi in Compostella, aut beatorum Apostolorum Petri et Pauli fideliter expendebat. Tempore quo potuit hominum pecora pavit; et cum prae ³⁾ senectute ad hoc minus sufficeret, ostiatim mendicando eleemosynis fidelium victitabat ⁴⁾. Non recedebat de ⁵⁾ ecclesia, dum divina in ea agerentur, unde ab omnibus amabatur. Qui cum frequentius versaretur in quadam villa dictae Dioecesis, et in ecclesia eiusdem villae thuribulum argenteum negligentius pendere conspexisset ⁶⁾, timens tam ⁷⁾ ecclesiae quam suae conscientiae, ait sacerdoti: Non secure hic pendet tale thuribulum. Dicente illo, quia multis annis sine periculo illic pependisset; respondit Marcadellus: Hoc saepe una die evenit, quod in mille annis non contingit. Quid plura? Instinctu diaboli thuribulum subtrahitur, non ⁸⁾ tamen Marcadello furtum imponitur. Quod cum fur, Domino prohibente et servo suo occasionem martyrii praeparante, vendere non posset nec auderet, sciens Marcadellum hominem esse simplicissimum, et ecclesiae illius notissimum, cum secrete adiit, et quia ipse idem rapuisset vas, prius tamen sibi praestito iuramento ⁹⁾ ne se proderet, confessus est ¹⁰⁾. Cui ille respondit: Da mihi thuribulum, et ego illud nullo sciente bene restituum, et, si necesse fuerit, etiam animam meam ponam pro te. His auditis, fur thuribulum ei tradidit, quod ille feno involutum, sacco suo immisit. Qui cum plus solito ¹¹⁾ ecclesiam praefatam frequentaret ¹²⁾, ut thuribulum caute et sine nota in locum suum reponere posset, die quadam nimia tempestatum violentia a foribus

1) BP Longobardiae. — 2) ADP beati. — 3) C prae nimia. — 4) D eleemosynas — acceptabat. — 5) ADP ab. — 6) BC conspiceret. — 7) libri tam damno. — 8) B nec. — 9) C tamen sibi praestito sacramento, ADP tamen recepto sacramento. — 10) ADP sibi confessus est. — 11) B add modo; mox ADP praefatam ecclesiam. — 12) B visitaret.

ecclesiae, quae tunc clausa fuerat, depulsus, vicinae domus solatium expetere cogebatur, saccelli sui oblitus. Quem homo quidam pertransiens levavit, et cuius esset non ignorans, uxori suae servandum commisit, ut Marcadello quaerenti illum restitueret. Quae sacci ponderositatem sentiens, marito respondit: Non potest tanti ponderis esse panis, puto quod ex nimia simplicitate illum impleverit lapidibus. Apertoque sacco, cum thuribulum in eo reperisset, et subito clamore vicinis inventum prodidisset, accurrit populus, accurrit tandem et ipse Marcadellus. Requisitus de sacco cuius esset, cum mentiri nollet, respondit: Saccus meus est, sed quod in eo est, vestrum est. Ego thuribulum furatus non sum, non tamen furem prodam. Et recitavit eis per ordinem, qualiter ad se deveniret, et quid furi promiserit. Dicentibus eis: Lex est Lombardiae, ut vel furem prodas, vel furis poenam subeas; respondit: In manibus vestris sum, quod iustum est facite de me. Illi sibi prospicere volentes, hominem Ferrariam ducentes, Potestati obtulerunt, casum exposuerunt, innocentiae eius ac simplicitati testimonium bonum perhibentes. Quem cum iudex inducere non posset, ut furem publicaret, capitali sententia super eum data ¹⁾, ante fores maioris ecclesiae tanquam sacrilegii reus decollatus est. Cuius corpus a quibusdam in eodem loco sepultum est. Nocte sequenti cum quaedam religiosae matronae civitatis ad ecclesiam propter matutinarum sollemnia irent, venissentque ad tumulum eius, cantus angelicos illic audierunt, cereos arduos viderunt, insuper et suavissimi odoris flagrantiam ²⁾ senserunt. Quod cum secunda et tertia nocte plenius comperissent, quaecunque audierant vel viderant, seu etiam ³⁾ senserant, Episcopo civitatis retulerunt. Qui cum esset vir religiosus, aliquibus secum assumtis, cum nocte quarta esse ita, ut ⁴⁾ mulieres dixerant, experimento didicisset, super tumulum hominis Dei basilicam fabricari fecit, et fiunt ibi miracula usque in hodiernum diem ad laudem nominis Christi.

1) B capitali super eum data sententia, C capitali super eum sententia data. — 2) codices fluctuant inter fragrantia, fraglantia, flagrantia. — 3) B viderant, audierant vel, C audierant, viderant vel. Mox ADP senserunt. — 4) D ita esse ut, B ita esse sicut.

De passione Margaretae virginis Lovaniensis.

Circa eadem temporâ civis quidam Lovaniensis cum uxore sua rebus ordinatis ad Vilarium domum ordinis nostri se transferre disposuerat. Erant autem ambo religiosi et religiosorum susceptores devoti. Habebant secum puellam adultam cognatam suam, quae loco ancillae tam ipsis quam hospitibus, sicut testes sunt conversi nostri, satis simpliciter ac diligenter ministrabat, et nomen virginis Margareta. Scientes homines quidam maligni pecuniam illos habere collectam, eadem nocte, qua de mane erant profecturi, circa octo domum illorum sero ingressi, quasi cum eis hospitaturi, dictam ¹⁾ puellam pro vino miserunt. Interim dominum et dominam totamque familiam ibidem repertam occiderunt ²⁾, et sublatis omnibus, puellam cum vino reversam secum educentes, domum quandam satis a civitate remotam simul ingressi sunt. Quae cum tristis sederet, et hi qui in domo erant aestimarent quod vi rapta esset, duxerunt illam ad fluvium. Cui cum quidam ex latronibus compaterentur, et diceret unus ³⁾, sinite eam vivere, et ego ducam illam uxorem; non consenserunt, timentes per eam prodi. Addentes autem portioni unius decem marcas, ut eam occideret, ille agnam simplicem suscipiens, tanquam crudelis carnifex, prius desecto eius gutture, cultrum lateri moribundae infixit, sicque hostiam Deo viventem in flumen proiecit. Hospita vero domus, quam intraverant, latenter egressos secuta, quae facta sunt vidit. Mane tam execrabili facinore cognito, turbata est civitas, quaesiti sunt latrones, sed non inventi. Consideratis occisorum corporibus, quaestio habita est de puella. Cuius corpus cum pisca- tores post dies aliquot invenissent, nec tamen prodere prae- sumsissent, timentes sibi crimen impingi, in litore sepelierunt. Circa cuius sepulchrum alii tempore nocturno luminaria vi- dentes, effossam tulerunt inde ⁴⁾ Lovaniam, capellulam super eam fabricantibus. Et fiunt usque hodie diversa ⁵⁾, meritis eis exi- gentibus, miracula tam in loco occisionis illius quam in loco translationis. Supradictus dominus eius, Amandus nomine,

1) C ingressi sunt — dictamque. — 2) ABDP occidentes.
— 3) BC compateretur, et diceret. — 4) libri in. — 5)
diversa add BC.

cum uxore monacho cuidam Vilariensi post mortem ¹⁾ appa-rens, cum de statu suo interrogaretur ²⁾, respondit: Nondum plenam habemus gloriam. Novissime ³⁾ requisitus de virgine, subiunxit: Quicquid nobis impensum est gratiae, ex meritis habemus Margaretae, nec audemus respicere ad gloriam, in qua illa est. Cernis nunc quantum operetur ad martyrium simplicitas et innocentia vitae? Omnes quidem occisi sunt, sed non omnes miraculis clarescunt. Unde patet quod non poena faciat martyrem, sed causa. NOVICIUS: Quaenam exstitit causa martyrii in puella ista? MONACHUS: Ut iam fatus sum, simplicitas et vita innocua. Diversae sunt species martyrii, innocentia videlicet, ut in Abel; iustitia, ut in Prophetis et Johanne Baptista; amor legis, ut in Machabaeis; confessio fidei, ut in Apostolis. Ob huiusmodi causas diversas agnus, id est, Christus, occisus dicitur ab origine mundi ⁴⁾. NOVICIUS: Quidam etiam ex nimia simplicitate se ipsos occidunt. MONACHUS: Tales a martyrii gloria prorsus immunes existunt, nisi per causam impellentem excusentur. Ecce exemplum.

CAPITULUM XXXV.

*De simplici concubina sacerdotis, quae se ipsam
in fornace exstinxit.*

Sacerdos quidam, sicut mihi retulit quidam vir ⁵⁾ religiosus, cum die quadam multis praesentibus sermonem haberet de peccatis et poenis ⁶⁾ gehennae, mulier quaedam verba eius interrumpens, eo quod territa esset et compuncta, sic ⁷⁾ ait: O domine, quid fiet de concubinis sacerdotum? Ille sciens feminam valde simplicis esse naturae, in ioco respondit: Nunquam poterunt salvari, nisi clibanum ardentem ingrediantur. Erat et ipsa sacerdotis cuiusdam ⁸⁾ concubina. Quae verbum sacerdotis non in ioco, sed in multo suscipiens serio, dum die quadam clibanus coquendis panibus succenderetur, et ipsa adesset casu ⁹⁾, omnibus egressis, ostium clausit, et ut flammam evaderet aeternas, se ipsam in caminum ardentem prae-

1) post mortem add BC. — 2) ADP statu eum interrogaret. — 3) novissime om BC. — 4) Apoc. 13, 8. Conf. etiam Vit. S. Engelb. II, 16. — 5) B vir quidam. — 6) P de poenis. — 7) sic om BC. — 8) cuiusdam add BC. — 9) B casu adesset. IV, 1: „transiret casu.“

cipitans, flammis excepta spiritum exhalavit. In ipsa hora hi qui circa domum fuerant, contemplati sunt columbam candidissimam de ore fornacis exire, et cum multa claritate coeli secreta penetrare. Stupefacti autem de visione, effractis foribus ingressi sunt, et feminam semiustam atque exstinctam extrahentes, ad verbum praedicti sacerdotis, tanquam proprii corporis interfetricem, in campo sepelierunt. Ut autem Deus ostenderet mortem tam simpliciter illatam, non fuisse ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus, videntibus multis ¹⁾, tumulum eius illustravit. NOVICIUS: Non me scandalizat hoc factum, quia legitur in Vitaspatrum, quendam Abbatem cuidam volenti converti, ut fornacem ardentem ²⁾ intraret, praecepisse ³⁾. Obedivit ille, et reputatum est ei ad iustitiam. Hoc etiam scire delectat, quid columba de fornace egressa ⁴⁾ significet. MONACHUS: Animam simplicis feminae. Nam in specie eiusdem aviculae sanctus Benedictus, sicut in eius Vita legitur ⁵⁾, animam sororis suae Scholasticae vidit coelos penetrare.

CAPITULUM XXXVI.

De morte Lodewici simplicis monachi.

Columba haec ad mentem mihi revocat monachum quendam simplicem, Lodewicum nomine, qui ante hoc biennium apud nos defunctus est. Hic cum tempore meridiano agonizaret, et conventus dormiret, monachus quidam in somnis interim vidit columbam candidam in tecto cellulae, in qua moriens iacebat, residentem. Cui cattus niger insidiabatur; et cum esset ei nimis importunus, columba ab eo apprehendi timens, ad ecclesiam volitando fugiens, super crucem ascendit, ibi residens segura. Eadem hora visum ⁶⁾ alteri cuidam monacho fuit, quod fratribus circulariter hinc inde stantibus, leo circuiens stationem eandem irrumpere nisus sit ⁷⁾ et intrare; sed a singulis prohibebatur, et calcibus eorum impulsus fugabatur. Interim percussa tabula, conventus accurrit ⁸⁾, morientem circumstetit, dictaque letania, sacerdos defunctus, lotus

1) BC multis videntibus. — 2) ardentem add BC. — 3) C quidam Abbas — praecepisse, B quod quidam Abbas — praecepit. — 4) egressa add BC. — 5) Gregor. Dial. II, 34. — 6) BC visum est. — 7) B est. — 8) D occurrit.

et vestitus, cum sollemni cantu deportatus est in oratorium. Et spero quod catti leonisque evaserit insidias. Diabolus catto et leoni, qui satis in forma et in natura ¹⁾ concordant, simplicium animabus morientibus maxime insidiando, propter rapacitatem assimilatur ²⁾. Quam fortiter impellatur et repellatur orationibus iustorum in hora illa terribili, satis audies in distinctione undecima de morientibus. Idem Lodevicus, licet natura simplex fuerit, satis tamen carnaliter ante conversionem vixerat usque ad aetatem decrepitam. Quantum vero virtus simplicitatis Deo, qui naturae simplicis est, placeat, cuiusdam sanctimonialis mors pretiosa declarabit.

CAPITULUM XXXVII.

De morte simplicis monialis, quae capram putabat esse feminam saecularem.

In Dioecesi Treverensi monasterium quoddam sanctimonialium situm est, Lutere ³⁾ vocabulo. In hoc ex quadam antiqua consuetudine nulla recipitur puella, nisi septennis sit, vel infra. Ad conservationem simplicitatis, quae totum corpus lucidum facit, huiusmodi constitutio sive consuetudo inolevit. Erat enim in eodem coenobio recentiori tempore virgo quaedam adulta, sed in rebus mundanis tam infantula, ut vix discernere posset inter pecus et hominem saecularem, eo quod huiusmodi formarum ante conversionem nullam habuisset notitiam. Die quadam murum pomerii capra ascendit. Quam illa videns, et quid esset prorsus ignorans, ait cuidam sorori iuxta astanti: Quid est hoc? Illa cognoscens eius simplicitatem, miranti ioculariter ⁴⁾ respondit: Mulier est saecularis. Et adiecit: Quando saeculares mulieres senescunt, cornua et barbas emittunt. Illa sic esse putans, aliquid se didicisse gratulabatur. Cumque per huiusmodi simplicitatis exempla saepius sororum maturitatem temperasset, gravissimam incurrit aegritudinem. Quae cum sic iaceret, ut vix loqui posset, visitante se infirmaria, primo verbo, deinde signo, ut ocius recederet indicavit. Illa neutrum intelligente, dum stupida staret, aegrota panni-

1) B satis tam natura quam in forma, C satis tam in forma quam in natura. — 2) BC concordant, propter rapacitatem assimilatur, et morientium (C morientibus) animabus maxime insidiatur. — 3) C Loctore; sic et infra VIII, 51. Intelligendum, ut puto, Lutzerath. — 4) C iocaliter.

culum capitis sui complicans, contra pectus stantis leniter iecit, quae mox ac si lapide percussa esset, in terram corruit. In qua dum sine sensu aliquamdiu iacuisset, erecta per fenestram lecto infirmantis contiguam prospexit. Et ecce in cimiterio multitudo stabat dextrariorum, sellas deauratas frenaque aurea habentium. Cumque in ipsa hora praedicta virgo agonizaret, sororibus propius accedentibus, clara voce clamare coepit: Date locum, date locum; sinite dominos istos accedere. Viderat enim cellulam repletam personis miri decoris atque splendoris, quorum vestimenta deaurata videbantur. Sicque obdormivit in Domino. **NOVICIUS:** Puto coelestem fuisse exercitum, qui animam illius simplicis feminae in coelestem deducebant thalamum. **MONACHUS:** Bene sentis. Unum tamen notare debes, videlicet quod infirmaria equos vidit in cimiterio, moriens vero ascensores in domo. Testis huius visionis est Henricus Prior Praedicatorum in Colonia, qui se eam a praedicti loci Praeposito audivisse commemorat.



INDEX CAPITULORUM.



Distinctio prima de conversione.

I. De institutione ordinis Cisterciensis.	5
II. Quid sit conversio, unde dicatur, et de speciebus eius.	7
III. De Priore Claraevallis, qui conversus ut aliquid raperet, mirabiliter mutatus est.	9
IV. De novicio in Hemmenrode converso, de quo sanctus David dixit: Non est omnibus datum.	10
V. Quibus occasionibus homines convertantur.	11
VI. De canonico Leodiensi ad praedicationem sancti Bernardi converso, et de angelo, quem in specie monachi vidit confiteri volentis.	12
VII. De Gevardo Abbate, quem dominus Everhardus plebanus sancti Jacobi in Colonia ante conversionem in cuculla vidit.	15
VIII. De conversione Mascelini clerici Episcopi Maguntiae.	16
IX. De conversione magistri Stephani de Vitreio.	17
X. De conversione Goswini sacerdotis, qui de probatione cum furto fugit.	17
XI. De canonico quodam Coloniensi, qui antequam indueret habitum, resiliivit.	18
XII. Item de alio iuvene, qui de probatione gratia solvendorum debitorum extractus, non est reversus.	18
XIII. De conversione Henrici Abbatis.	19
XIV. De miserabili morte Leonii novicii apostatantis.	20
XV. De horrenda morte Benneconis novicii, et quod non liceat noviciis redire ad saeculum post votum.	21
XVI. De conversione Henrici contracti de Claravalle.	22
XVII. De conversione auctoris huius opusculi.	24
XVIII. De Gerlaco de Dinge, occasione cuiusdam sermonis converso.	25
XIX. De conversione Henrici germani Regis Franciae.	26
XX. De conversione cuiusdam, qui alteri ante ostium portae nocte apparuit in specie infantis.	27
XXI. De Theoderico et Bernardo monachis, qui ob visionem unius veniae in sepultura mortui conceperunt conversionem.	28
XXII. De conversione domini Adolphi Episcopi Osinburgensis.	29
XXIII. De conversione Henrici camerarii.	29
XXIV. De conversione Gerlaci sacerdotis.	30
XXV. De Lodewico milite propter votum conversionis sanato.	30
XXVI. De eo quod Deus aliquando differat peccatorem propter poenitentiam, et exemplum de Ezechia.	31
XXVII. De errore Lodewici Lantgravii, et de praedestinatione.	32

XXVIII. Quod quidam convertantur propter paupertatem. . .	34
XXIX. De canonico ob erubescensiam cuiusdam furti converso.	35
XXX. De adolescente, cui sanctimonialis, ab ipso impraegnata, causa fuit conversionis.	35
XXXI. De nobili viro, qui gratia conversionis capitali senten- tiae subtractus est.	36
XXXII. De conversione Abbatis Morimundi, qui mortuus fuit, et revixit.	36
XXXIII. De clerico nigromantico mortuo, qui viventi socio apparens suasit ordinem intrare.	39
XXXIV. Item de clerico, qui propter poenas Lodewici Lant- gravii, quas vidit, ad ordinem venit.	40
XXXV. De conversione Godefridi monachi Vilariensi, et de revelationibus eius.	43
XXXVI. De modo et forma conversionis.	45
XXXVII. De conversione Walewani militis, qui armatus ad ordinem venit.	45
XXXVIII. De humili conversione Philippi Abbatis.	46
XXXIX. De eo quod quidam in conversione ordines sacros celantes propter humilitatem conversi fiant.	46
XL. De mirabili conversione beatae Hildegundis virginis, quae se virum simulaverat.	47
XLI. De vidua Coloniensi, quae in cappa conversi egressa est de civitate.	53
XLII. De conversione Methildis magistrae in Fusinnich.	53
XLIII. De conversione Helswindis Abbatissae de Porceto.	54

Distinctio secunda de contritione.

I. De contritione, quid sit, unde dicatur, quot sint eius species, quis fructus.	55
II. De monacho apostata, qui in bello confossus, et in con- fessione contritus, elegit duo millia annorum in purgatorio.	58
III. Item de monacho apostata, qui in miraculo sancti Bernardi contritus, extra ordinem mortuus, et in saeculari habitu se- pultus, effossus in tonsura et habitu monachi apparuit.	62
IV. De sacerdote qui dixit: Si peccata sunt peccata, nunquam salvabitur anima mea.	64
V. De luxurioso sacerdote, cui columba in die Natalis Domini tribus vicibus sacramentum altaris tulit, et post contritionem restituit.	64
VI. De Hildebrando latrone impenitente, et poena eius post mortem.	67
VII. De Godescalco usurario, qui sedem igneam sibi in poenis praeparatam vidit.	70
VIII. Quam grave peccatum sit usura.	73
IX. De parabola Lupoldi Wormaciensis Episcopi.	73
X. De scholari Parisiensi, qui ob nimiam contritionem confi- teri non potuit, cuius peccata in schedula scripta divinitus sunt deleta.	75
XI. De muliere, quae de filio concepit, quam Innocentius Papa ob perfectam contritionem a peccati poena iudicavit absolutam.	77

XII. De contritione nobilis iuvenis, qui Christum negavit, et per intercessionem beatae Virginis gratiae restitutus est.	78
XIII. Quid Augustinus sentiat de sera poenitentia.	82
XIV. De Henrico converso, qui peccatum distulerat usque ad mortem.	82
XV. De canonico Parisiensi, qui sacramentis in fine participans, et post mortem cuidam apparens, dixit se ob non veram contritionem damnatum esse.	83
XVI. De milite Remensi, qui in praesentia sancti Bernardi communicans, contritus decessit.	84
XVII. De contritione Philippi Comitis Namucensis *).	86
XVIII. De contrita oratione conventus de Hemmenrode, quae tempore schismatis cor Frederici Imperatoris mutavit.	87
XIX. De religiosa femina, quae ter in hebdomada obtinuit monacho lacrimas infra matutinas.	88
XX. Item de femina, quae domino Waltero Abbati Vilariensi impetravit a Domino gratiam lacrimarum.	89
XXI. Item de monacho, qui eidem Waltero eandem gratiam obtinuit.	90
XXII. De monacho, ad cuius lacrimas diabolus respexit, cum cor eius inani gloria extolleretur.	91
XXIII. De clerico, qui puellam Judaeam stupraverat: quem cum Judaei accusare vellent in ecclesia iam contritum, obmutuerunt.	92
XXIV. Item de virgine Hebraea a quodam clerico impraegnata: quam cum parentes parituram crederent Messiam, peperit filiam.	94
XXV. Item de puella Judaea apud Lovaniam baptizata.	95
XXVI. De puella in Linse baptizata.	98
XXVII. De clerico, qui dixit Episcopos Alemanniae non posse salvari.	99
XXVIII. De monacho Claraevallis, qui non acquievit recipere Episcopatum.	99
XXIX. De Episcopo Lombardiae, qui ostendit Christiano Episcopo Maguntinensi nomina sibi commissorum in chartula conscripta.	100
XXX. Visio cuiusdam de schismate Romani Imperii, de calamitate Dioecesis Coloniensis, de terra sancta, et adventu Antichristi.	101
XXXI. De contentione sanctorum angelorum cum daemonibus pro anima cuiusdam usurarii contriti.	103
XXXII. De contritione cuiusdam usurarii, quem bufones ex eleemosynis eius orti devoraverunt.	106
XXXIII. De contritione Theobaldi usurarii Parisiensis.	107
XXXIV. De pecunia usurarii, quae pecuniam monasterii iuxta se positam devoravit.	108
XXXV. De contritione cuiusdam nobilis ab Henrico Duce Saxonum excaecati.	108

Distinctio tertia de confessione.

I. Quid sit confessio, qualis esse debeat, quae eius sit virtus, quis fructus.	110
--	-----

*.) non, Namurcensis.

- II. De clerico, qui stupraverat uxorem militis, quem post confessionem diabolus in stabulo dixit esse iustificatum. . . . 112
- III. Item de servo alterius militis, qui cum uxore domini sui peccans, et in nemore idem peccatum rustico confitens, a diabolo prodi non potuit. 113
- IV. De sacerdote, qui pro illusionem nocturna psalmum in confessione iniunctum negligens, in locis genitalibus punitus est. 114
- V. De clerico Praemonstratense, qui sine confessione cuiusdam venialis peccati commissi ad obsessum exiens, a daemone notatus est. 115
- VI. De virgine, quam daemon in specie viri procabatur; item de viro, cui idem daemon peccata fecte confessa obiecit; et de puella, cuius devirginationem prodidit. 116
- VII. Exemplum de miraculis sancti Bernardi Abbatis, qui incubum daemonem a muliere fugavit. 120
- VIII. De filia Arnoldi sacerdotis, quam daemon corrumpit. 121
- IX. Item de muliere in Briseke, quae moriens confessa est, se sex annis cum daemone incubo peccasse. 121
- X. De Johanne Scholastico Prumiae, qui cum daemone fertur concubuisse. 122
- XI. De Henrico cive Susaciae, qui a daemone in specie mulieris raptus, et in pasculo depositus, amens effectus est. 123
- XII. Exemplum de Hunis, et de Merlino, et quod in filiis incuborum sit veritas humanae naturae. 124
- XIII. De Aleide sanctimoniali in Lancwaden, quae per confessionem a visibili infestatione daemonis liberata est. 125
- XIV. De sacerdote a diabolo per prophetiam mortis decepto, et per confessionem liberato. 127
- XV. De clerico Attrabatensi eiusque sorore, quae de incendio per confessionem liberata est, cum argentarium interfecissent. 130
- XVI. De haereticis apud Cameracum per candens ferrum examinatis et combustis, ex quibus unus beneficio confessionis salvatus est. 132
- XVII. Item de decem haereticis apud Argentinam examinatis et combustis, quorum unus dum esset per confessionem sanatus ac liberatus, per mulierem deceptus, redivivo incendio damnatus est. 133
- XVIII. De milite, qui ob meritum confessionis coram Henrico Imperatore in duello triumphavit. 134
- XIX. De fure, qui Coloniae beneficio confessionis mortem evasit. 135
- XX. Item de fure, qui ab Episcopo Leodiensi ob versiculum Psalmi centesimi quinti sententiam mortis accepit. 135
- XXI. De peregrinis, qui propter peccata unius hominis in mari periclitati, eiusdem confessione sunt liberati. 136
- XXII. De quodam Episcopo Angliae, qui moriens propter exemplum noluit confiteri. 138
- XXIII. De quodam monacho nostro, qui iam moriens primo plenariam fecit confessionem. 138
- XXIV. De confessore, qui cum adolescente peccavit, atque post mortem ad confessionem eundem hortabatur. 139
- XXV. De novicio, qui Abbati confessus est in somnis. 142

XXVI. De confessione cuiusdam daemnis.	143
XXVII. De eo quod non sufficiat scripto confiteri, nisi in necessitate.	144
XXVIII. Quod confitenti non liceat prodere personam peccati consortem, et exemplum de clerico et sanctimoniali. . . .	145
XXIX. De clerico Susaciensi, qui confessus est sacerdoti, se peccasse cum concubina sua.	146
XXX. De Abbate, qui persecutus est monachum, eo quod ex confessione cuiusdam intellexisset, illum scire sua vitia. .	147
XXXI. Quod liceat in aliquo casu confitenti prodere personam alterius, et exemplum de adulterio.	147
XXXII. De monacho, qui sine ordinibus celebravit, et quod ex sententia Innocentii Papae liceat confessori talem prodere, si noluerit ultro confiteri.	149
XXXIII. Narratio longa et utilis de Simone converso de Alna, eiusque prophetiis.	150
XXXIV. De eo quod confessio, quae fit cum voluntate iterum peccandi, sit inutilis.	155
XXXV. De confessore, qui nummum proiecit in terga confitentis et poenitere nolentis.	156
XXXVI. De Abbate sancti Pantaleonis in Colonia, qui fratri carnali pecuniam ecclesiae suae tribuens depauperavit. . .	156
XXXVII. De duobus mercatoribus in Colonia, quibus in confessione consultum est, ne iurarent et mentirentur, et facti sunt ditiores.	157
XXXVIII. De muliere iracunda, quae propter confessionem sancto Malachiae factam spiritum meruit mansuetudinis. .	159
XXXIX. Qualis esse debeat confessor.	159
XL. De sacerdote avaro, qui duobus sibi confitentibus, uni pro incontinentia, alteri pro continentia, eandem iniunxit poenitentiam.	160
XLI. De avaritia et luxuria sacerdotum.	161
XLII. De matrona, quae pupillo a se nutrito, et in sacerdotem provecto, peccata sua confessa est, et ab illo prodita. .	162
XLIII. De matrona, quae confessorem suum ad libidinem incitavit. .	162
XLIV. De indiscreto sacerdote, qui sibi confitentibus iniungere solebat poenitentiam anni praeteriti.	163
XLV. Item de plebano, qui pluribus confiteri volentibus, generalem praedicens confessionem, omnibus eandem iniunxit poenitentiam.	164
XLVI. De muliere in confessione se iustificante, cui prudens confessor ostendit plura mortalia peccata habere.	165
XLVII. Quod confessor non debet de ignotis peccatis investigare, et exemplum de virgine in hoc scandalizata. . . .	166
XLVIII. De Abbate, qui alterum Abbatem suo exemplo provocavit ad confessionem.	166
XLIX. Item de Abbate, qui cum monachis suis in vase ex industria carnes comedens, eosdem ad confessionem suo provocavit exemplo.	167
L. De peccatore, qui de modica poenitentia gradatim ascendit ad maiorem.	168

LI. De Abbate Gisilberto, qui iracundis in Capitulo parcens, ad satisfactionem amplio-rem provocavit.	168
LII. De plebano, qui usurarium et homicidam dulcibus verbis in confessione ad satisfactionem provexit.	169
LIII. De monacho Claraevallis, qui fratrum adiutus orationibus Priori conscientiam suam revelavit.	170

Distinctio quarta de tentatione.

I. De eo quod vita religiosorum sit tentatio; et exemplum de Rege Karlomanno, et de fure a sancto Bernardo a suspendio liberato.	171
II. De septem vitiis principalibus.	173
III. De superbia et filiabus eius.	174
IV. De converso a spiritu superbiae tentato et per angelum per ostensa cadavera mortuorum liberato.	175
V. De casto monacho, quem diabolus dixit se non timere, eo quod esset superbus.	176
VI. De Theobaldo novicio, qui immunditias bibendo motus superbiae restrinxit.	177
VII. De sancto Bernardo Abbate, quem calcios suos inungentem superbiae spiritus subsannavit.	179
VIII. De monacho Montis Cassini, qui in vigilia Paschae, benedicto cereo, translatus est.	180
IX. De clericis superbe cantantibus, quorum voces diabolus in saccum misit.	181
X. De sacerdote signato, quem diabolus, edito sermone a quodam praedicatorum crucis, invasit.	181
XI. De vetula, quae per choream verbum crucis a magistro Arnaldo prolatum impediens et irridens, infra triduum defuncta est.	183
XII. De Philippo Rege Francorum, qui nigrum monachum ob stricta calciamenta reprehendit.	183
XIII. De Philippo Rege Romanorum, qui Abbatem ordinis Cisterciensis eadem de causa notavit.	184
XIV. Item de Abbate, qui sedens in equo superbo, Frederico Regi Romanorum propinquare non potuit.	185
XV. De pagano, qui apud Achonem dicebat Christianos propter superbiam et gulam de terra sancta eiectos.	185
XVI. De ira.	188
XVII. De eo, qui conversum propter verbum contentiosum occidit.	189
XVIII. De Priore, cui Christus in cruce nocte per visum apparuit spinis ligatus.	189
XIX. De cellerario, quem crucifixus per visum a se removit, quia durius responderat Priori suo.	191
XX. De scholare, qui tertio die defunctus est, eo quod maledixisset sancto Abrahae.	192
XXI. De milite, cuius filium tonitruum occidit, eo quod ob intemperiam aeris in blasphemiam prorupisset.	192
XXII. De virgine iracunda, quam sepultam ignis ab umbelico et supra devoravit.	193

XXIII. De invidia et filiabus eius.	194
XXIV. De monacho, qui ab altero ob invidiam criminatus et incarceratus est, et gloriose eductus.	195
XXV. De puella, quae invidebat studio consororis.	196
XXVI. Exemplum contra invidiam a magistro Rudolpho prolatum.	196
XXVII. De accidia et filiabus eius.	197
XXVIII. De monacho, quem accidia non sinebat surgere ad vigilias.	197
XXIX. De sacerdote, cui in oratione dormitanti crucifixus dorsum vertebat.	198
XXX. De tentationibus et visionibus Christiani monachi Vallis sancti Petri.	198
XXXI. De Henrico converso Vilariensi, qui graviter tentatus fuit, eo quod non esset filius legitimus.	202
XXXII. De serpente, quem vidit frater Conradus in dorso conversi dormitantis in choro.	202
XXXIII. De converso, cui cattus visus est oculos claudere, cum in choro dormitaret.	203
XXXIV. De Frederico monacho, cui in choro dormitanti dia- bolus nodum stramineum in oculos iecit.	203
XXXV. De monacho, circa quem in choro dormitantem porci videbantur.	204
XXXVI. De domino Gevardo Abbate, qui monachos in ser- mone dormitantes per fabulam Arcturi excitavit.	205
XXXVII. De Henrico milite apud nos carenam faciente, et de lapide, in quo dormiebat tempore orationis.	205
XXXVIII. De monacho in choro frequenter dormitante, quem crucifixus in maxilla percussit et exstinxit.	206
XXXIX. De puella reclusa, quae Deum et angelos esse dubi- tans, de corpore egressa, per spiritum vidit angelos san- ctos*) et animas, sicque ad corpus regressa est.	206
XL. De sanctimoniali, quae in fide dubitans et desperans, in Mosellam se praecipitavit.	209
XLI. De converso, qui ex desperatione in piscina se suffocavit.	210
XLII. De sanctimoniali, quae a quodam maligno converso dementata, in puteum se praecipitavit.	211
XLIII. De iuencula, quae ex tristitia se suspendit, ab ama- sio suo contemta.	211
XLIV. De adolescente, qui vestibus suis delusis, ex tristitia se suspendit.	212
XLV. De Baldewino monacho quandoque in Brunswich ad- vocato.	212
XLVI. De Scholastico, qui annum probationis complevit in nigro ordine timore silentii.	213
XLVII. De praelato, qui ordinem vocavit tentationem.	214
XLVIII. De milite, qui ordinem vitavit timore pediculorum.	214
XLIX. De tentationibus Godefridi Scholastici sancti An- dreae in Colonia.	215
L. Item de tentatione Reneri successoris eiusdem.	217

*) sic legendum pro scilicet.

LI. De novicio, qui anno probationis completo, se radi non permisit.	217
LII. De novicio a spiritu blasphemiae tentato, et in contemplatione crucifixi liberato.	218
LIII. De novicio tentato, et per nocturnam visionem duarum viarum ad viam reducto.	219
LIV. Item de Gerardo novicio in Alna, qui per Alleluia in somnis auditum, a tentatione sua liberatus est.	220
LV. De monacho in Ottirburg, qui per versiculum: Diabolus egredietur ante pedes eius, a tentatione apostasiae liberatus est.	221
LVI. De sanctimoniali, quae dum nocte vellet ire ad saeculum, et caput ostio illideret, a tentatione liberata est.	222
LVII. De avaritia et filiabus eius.	223
LVIII. De Caesario milite, qui canonicis Bonnensibus debitam pecuniam negavit, et gressum perdidit.	224
LIX. De monasterio, quod Dominus ob fraudem cellerarii plagavit.	225
LX. De plaga domus Vilariensis.	226
LXI. De Abbate, qui, cellerario suo ob dolum deposito, adversariis bona, pro quibus contendebant, ultro dimisit, et eadem ab eis coactus recepit.	227
LXII. De Ulrico Praeposito Steinveldensi, et converso avaro, quem amovit.	228
LXIII. De Abbate, qui audivit in oratione: Dedisti hereditatem timentibus te, dum timeret abbatiam a potente aedificatam suscipere.	232
LXIV. Quid Episcopus Philippus dixerit, cum domum nostram construeret.	233
LXV. De largitate pauperibus famis tempore a domo Vallis sancti Petri exhibita.	233
LXVI. Item de humanitate, quam domus in Hemmenrode eodem tempore in pauperes fecit, et quod multo plus a Deo recepit.	234
LXVII. Item de claustro Westfaliae, cui Deus expensas pauperibus exhibitas duplo restituit.	235
LXVIII. De claustro ob Abbatis avaritiam depauperato et ob receptionem duorum fratrum, scilicet Date et Dabitur, rursus ditato.	236
LXIX. De femina, quae hospitalitatem Abbatibus Cisterciensis ordinis exhibuit, et ditata est, et eadem exclusa, pauperata.	237
LXX. Quomodo intelligendum sit: Omni habenti dabitur; ei autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.	238
LXXI. De hospitalitate monachorum de Lacu.	238
LXXII. De inhospitali Praeposito nigri ordinis.	239
LXXIII. De gula et filiabus eius.	240
LXXIV. De Conrado scholare, qui propter esum unius pomi, avunculi sui gratia privatus est.	241
LXXV. De servo, qui pixide contra praeceptum domini sui aperta gratiam eius perdidit.	242
LXXVI. De uxore militis, quae tentatione victa paludem a marito prohibitam intravit.	243

LXXVII. De milite poenitente, quem tentatio arboris vetitae extinxit, sed non superavit.	244
LXXVIII. De tribus granis, quibus Abbas Gisilbertus se con- dire dicebat pulmenta monachorum.	245
LXXIX. De sermone monachi illiterati ad Henricum Cardina- lem Albanensem.	246
LXXX. De clerico, cui Christus panem hordeaceum lateri suo intinctum porrexit.	248
LXXXI. De novicio, quem diabolus formam dimidii panis offerendo decepit.	249
LXXXII. De Arnaldo monacho, cui in choro dormitanti diabolus carnes obtulit.	249
LXXXIII. De converso in missa dormitante, qui lignum pro carnibus rodebat.	250
LXXXIV. De virgine abstinate, cui diabolus anserem obtulit.	251
LXXXV. De converso in cellario comedente carnes.	251
LXXXVI. De gallina, cuius viscera versa sunt in bufonem.	252
LXXXVII. De Hermanno incluso, cui diabolus pro piscibus obtulit stercora equina.	252
LXXXVIII. De Steinhardo proditore, qui per allea cecidit. .	253
LXXXIX. De Florino Praeposito, cui morsellus carniū gut- turi infixus est.	255
XC. De cellerario, qui post completorium sitiens, inclinando liberatus est.	256
XCI. De Henrico cognomento Fikere.	257
XCI. De luxuria et filiabus eius.	258
XCI. De milite converso, quem uxor tempore probationis repetivit.	259
XCIV. De gravi tentatione Richwini cellerarii ob literas san- ctimonialis.	260
XCV. De iuvene per verba haec: Diabole, confessor meus praecipit tibi, ut cesses me tentare, a stimulo carnis liberato.	261
XCVI. De tentationibus monachi, qui resistendo coronam meruit imperialem.	262
XCVII. De Bernardo monacho tentato, qui se in somnis vi- dit eunuchizari.	265
XCVIII. Vita domini Everhardi plebani sancti Jacobi. . . .	266
XCIX. De clerico in Susacia ad accusationem adulterae combusto.	270
C. De converso, ad cuius pedes sibi ancilla lectum fecit. .	271
CI. De Praeposito, qui moriens spe convalescentiae cum fe- mina peccavit.	271
CII. De nobili castellana, quae stimulum carnis in aqua restrinxit.	272
CIII. De sanctimoniali in Anglia, quae a suo Provisore ten- tata est.	273

Distinctio quinta de daemonibus.

I. De eo quod daemones sint, quod multi sint, quod mali sint et hominibus infesti.	274
---	-----

II. De Henrico milite, qui daemones esse non credens per nigromanticum illos vidit.	276
III. De sacerdote, qui per diabolum a circulo extractus et confractus tertia die mortuus est.	278
IV. Item de clerico, qui apud Toletum dolo diaboli extractus et ad inferos ductus et magistri sui querimoniis reductus, factus est monachus.	279
V. De Hermanno Abbate Loci sanctae Mariae, qui in diversis formis daemones vidit.	281
VI. De Christiano monacho, qui daemones vidit.	286
VII. De daemonibus, qui visi sunt Maguntiae in superba veste feminae.	287
VIII. De sacerdote de Ditkirgen, qui in obitu suo multitudinem vidit daemoniorum. Item probatio quod plures sint mali homines, quam daemones.	288
IX. De daemone, qui dixit se malle cum una anima a se decepta descendere in infernum, quam redire ad coelum.	289
X. De alio daemone, qui contraria dicebat.	290
XI. De daemone, qui confessus est, se intrasse feminam, eo quod sibi tradita fuisset a marito.	291
XII. Item de puero, quem diabolus invasit, cum ei pater diceret: Vade diabolo.	291
XIII. De obsessa, quae dixit diabolum ligatum tribus verbis canonis.	292
XIV. De obsessa, quae in Insula sancti Nycholai prodidit reliquias.	292
XV. Quomodo daemones sint in hominibus.	293
XVI. De converso Campensi, qui promissione Episcopatus Halberstadensis deceptus, suspensus est.	294
XVII. Item de converso, qui voce cuculi deceptus in apostasia mortuus est.	295
XVIII. De duobus haereticis, qui apud Bizunzium miraculis phantasticis multis deceptis, ibidem exusti sunt.	296
XIX. De haereticis Coloniae combustis.	298
XX. De haeresi Valdosiana in civitate Metensi.	299
XXI. De haeresi Albiensium.	300
XXII. De haereticis Parisiis exustis.	304
XXIII. De haeretico apud Trecas exusto, qui se dicebat esse Spiritum sanctum.	307
XXIV. De haereticis Veronensibus.	307
XXV. De haeretico, qui diabolum dicebat esse principem huius mundi, eo quod mundum creasset.	308
XXVI. De puella, quam diabolus intravit cum esset quinquennis.	309
XXVII. De Theoderico converso, quem diabolus transtulit ultra civitatem Lubech.	310
XXVIII. De Alberone converso, qui diabolum videndo infirmatus est, et quae sit ratio eiusdem defectus.	311
XXIX. De Abbate sanctae Agathae, monacho et converso eius, qui videntes diabolum defecerunt.	312
XXX. De duobus iuvenibus, qui diabolum in specie mulieris videntes infirmati sunt.	315

XXXI. De femina, quae a diabolo in specie servi sibi noti pressa, mortua est.	315
XXXII. Item de muliere de Are, quae a diabolo amplexata, post paucos dies defuncta est.	316
XXXIII. Item de converso, quem diabolus in specie monialis meridie dormientem complexus, intra triduum exstinxit.	316
XXXIV. De Thiemone milite, cum quo diabolus nocte tesseri- bus ludens, viscera eius excussit.	318
XXXV. De homine, qui in Susacia spe diaboli de turri sal- tans diruptus est.	318
XXXVI. De daemone, qui in specie hominis militi fideliter servivit.	319
XXXVII. De daemone, qui Everhardum militem transtulit Jerusalem.	321
XXXVIII. De daemone, qui non permisit hominem a se ob- sessum de rapina in quinta generatione gustare.	323
XXXIX. De diabolo, qui visus est seminare discordiam in- ter duos peregrinos amicos.	324
XL. Item de daemone, qui in specie sacerdotis militem per spineta ducens inimicos illos effecit.	325
XLI. De daemone, qui dixit se seminasse discordiam inter militem et coenobium.	326
XLII. De milite Mengoz, quem diabolus per pavementum traxit.	326
XLIII. De daemone, qui vineam pro mercede custodivit.	327
XLIV. De Eufemia sanctimoniali, quam diabolus infestavit.	328
XLV. De infestationibus Elizabeth sanctimonialis a diabolo.	330
XLVI. De inclusa, quae per Benedicite liberata est a daemone.	331
XLVII. De Bertrade inclusa.	332
XLVIII. De converso, qui vidit daemonem phantasmata minare in chorum.	333
XLIX. De visionibus Hermanni cantoris.	333
L. De inclusa, quae daemones vidit super scapulas mona- chorum de Porceto.	334
LI. De monacho a labore caulium recedente, et a diabolo per speciem mulieris mox tentato.	335
LII. Quod diabolus similis sit leoni ad stipitem ligato.	336
LIII. De canonico Bonnensi ab eo tentato.	336
LIV. Quod conventum Montis sanctae Walburgis irrisit.	337
LV. De sacerdote, quem cum gladio euntem ad ecclesiam diabolus terruit.	337
LVI. De campanario, quem diabolus transtulit in pinnam castri Ysinburg.	338

Distinctio sexta de simplicitate.


I. De virtute simplicitatis.	340
II. De simplici monacho, qui carnes in castro comedendo, pecora monasterii sui reduxit.	341
III. De Christiano Decano Bonnensi, qui Abbati pisam sagi- mine conditam apposuit in simplicitate.	343
IV. De Godescalco monacho, qui in Sigeberg artocreas sagi- mine decoctas simpliciter manducavit.	344

V. Vita domini Ensfridi Decani sancti Andreae in Colonia.	345
VI. Item vita domini Hermanni Decani Hildinshemensis Ecclesiae.	356
VII. De simplicitate Werinboldi canonici sancti Gereonis in Colonia.	357
VIII. De simplicitate Christiani cellerarii in Bruwilre.	359
IX. De monacho de Porceto.	360
X. Vita Engilberti caeci.	361
XI. De domino Petro Abbate Claraevallis, in cuius simplicitate adversarii eius compuncti, bonis, pro quibus contenderant, renunciaverunt.	364
XII. De Philippo Rege Francorum, qui in Abbatis sancti Victoris simplici taciturnitate aedificatus, adversarios eius compescuit.	365
XIII. Item de eodem, qui Laudunenses clericos commendavit ob simplicem electi sui praesentationem.	366
XIV. Item de eodem Rege, qui simplicem monachum in Abbatem sancti Dyonisii promovit, praelatis ambitiosis prudenter amotis.	367
XV. De simplici monacho, cui Fredericus Imperator contulit abbatiam occasione acus.	368
XVI. De Abbate, quem Otto Imperator commendavit propter acum.	369
XVII. De monacho, super quem morientem diabolus acum ignitam proiecit, eo quod acum sanus portare contemneret.	369
XVIII. De Abbate, quem inclusa symoniace intrasse dicebat, eo quod electionem suam astute procurasset.	370
XIX. De Mauritio Episcopo Parisiensi, qui se ipsum simpliciter elegit.	371
XX. De astuto Priore, qui personam ob infamiam eiectam elegit, ne sua pars infirmaretur.	372
XXI. De homine, qui sub typo simplicitatis Bonnae plures decepit.	373
XXII. De homine, qui per serpentem punitus est in collo, quia dolose egerat in matrem.	374
XXIII. De Praeposito Parisiensi, quem Rex Philippus vivum infodi iussit, eo quod mortuo dolose vineam abstulisset.	375
XXIV. De fure a patibulo liberato, et denuo suspenso, dum suum liberatorem inique impeteret.	377
XXV. De falso peregrino iusto Dei iudicio suspenso, dum vero peregrino furti crimen impingeret.	377
XXVI. De Bertolpho Palatino de Wittillinbach, cui divinitus praeceptum est, ut hominem primo sibi obviantem suspenderet.	378
XXVII. De Theoderico de Erinportze, qui revoluto anno eadem die, eadem via mortuus est elatus, qua Philippus Rex eius industria fuerat introductus.	379
XXVIII. De Henrico Ratione, cuius praebendam obtinuit is qui eius consilio a Petro Cardinale fuerat intrusus.	380
XXIX. De sacerdote idiota, qui simplicitate verborum suorum coram Innocentio Papa ecclesiam obtinuit.	381
XXX. De simplici oratione conversi, qui minabatur Christo,	

quia matri eius conquesturus esset de illo, si non liberaret eum a tentatione.	382
XXXI. De inclusa, quae Christum quaesivit in foramine, et invenit.	382
XXXII. De simplici sorore in Kummede, cui in oratione Christus respondit, quod esset in saccello.	383
XXXIII. De passione simplicis Marcadelli.	384
XXXIV. De passione Margaretæ virginis Lovaniensis.	386
XXXV. De simplici concubina sacerdotis, quae se ipsam in fornace exstinxit.	387
XXXVI. De morte Lodewici simplicis monachi.	388
XXXVII. De morte simplicis monialis, quae capram putabat esse feminam saecularem.	389



CORRIGENDA.




- 12, 14. Lege: quem in specie.
- 25, 1. Sic interpungendum: factus, opere ostendi.
- 26, 27. Ex Vita S. Bernard. IV, 3. p. 902 sic emendandum est:
In hoc te nunc scio falsum esse prophetam; hoc enim. Conf. Act. Apost. 12, 11.
- 28, 19. vix multis precibus obtineret. Verba multis precibus delenda sunt, et pro vix obtineret legendum: obnixe peteret.
- 32, 29. Pro decidisse haud dubie legendum est cecidisse.
- 35, 19. Librorum lectio, quam — facta, sanissima est; et eodem modo dicit auctor Vitae S. Bernard. I, 13: „quem noviciorum paraverat in ruinam.“
- 42, 25. contemnens omnem laborem sustinere temporalem. Verbum sustinere debetur librariis, et delendum est.
- 46, 18. Considerans moram repulsae esse periculosam. Vocabulum repulsae hoc loco ineptissimum est. Lege: arrepto proposito. Compendium scripturae errorem peperit.
- 51, 3. et ideo sine exemplo. Pro (īo, id est) ideo, legendum (oīo) omnino.
- 51, 25. Revocanda est librorum lectio loco. Conf. IV, 5.
- 55, 26. Quandoque addit perfectioni. Haec verba corrupta esse, nemo non videt. Forte legendum: Bene autem additum est, perfectum.
- 57, 12. contritio meretur. Haec librorum lectio sic emendanda est: contritio operetur.
- 64, 12. Quare? inquit. Verbum inquit librariis debetur, et delendum est. Conf. VI, 18, 26.
- 78, 24. Rogo, si nosti. Haud dubie legendum: Rogo, ut si nosti.
- 78, 36. Pro torneamentis lege tornamentis.
- 83, 3. Post opera videtur excidisse bona. Conf. VII, 58.
- 89, 23. Vultis, ego ostendam — a Deo. Haud dubie legendum: Vultis ergo ostendam — a Deo? Conf. Evang. Johan. 18, 39.
- 96, 12. quod Parcus dicitur. Pro Parcus, si non legendum, certe intelligendum est Parcum, coenobium monialium iuxta Lovanium.
- 111, 1. Caesarius noster scripsit, non pluralis, sed potius fiducialis.
- 116, 21. propensius instaret. Procul dubio legendum: impensius instaret.

- 118, 34. Et estīati sunt. Scribendo Et mirati sunt, minime restitui genuinam lectionem; quae potius haec est: Et testati sunt.
- 124, 10. Pro Gothorum lege Gottorum. Conf. XII, 13.
- 154, 10. Interpretatio illius per interpretem, falsissima est.
- 155, 25. Juxta A legendum: per alium Prophetam, Isaiam scilicet. Nam huiusmodi lapsus haud raro occurrunt apud Caesarium nostrum.
- 199, 12. poenalitatum ordinatus. Legendum poenalitatum moderatus, iuxta Homil. I. p. 43: „Motus iste aliquando est moderatus, aliquando immoderatus, Quando moderatus, non culpa est, sed poena; si vero immoderatus, poena est et culpa.“
- 199, 15. Auctor scripsit, non ut libri exhibent, quemlibet laborem, sed quemlibet languorem.
- 203, 9. Pro multa procul dubio legendum multo.
- 210, 33. Sic interpungendum: quid habetis? unde timetis?
- 214, 32. Pro emenso iuxta BC lege emerso.
- 244, 18. Lege afflixisti, iuxta libros et Homil. II. p. 18.
- 261, 21. Vere, frater Caesari. Sic librarii, sed non Frater Caesarius, qui potius ita scripsit: Vere, frater, crede mihi. Dictantis nomen (Prolog. p. 2) legitur quidem X, 1, sed tantummodo in libris editis, non in scriptis.
- 262, 19. levius se sensit. Pronomen se, satis inconsiderate a me additum, delendum est.
- 267, 10. in aure eius. Lege: in aure ei.
- 276, 9. Pro qui paratus iuxta codices legendum, qui praeparatus.
- 351, 32. Male emendavi, magis adhuc. Potius legendum, magis hoc, id est, magis quam hoc.
- 351, 27. Pro tamen perdita fortasse legendum tunc perdita.
- 356, 6. Pro sanctis; haud dubie legendum scilicet,
- 364, 18. Lege: placet, et est quandoque.
- 373, 7. Lege iuxta libros: viis ingredienti.



Menda typographica.



26, 29.	Pro	falcitas	lege	falsitas
64, 16.	"	contentum	"	contemtum
64, 21.	"	disidero	"	desidero
71, 19.	"	Rininge	"	Riningen
105, 16.	"	incoepti	"	incepti
118, 38.	"	B fuisse	"	C fuisse
119, 23.	"	filia tua.	"	filia tua?
129, 25.	"	diobolus	"	diabolus
163, 24.	"	solet	"	solebat
179, 10.	"	clare	"	clara
347, 6.	"	ab- scisas	"	abs- cisas
353, 29.	"	exclamvit	"	exclamavit
356, 34.	"	responderent	"	responderet
365, 13.	"	antem	"	autem

